This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600007020F

32.
368.

LIBRI HISTORICI
VET. TEST.

JOSUA, JUDICES, RUTH, SAMUEL, REGES, CHRONICI, ESRA, NEHEMIA ET ESTHER

EX
RECENSIONE
TEXTUS HEBRAEI
ET
VERSIONUM ANTIQUARUM
LATINE VERSI
NOTISQUE
PHILOLOGICIS ET CRITICIS
ILLUSTRATI

A

JOANNE AUGUSTO DATHIO
S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGUAE HEBR. ORD.
IN ACAD. LIPSIENSI

BIBLIOTHECA

EDITIO ALTERA

HALAE
E LIBRARIA ORPHANOTROPHEI
cIↃIↃccccxxxii

368.

PRAEFATIO.

Quae me causae moverint, ut, contra quam Pentateucho nuper a me edito praefatus promiseram, libros historicos prius, quam Psalmos, ex versione mea vulgarem; his commemorandis, non invito benevolo Lectore, equidem supersedere me posse arbitror. Quid igitur in hoc volumine praestare voluerim, potius indicandum videtur. Quod ad rationem vertendi attinet, eandem legem servare studui, quam in Pentateuchi versione mihi ipse scripseram, ut antiquam Hebraeorum simplicitatem in modo narrandi ita servarem, ne Latinorum historiae scribendae leges prorsus negligerentur. — Notae versioni subjectae duplicis generis sunt: critici aliae, aliae philologici. Et criticarum quidem plures esse, quam in Pentateuchi versione, nemo mirabitur, qui textum Hebraicum librorum historicorum minus accurate descriptum ad nos pervenisse, quam textum Pentateuchi meminerit.

Hinc

Hinc fieri non potuit, quin rationem redderem, cur in verſione non ubique lectionem textus recepti expreſſerim. In quo lectionum diverſarum examine diligenter, uti debui, contuli opus Kennicottianum, et quam in locis ſuſpectis codicum varietatem notatam inveni, indicavi. Singulos quidem numeros, quibus *Kennicottus* codices ſuos ſignavit, non excerpſi, ſi quidem, quod ſaepe factum eſt, complures offenderam, (quod pro brevitate, cui ſtudendum erat, prolixum nimis fuiſſet et lectoribus meis fortaſſe minus expetitum); ſed ſi paucos, tres forte aut quatuor, adſcripſi numeros, ut, qui disſertatione praeliminari *Kennicotti*, in qua operis ſui et codicum a ſe collatorum rationem reddit, uterentur, quam Celeb. *Bruns* notis doctiſſimis auctam (*Brunovici* MDCCLXXXIII) typis repetendam curavit, eam conferre et de pretio codicum citatorum ipſi poſſent judicare. Sed quoniam tantum in iis locis, in quibus lectio textus vulgaris ſuſpecta mihi videtur, diverſas lectiones antiquarum verſionum afferre ſoleo, codicum Kennicottianorum lectiones quoque tantum eas commemoro, quae ad illas emendationes probandas faciunt, omiſſis aliis critico examine ſubinde non indignis, ſi lectio textus vulgaris commodam admittere explicationem ex meo quidem ſenſu videtur. — *Conjecturas* raro admiſi. Quamquam enim criticam conjecturalem non re-

repudio, ſed exiſtimo, eam in libris hiſtoricis felicius exerceri poſſe, quam in moralibus, quoniam in illis circumſtantiae hiſtoricae, quae dicuntur, nonnunquam conjectandi anſam praebent; in his vero ingeniorum diverſitas minus probabile reddit judicium, quid aut quomodo ſcriptor ſuam ſententiam ſit elocutus: tamen lubrico huic emendandi generi, quod ſummi critici, Graevii, Gronovii, Burmanni, in libris profanis plerumque improbarunt, in libris ſacris non nimis indulgendum exiſtimavi; vid. 2 Sam. 23, a. — *Notas philologicas* adjeci partim in iis locis, in quibus lectores haerere de ipſis rebus poſſent, quarum brevem dedi explicationem; partim, in quibus a ſententia aliorum interpretum, recentiorum inprimis, discedo, ut meae explicationis rationes redderem; quibus nonnunquam (nam ab aliorum refutatione lubentius abstineo) addidi, quae mihi in aliorum interpretationibus dubia aut minus accurate dicta viſa fuiſſent. Sed in his modus erat ſervandus, (criticas tamen obſervationes omnes pro inſtituti mei ratione dedi) ne libri moles nimis excreſceret. Qui textum ipſum cum verſione contulerit, facile intelliget, quem ſenſum verbis Hebraeis ſubeſſe putem. Nec tamen in locis per interpretum disſenſiones claris meam qualemcunque ſententiam proferre dubitavi, ut ſacrarum litterarum ſtudioſi, quibus maxime hocce labore prod-

eſſe

esse cupio, discerent, quid et quomodo super locis difficilioribus a viris doctis esset disputatum, e. c. Jos. 10, 13. Jud. 11, 39. 1 Sam. 6, 19.; cap. 17, 12. seqq.; cap. 28, 20. etc. Ceterum vehementer gaudebo, si hoc quoque volumen versionis meae librorum sacrorum viris doctis linguarum et artis criticae peritis non displicuerit. Benigna multorum judicia, quibus priora volumina excepta sunt, animum addunt, ut in coepto labore pergam, et, si Deus vitam et valetudinem concesserit, reliqua quoque perficere adnitar.

Scripsi in Academia Lips. mense Martio A. R. S. MDCCLXXXIV.

PRAE-

PRAEFATIO

AD

EDITIONEM ALTERAM.

Hanc editionem, quae curanda mihi commiſſa fuit, multis locis correctiorem quisque inveniet, qui cum priore diligenter eam comparaverit. Nonnullis vero locis neceſſe viſum eſt, ut cauſas mutationis meae afferrem; aliis in ipſa quidem Dathii translatione nihil mutavi, ſed in annotatione adjecta ſententiam meam propoſui. Utriusque generis explicationes aſteriſco vel cruce notavi. Cum autem nonnullae ejusmodi mutationes et animadverſiones locis ſuis adſcribendae variis de cauſis omiſſae ſunt, hasce nunc afferam.

2 Sam. 23, 19. pro *iisque celebrior* legendum eſt *inter eos celeber.*

2 Reg. 17, 16. 18, 4. et 21, 3. אֲשֵׁרָה idem eſſe atque פֶּסֶל הָאֲשֵׁרָה *ſimulacrum Aſtorethae*, e l. 21, 7. apparet. Altero quidem loco 18, 4. omnes interpretes antiqui pluralem legerunt, quem etiam codex 21. *Kennicotti* exhibet; attamen

fin-

ſingularis, quem 17, 16. 21, 3. 7. reperimus, praeferendus videtur. Neque haec vox *lucum*, quo Dathius his locis interpretatus eſt, ſed *ſimulacrum Aſtorethae*, vel, ſi cum Dathio pluralem praefers, generatim *ſimulacra idolorum* indicat. Quapropter illis locis *ſimulacrum Aſtorethae* pro *lucis* ſcripſi.

2 Reg. 22, 11. pro *legis* lege *libri legis*.

1 Chron. 3, 20. pro *Juſabus*, *Heſedus* legas *Juſabheſedus*. יוּשַׁב חֶסֶד enim unius filii nomen eſſe et propter nominis ſignificatum, et numerum חֲמֵשׁ adjectum a *Clerico*, *Michaele* et *Simone* in onomaſt. V. T. p. 432. recte ſtatuitur. LXX reddunt Ἀσοβέδ.

1 Chron. 3, 22. fin. refertur, *ſex* filios fuiſſe. At quinque tantum filii Semajae nominantur. Quamobrem vel שֵׁשׁ pro חֲמֵשׁ poſitum, vel unum nomen omiſſum eſt; cf. *Dathii* annotat. ad 1 Chron. 6, 45. 7, 3. 25, 3.

1 Chron. 7, 25. poſt וְרֶשֶׁף ſcribae errore בְּנוֹ omiſſum eſſe, e conſequentia verborum facile intelligitur.

2 Chron. 13, 15. pro *quique* lege *quoque*.

Scripſi Halae Non. Febr. MDCCCXXXII.

Henricus Erneſtus Bindſeil,
Philoſ. Doctor.

JO-

J O S U A.

CAPUT I.

Jubet Deus Josuam trajicere Jordanum, addita felicis successus promissione, si ejus voluntati in omnibus obtemperaret 1—9. Josua praecipit, ut populus victum sibi paret. Rubenitas, Gaditas et dimidiam Manassitarum tribum admonet de promisso suo servando. Omnes promittunt, se imperata facturos 10—18.

1. Post mortem Mosis, ministri Jovae, hic Josuam, Nunis filium, famulum Mosis, hunc in modum est allocutus: 2. Mortuus est Moses, meus minister. Jam igitur tu trajice Jordanum una cum toto hoc Israëlitarum populo in terram, quam ego eis dare promisi. 3. Quemcunque in locum pedem inferetis, hunc vobis tradam, quemadmodum Mosi sum pollicitus. 4. A deserto atque hoc Libano usque ad flumen magnum Euphratem, tota Chetitarum regio, atque usque ad mare magnum, versus occasum sint fines vestri. [a]) 5. Nemo tibi poterit,

a) Termini universe describuntur a tribus coeli regionibus. Desertum Sin et Cadesch erant a meridie, Libanus a septentrione, mare magnum, h. e. mediterraneum, ab occidente. Ab oriente erat Jordanus, qui non nominatur, quia ab eo fines Josuae extenduntur. Ante *Libanum* supplendum putat *Masius* עד *usque*, quod quidem saepe deest, ut in simili loco Deut. 11, 24. sed

terit, quamdiu vives, resistere. Quemadmodum Mosi adfui, ita tibi adero. Non te deseram, nec relinquam. 6. Fortem te praebe et alacrem, tu enim immittes hunc populum in possessionem terrae, quam ejus majoribus jurejurando interposito dare promiseram. 7. Forti animo sis et imperterrito, ita ut diligenter observes hanc legem omnem, quam Mosi, ministro meo, praecepi, nullam in partem neque ad dextram neque ad sinistram deflectens, sic enim prudenter te geres in omnibus, quae susceperis. 8. Ex hac lege semper de jure [b]) responde; perpetuo animo tuo obversetur, ut diligenter observes omnia, quae in ea scripta exstant, tunc enim felices habebis rerum tuarum successus et prudenter te geres. 9. Volo, ut animo forti sis et alacri et imperterrito, ego enim conatibus tuis omnibus adero. — 10. Tum Josua jussit tribunos 11. castra obire, populoque praecipere, ut sibi victum pararet, nam post triduum eum trajecturum esse Jordanum ad occupandam terram, quam Jova Deus ei sit in possessionem daturus. 12. Cum Rubenitis autem, Gaditis et dimidia Manassitarum tribu in hunc modum egit: 13. eos meminisse eorum, quae Mo-

sed h. l. non necessarium videtur, quia ex sequentibus facile intelligitur. — Verba interjecta, *omnis terra Chetitarum*, videri possent redundare, quia in describendis limitibus loca intermedia nihil attinet commemorare. Omittunt ea *oi ō*, (etiam Ill. *Michaelis* ea omisit causa non indicata). Sed habent ea reliqui interpretes antiqui. Arabs tantum habet *supra terra Chetit*. Obscure. Fortasse legit עד pro כל. Igitur et nos ea retinenda putavimus.

b) Hebr. non recedat ex ore tuo.

Moses, Jovae minister, eis praecepisset, c) nimirum, ut, postquam Jova Deus eorum quietem eis concessisset, atque hanc terram eis dedisset, 14. mulieres eorum, liberi et greges remanerent in terra hac cis Jordanum, quam a Mose accepissent, ipsi vero antecederent omnes armis idonei populares suos, eosque adjuvarent, 15. donec et hos Jova ad quietem sit perducturus, ut terram occupent, quam eis sit daturus; tunc ipsi reverterentur ad terrae suae possessionem cis Jordanum orientalem, quam eis Moses, Dei minister, distribuisset. 16. Ad haec Josuae respondent: se imperata facturos, quocunque ab eo mitterentur, se ituros, 17. prorsus sicuti Mosi, ita et ei esse obtemperaturos, modo Jova ei adsit sicuti Mosi. 18. Quicunque imperium ejus detrectaret, neque ei in omnibus, quae ediceret, morem gereret, eum moriturum. Modo fortis sit et strenuus.

CAPUT II.

Josua mittit duos exploratores, qui a Rachaba meretrice excepti et absconditi salvi ab ea dimittuntur, postquam suae suorumque saluti promisso ab eis impetrato prospexerat. Ad Josuam reversi narrant, quae sibi acciderint.

1. Interea miserat Josua, Nunis filius, ex Schittimo clam duos homines exploratores cum hoc mandato, ut regionem, inprimis autem Hierichuntem, explorarent. Qui cum discessissent, diverterunt in domum mulieris meretricis, nomine Rachabae, ibique pernoctarunt. 2. Regi Hierichuntis indicatur, venisse

 sub

c) Num. 32, 20.

ſub noctem homines quosdam de Iſraëlitis terrae explorandae cauſa. 3. Rex mittit ad Rachabam, jubetque, ut tradat homines iſtos, qui ad eam veniſſent, eſſe eos exploratores. 4. Illa vero, poſtquam eos absconderat, reſpondet, veniſſe quidem ad ſe homines, ſed unde veniſſent, ſe quidem neſcire. 5. Cum porta eſſet ortis tenebris claudenda, eos disceſſiſſe; quo iverint, ſe ignorare; ſi eos celeriter perſequerentur, aſſecuturos eſſe. 6. Duxerat vero eos in tectum, et abdiderat eos inter lini culmos, a) quos ibi habebat dispoſitos. 7. Illi igitur *a rege miſſi* eos perſequuntur usque ad vada Jordani, quibus egreſſis porta clauditur. 8. Antequam vero viri illi *exploratores* cubitum irent, venit ad eos *Rachaba* in tectum, atque hunc in modum cum eis loquitur: 9. Novi, Jovam vobis hanc terram traditurum eſſe; omnes enim veſtri terrore perculſi

a) Sub פִּשְׁתֵּי עֵץ ego cum *Maſio* aliisque interpretibus plurimis intelligo *linum*, idque crudum adhuc et lignoſum, h. e. de quo cortices et ſtipulae nondum ſunt ſtupario malleo atque carminationes decuſſae depexaeque. Solent enim illa, antequam tundantur, inſolari. Quae ſunt verba *Maſii*, qui tamen dubitanter haec dixit, exiſtimans, poſſe etiam *goſſypium* intelligi, quo frutice conſtat Syria abundare. Haec ſententia *Michaelis* probatur, qui confidenter in nota ad h. l. aſſerit, vocabulum Hebraicum ſignificare goſſypium. Nec tamen ipſe ſibi ſatis conſtat, nam Exod. 9, 31. Jer. 13, 1. Hoſ. 2, 5. 10. vertit per *linum*. Sed capſulae illae, quas vocat, fruticis goſſypii, ceparum folliculis ſimiles, ſub quibus exploratores illos abditos eſſe putat, neque ſatis idoneae ad homines obtegendos fuerint, neque τοῦ עֵץ nomine ſnſignitae. Verum caules illi ſive culmi lini modo demeſſi rectius eo nomine venire poſſunt, qui quoque aëri exponuntur, quod omnes ſciunt, qui lini parandi rationem norunt. De פִּשְׁתָּה *lino* egit *Celſius* in Hierob. P. II. p. 283.

culſi ſumus, omnes metu ſunt exanimati. 10. Audivimus enim, Jovam veſtra cauſa finum Arabicum exſiccaſſe, cum ex Aegypto effetis egreſſi, vosque duo Amoritarum reges cis Jordanum, Sichonem atque Ogum devoviſſe, 11. Quibus auditis nos omnes ſummo timore ſumus perterriti et debilitati, nam Jova, Deus veſter, coeli terraeque dominus eſt. 12. Jam igitur jurate mihi per Jovam, cum ego de vobis tam bene merita ſim, vos domui meae paternae parem eſſe gratiam relaturos, atque ſignum certum mihi date, 13. quo parentes mei, fratres et ſorores, et omnia, quae habent, conſerventur, et ſic nos a morte defendatis. 14. Ad haec viri illi reſpondent: Nos ipſi morti erimus obnoxii, (dummodo nos non prodideritis) niſi hanc gratiam tibi fideliter referemus, quando Jova nobis hanc terram tradet. 15. Tum eos in fune per feneſtram demittit, (nam domus ejus muro juncta erat, et ipſa in muro habitabat) 16. et monet, ut ad montem ſe recipiant, ne occurrant iis, qui ipſos perſequuntur, ibique per triduum lateant, donec illi redierint, tunc ipſi iter ſuum continuent. 17. Hanc quoque cum ea viri illi fecerant pactionem: Soluti erimus, inquiebant, jurejurando, quo nos obſtrinxiſti, 18. niſi filum hoc coccineum feneſtrae, per quam nos demiſiſti, alligatum fuerit, et niſi parentes tuos fratres omnemque tuam paternam domum tecum in aedibus tuis habeas aggregatam. 19. Quicunque aedium tuarum foribus egredietur, ſuo periculo hoc faciet, nos culpa carebimus. Quisquis autem tecum domi tuae erit, hunc ſalvum et incolumem praeſtabimus. 20. Praeterea

terea quoque ſoluti erimus jurejurando, quo nos obſtrinxiſti, ſi hoc negotium noſtrum prodideris. 21. Has conditiones omnes mulier accepit, et cum eos dimiſiſſet, filum illud coccineum feneſtrae alligavit. 22. Illi vero ſeſe ad montem convertebant, ibique triduum commorati, donec, qui eos perſequebantur, rediiſſent, (hi quidem totam illam viam, ſed fruſtra perveſtigarant) 23. de monte deſcendebant, et flumine trajecto veniebant ad Joſuam, Nunis filium, cui referebant, quae ſibi accidiſſent, 24. nimirum Jovam haud dubie totam hanc terram ſuis manibus eſſe traditurum, omnes enim incolas propter ipſos timore fere eſſe exanimatos.

CAPUT III.

Transeunt Iſraëlitae Jordanum aquis utrinque ſciſſis atque alveo fluminis exſiccato.

1. Poſtridie Joſua caſtra movet ex Schittimo, [a]) et cum omnibus Iſraëlitis proficiſcitur usque ad Jorda-

a) *Maſius* putat, ordinem narrationis in hoc capite usque ad verſ. 14. valde eſſe perturbatum. Veriſimilius videri, ea, quae a verſ. 7—14. narrantur, eſſe prius acta, quam iſta edicta, quae verſ. 2. 3. 4. leguntur, promulgarentur. Credibile eſſe, Joſuam primum certiorem eſſe factum a Deo de ratione transmittendi fluminis, quod verſ. 7. 8. explicatur; deinde vero ipſum, quam a Deo acceperat, trajectus rationem populo indicaſſe, quod narratur v. 9—13.; ac tum demum populo eſſe edictum, ut, ſimulac videret, ſibi arcam praeferri, ſequeretur, v. 2—5. Mox juſſos eſſe ſacerdotes ſublata arca praeire populo, v. 6., atque deinceps ſuccedere narrationem, quae v. 14. inchoatur. Cui aſſentitur *Hubigantius*, ordinem tantum verſuum paulo aliter conſtituens, nempe ſic: e verſu ſecundo verba: *poſt tres dies*; deinde 1. 7. 8. 9. 5. 10. 11. 13. 2. 3. 4. 6. 14. 15. 16. 17. — Negari qui-

danum, ubi pernoctant, antequam transirent. 2. Exactis tribus diebus castra obeunt tribuni, 3. et praecipiunt populo, ut, quando videant arcam legis Jovae, Dei sui, et sacerdotes Levitas eam portantes, ipsi quoque proficiscantur et subsequantur, 4. ita tamen, ut spatium intersit inter ipsos et arcam circiter bis mille cubitorum, ne propius ad eam accedant, ut sciant, qua via eis incedendum sit, quod hanc viam antea nunquam sint ingressi. 5. Josua vero populo edicit, ut sese lustret, postridie enim Jovam inter eos mirum esse facturum. 6. Sacerdotes autem jubet arcam legis portare et populum praecedere, quod etiam fecerunt. — 7. Jova enim cum Josua locutus fuerat hunc in modum: Hodierno die incipiam te illustrem facere coram Israëlitis, ut intelligant, me tibi aeque ac Mosi adesse. 8. Jube, ut sacerdotes arcam legis portantes subsistant, quando ad extremas Jordani aquas pervenerint. — 9. Convocavit igitur Josua Israëlitas [b]) et sic eos allocutus est: Huc adeste, et audite, quae Jova dixit: 10. Ex eo

quidem non potest, hoc vel illo modo ordinem melius sibi constare, atque dubitari vix potest, quin eo ordine res gestae sint. Neque tamen propterea arbitror, scribarum negligentia versuum ordinem esse turbatum, cum constet ex quam plurimis librorum historicorum exemplis, scriptores sacros in narrando minime eam ἀκρίβειαν adhibere, quam in scriptoribus Graecis et Latinis deprehendimus, atque inprimis ordinem temporis saepe negligere. Simile exemplum jam adfuit cap. 2, 17. sqq. In hujusmodi locis tempus praeteritum per plusquamperfectum expressi, quod Hebraei peculiari verbi forma non indicant. Quo adhibito connexio minus dura videtur.

b) H. e. legatos sive deputatos populi. Cf. quae de his notata sunt ad Levit. 8, 3. et Deut. 1, sub [a].

eo intelligetis, Deum vivum inter vos versari, qui ante vos expellet Cananitas, Chetitas, Chivvaeos, Pherefitas, Girgaschaeos, Amoritas et Jebusitas. 11. Arca legis Domini totius terrarum orbis vos antecedet in ipso Jordano. (12. Eligite vero duodecim viros singulos ex singulis tribubus.) c) 13. Simul ac sacerdotes arcam Jovae, totius mundi Domini, portantes pedum vestigia in aqua Jordani ponent; haec scindetur; et quae defluit aqua, subsistet tanquam in cumulum congesta. — 14. Cum igitur populus castra moveret ad Jordanum trajiciendum, et sacerdotes arcam legis portantes populum praecederent, 15. simulac illi, qui arcam portabant, ad Jordanum venissent, et pedes eorum extrema aqua tincti essent, (Jordanus autem messis tempore in ripa sua redundat) 16. stetit aqua, quae defluebat, et tanquam in cumulum excrevit longe admodum ab Adama oppido ad latus Sarthani sito; d) inferior autem aqua a mari campestri, quod est mare salis, excepta est et prorsus sublata. Hac ratione populus e regione Hierichuntis Jordanum trajecit. 17. Sacerdotes arcam portantes stabant in medio Jordani alveo immoti, ita ut omnes Israëlitae sicco pede transirent.

CA-

c) Hic versus utique interrumpit seriem narrationis, cum in sequenti capite v. 2. hoc mandatum repetatur, et dicatur, cui negotio hi viri deberent adhiberi. Sed omnes versiones antiquae eum exhibent, propterea temerarium videtur, eum h. l. omittere, aut ad sequens caput transferre, quod fecit *Hubigantius*.

d) H. e. inundavit aqua totum tractum circa illa oppida.

CAPUT IV.

In memoriam mirandi transitus per Jordanum jubentur Iſraëlitae duodecim lapides ex fluminis alveo tollere et in loco, quo caſtra ſint pofituri, erigere, alios vero in ipſo flumine collocare 1—9. Quibus confectis ſacerdotes cum arca e fluminis alveo aſcendunt, in quem aqua redit. Joſua caſtra ponit Gilgale, ibique lapides illos erigit 10—24.

1. Cum univerſus populus Jordanum trajeciſſet, 2. jubet Jova Joſuam, ut duodecim viri ſinguli e ſingulis tribubus 3. tollant e medio Jordano ex eo ipſo loco, in quo ſacerdotes conſtitiſſent, duodecim lapides, quos transferant et collocent in loco eo, quo hac nocte ſint pernoctaturi. 4. Igitur Joſua evocat duodecim viros Iſraëlitas ſingulos ex ſingulis tribubus, 5. quos jubet accedere ad arcam Jovae in medium Jordanum et tollere ſingulos lapides pro numero tribuum Iſraëliticarum, 6. qui eſſent inter eos monumentum. De quo quando in poſterum eorum liberi interrogarent, quid iſti lapides ſignificarent, 7. reſponderent eis, aquam Jordani ſciſſam eſſe ante arcam legis, cum hoc flumen transiret, atque *lapides* hos perpetuae huius rei memoriae inſervire Iſraëlitis. — 8. Igitur faciunt Iſraëlitae, quod Joſua ex voluntate Jovae juſſit, atque duodecim lapides pro numero tribuum Iſraëliticarum e medio Jordano transferunt et in loco nocturnae ſtationis collocant. 9. Alios vero duodecim lapides ponere jubet Joſua in eo loco, in quo ſacerdotes cum arca legis in medio Jordano conſtiterunt, in quo etiamnum exſtant. [a]) 10. Igitur ſacerdo-

a) Ex hac formula, *usque in hunc diem*, ſaepe in hoc libro obvia, v. c. cap. 5, 3. 8, 29. 9, 27. 10, 27. etc., plane apparet, Joſuam non eſſe

dotes arcam portantes consistunt in Jordano, donec peracta erant omnia, quae Jova Josuae ad populum et quae jam Moses Josuae [b]) praeceperat. 11. Cum omnes sine mora transjecissent, sacerdotes quoque cum arca Dei transeunt et populum praecedunt. 12. Rubenitae quoque, Gaditae et Manassitarum dimidia tribus Israëlitas armati, quemadmodum eis Moses praeceperat, 13. circiter quadraginta millia ad militiam idonei in campos Hierichuntis Jovam antecedunt. 14. Illo die Jova Josuam magnum fecit apud Israëlitas, ita ut eum per omnem ejus vitam revererentur, quemadmodum Mosen erant reveriti. — 15. Cum Josua ex voluntate Jovae 16. juberet sacerdotes arcam legis ferentes e flumine ascendere, 17. atque illi fecissent, quod jussi erant: [c]) 18. aqua Jordani rediit, atque sicuti antea in ripis suis fluxit, simul ac sacerdotes flumine egressi terram continentem pedibus tetigerant. 19. Die decimo mensis primi populus Jordanum trajecit atque castra posuit Hierichunti ab oriente Gilgale, 20. ubi quoque Josua duodecim illos lapides collocavit, quos e Jordano tollendos curaverat, 21. atque Israëlitas admonuit, ut,

esse auctorem hujus libri, sed alium ab Josuae aetate longe remotum. Cf. Celeb. *Eichhorn* in introduct. in V. T. P. II. p. 458. sqq.

b) Difficilem admittunt haec verba explicationem. Nusquam enim legimus, Mosen Josuam instruxisse de trajectus ratione aut de lapidibus illis vel efferendis vel ponendis. Omittunt haec verba *οἱ ὁ*, sed habent ea reliqui interpretes omnes. Universe tantum de obedientia Josuae Mosis admonitionibus praestita sunt intelligenda. *Hubigantius* pro critica sua audaciori ea omittere non dubitavit.

c) Versf. 15. 16. 17. repetuntur pro antiquissimo illo narrandi modo jam ante dicta propter ea, quae versu sequenti adduntur.

ut, si eorum liberi aliquando ex eis quaererent, quid sibi vellent isti lapides, 22. docerent eos, populum Israëliticum sicco pede transiisse Jordanum, 23. nam Jovam, Deum ejus, aquam exsiccasse, donec trajecissent, eodem modo, quo etiam sinum Arabicum eundem in finem arefecerat, 24. ut omnes nationes potentiam Jovae agnoscerent, et ut vos illum Jovam, Deum vestrum, perpetuo reverearamini.

CAPUT V.

Fama mirandi transitus Israëlitarum per Jordanum magnum timorem injicit Cananitarum regibus 1. Jubetur circumcisio Israëlitarum in itinere natorum 2—9. Pascha celebratur et manna cessat 10—12. Videt Josua angelum Jovae populi ducem 13—15.

1. Cum audirent reges Amoritarum in tractu Jordani occidentali, nec non Cananitarum reges maris *mediterranei*, Jovam Jordanum exsiccasse, ut Israëlitae transire possent, summo horum terrore percussi sunt et timore fere exanimati. — 2. Illo tempore Jova Josuam jussit facere cultros lapideos, quibus Israëlitas rursus circumcidere inciperet. 3. Quod cum Josua curasset, circumcisi sunt Israëlitae in colle praeputiorum. 4. Ratio autem hujus circumcisionis fuit haec: Omnes mares, qui ex Aegypto emigrarant ad militiam idonei, mortui erant in peregrinatione per desertum. 5. Hi quidem omnes fuerant circumcisi. Sed qui post illum ex Aegypto exitum nati fuerant, non erant circumcisi. 6. Etenim Israëlitae per quadraginta annos iter fecerant in deserto, usque dum mortui essent omnes armis ferendis idonei ex Aegypto egressi, qui Jovae dicto non audientes fuerant, ita ut Jova juraret, eos non visuros esse terram opti-

optimam et fertiliſſimam, quam eorum majoribus jure-jurando interpoſito promiſiſſet. 7. Quorum in locum ſubſtituit eorum filios, quos Joſua circumcidit. Nam hi erant praeputiati, utpote in itinere non circumciſi. 8. Poſtquam illa caeremonia in omnibus eſſet peracta, ſubſtiterunt in caſtris, donec revaleſcerent. 9. Tum Jova Joſuae dixit: Hodie abstuli a vobis Aegyptiorum opprobrium, hinc locus hic vocatus eſt Gilgal, quod nomen ei etiamnum manſit. — 10. Cum Iſraëlitae caſtra haberent Gilgale, Paſcha celebrarunt quarto decimo die menſis *primi* circa veſperam in planitie Hierichuntis. 11. Poſtridie de frugibus terrae comederunt panes azymos et ſpicas toſtas. 12. Quod cum facere incepiſſent, manna ceſſavit, neque eam amplius habuerunt, ſed veſcebantur proventu terrae hoc ipſo anno. — 13. Aliquando, cum Joſua apud Hierichuntem eſſet, vidit virum ſibi ex adverſo ſtantem et ſtrictum gladium manu tenentem. Ad quem cum acceſſiſſet: Num noſter es, inquit, an hoſtium? 14. Reſpondet ei: [a]) Ego dux exercitus Jovae jam adſum. Tum Joſua pronus in terram cecidit et adoravit, Quid jubes, Domine? inquiens. 15. Ad haec ille: Detrahe calceos pedibus tuis, nam locus, in quo ſtas, ſacer eſt. Quod fecit Joſua.

CA-

a) In voce אל ex lectione recepta codices et verſiones antiquae diſſentiunt. *Oi ó* et Syrus legerunt לו *dixit ei. Kennicottus* duodeviginti codd. citat pro hac lectione. *Lilienthalius* (in comment. crit. p. 149.), cujus prior codex eandem lectionem exhibet, hanc quoque praeferendam cenſet, quoniam alias reſponſio quaeſtioni disjunctivae minus eſſet accommodata. Ego quoque in verſione hanc expreſſi, quanquam neque illam prorſus improbo. Non obſtat particula כִּי, quae ſaepe initio ſermonis redundat, ſive per *imo vero* verti potoſt.

CAPUT VI.

Hierichuntis expugnatio 1 — 21. Rachabae meretricis conservatio 22 — 25. Dirae a Josua dictae in eum, qui oppidum restauraret 26. 27.

1. Hiericho autem propter Israëlitas ita clausa erat et obserata, ut nemo neque exiret neque intraret. 2. Tum Jova Josuae dixit: Tradidi tibi Hierichuntem et regem ejus, homines ob virtutem suam claros. 3. Circumeant oppidum milites senis diebus vicibus singulis. 4. Septem sacerdotes septem tubis canant arcam praecedentes. Septimo autem die oppidum circumeant septem vicibus, et sacerdotes itidem tubis canant. 5. Quando autem tubarum clangorem audietis, clamorem tollant omnes quam maximum, et concident oppidi moenia, ita ut populus ubique possit irrumpere. — 6. Igitur Josua, Nunis filius, convocavit sacerdotes, eisque mandavit, ut arcam legis tollerent, et septem ex eis cum totidem buccinis eam praecederent, clangorem edentes. 7. Militibus autem jussit, ut expediti urbem circumirent arcam Jovae praecedentes. 8. Milites, quod jussi erant a Josua, fecerunt, et septem sacerdotes cum totidem buccinis ante arcam Jovae continuo clangorem ediderunt, haec vero eos subsequebatur. 9. Milites expediti, sacerdotes tubis canentes partim antecesserunt, partim agmen claudentes post arcam iverunt, inter eundum continuo tubis sonantes. 10. Populo autem Josua severe interdixerat, ne clamarent, nec omnino vocem emitterent usque ad eum diem, quo ipse, ut hoc facerent, juberet. — 11. Sic arca Dei oppidum uno ambitu circumivit, rediitque in castra ibique

que pernoctavit. 12. Postridie Josua mane jussit, ut sacerdotes arcam Dei tollerent, 13. et alii septem cum totidem tubis eam praecederent, continuo eis canentes; milites autem arcam partim antecederent, partim agmen clauderent; inter eundum tubis clangor edebatur. 14. Sic secundo die semel oppidum circumierunt, et in castra redierunt, idque fecerunt per sex dies. 15. Septimo autem die mane sub ortum aurorae oppidum eadem ratione septies circumierunt, (quod tamen tantum hoc die factum est) 16. et cum sacerdotes septima vice tubis clangorem darent, jussit Josua populum clamorem tollere, nam Jovam eis oppidum tradidisse. 17. Ipsum oppidum et omnia, quae in eo essent, Jovae devota esse debere, tantum Rachabam meretricem cum omnibus; qui in aedibus ejus essent, conservari, quoniam missos a se viros occultasset. 18. Abstinerent vero a rebus devotis, ne et ipsi devotionis rei fierent, si quid de illis auferrent atque Israëlitarum castris sacrilegii crimen contraherent. 19. Argentum et aurum, vasa aenea et ferrea sacra esse Jovae, in fiscum ejus referenda. 20. Quamprimum igitur milites tubarum sonum audiebant, omnes ingentem clamorem sustulere, quo facto concidit murus, et quo quisque loco stabat, in oppidum irrupit, 21. quod totum devovere, viros et mulieres, juvenes et senes, boves et oves et asinos ferro trucidarunt. 22. Duobus autem viris illis, qui regionem explorarant, Josua mandarat, ut domum illius meretricis adirent, atque ex ea educerent cum ipsam tum suos, quod ei jurejurando promisissent. 23. Quod etiam fecerunt, Ra-

cha-

chabam, ejus patrem, matrem, fratres et omnes ejus cognatos in castra Israëlitarum abduxerunt. 24. Oppidum ipsum igne combustum est, tantum argentum et aurum et vasa aenea et ferrea in fiscum Jovae sunt relata. 25. Rachabam autem meretricem una cum domo ejus paterna et omnibus, quae habebat, servavit Josua, (atque etiamnum de familia ejus inter Israëlitas superstites sunt) quoniam missos a se exploratores occultarat. — 26. Tum Josua has diras pronunciavit: Infelix sit per Jovam, qui hoc oppidum Hierichuntem restaurare conetur. Cum jactura filii sui primogeniti ponat ejus fundamenta, et cum interitu natu minimi collocet portas. 27. Josuae autem Jova ita adfuit, ut fama ejus per totam terram innotescceret.

CAPUT VII.

Ob sacrilegium ab Achane commissum Israëlitae clade afficiuntur 1 — 5. Cum omnes de casu hoc inexpectato vehementer perturbentur, Deus causam indicat 6 — 15. De homine sacrilego supplicium sumitur 16 — 26.

1. Israëlitae autem culpam contraxerant sacrilegio. Nimirum Achan, filius Carmi, nepos Sabdi et pronepos Serachi de tribu Juda, surripuerat nonnulla de rebus devotis, qua de re Jova Israëlitis succensuit. — 2. Misit Josua Hierichunte homines quosdam Ajam, quae juxta Bethaven sita erat ab oriente Bethelis, eisque mandavit, ut regionem explorarent. Quod cum fecissent, 3. redierunt ad Josuam eique indicarunt, non opus esse, ut omnes expeditionem susciperent, duo aut tria millia sufficere ad oppidum capiendum.

Ne

Ne universo populo negotium facesseret, cum pauci essent. 4. Profecti igitur sunt circiter tria millia hominum, qui ab Ajensibus fugiebant. 5. Caedebant praeterea Ajenses ex illis circiter triginta sex, eosque persequebantur a portis, donec eos in locum declivem dejectos dissipassent. [a]) Qua de re omnes vehementer sunt consternati. 6. Josua quidem vestibus laceratis abjecit se in terram ante arcam Jovae usque ad vesperam, nec non Israëlitarum principes, et capita sua pulvere consperserunt. 7. O Domine Jova, inquiebat Josua, cur hunc populum Jordanum traduxisti, si nos perdendos tradere Amoritis decrevisti? Utinam cis Jordanum mansissemus! 8. Quid, quaeso, Domine, dicam, postquam Israëlitae terga dederunt hostibus suis? 9. Audient hoc Cananitae, omnesque hujus terrae incolae nos cingent et nomen nostrum e terrarum orbe delebunt. Quid facies pro nominis tui majestate? 10. Ad haec Jova Josuae respondit: Surge, quid hic pronus jaces? 11. Peccarunt Israëlitae, legem transgressi sunt, quam eis dederam, abstulerunt e rebus devotis, furati sunt, furtum occultarunt et inter sua reposuerunt. 12. Non possunt hostes sustinere, terga eis dabunt, nam sunt sacrilegii rei. Non amplius vobis adero, nisi sacrilegium e medio vestrum sustuleritis. 13. Surge, lustra populum. Dic ei: Lustrate vos in crastinum. Sic enim ait

a) Multi interpretes verba textus הַשְּׁבָרִים vertunt ut nomen proprium loci, *usque ad Sebarim.* Ex antiquis consentientem habent *Vulgatum.* Sed *οἱ ὁ.* ut verbum, *ἕως συνέτριψαν αὐτοὺς, donec eos contrivissent*, sic quoque Chaldaeus, Syrus et Arabs, qui haud dubie legerunt עַד הִשְּׁבָרָם, quos ego in versione sum secutus.

ait Jova, Iſraëlitarum Deus: Sacrilegus eſt inter vos, non poteſtis ferre conſpectum hoſtium veſtrorum, antequam eum e vobis removeritis. 14. Accedite cras tributim. Quam tribum Jova ſorte deſignabit, ea accedat ſecundum domos, domus tandem a Jova notata viritim accedat. 15. Tum qui ſacrilegii reus deprehenſus fuerit, igne comburatur cum ſuis omnibus, nam legem Dei violavit magnumque ſcelus admiſit inter Iſraëlitas. 16. Poſtridie Joſua mane adduxit ſingulas Iſraëlitarum tribus, et ſorte ſignata eſt tribus Juda. 17. Ex cujus familiis [b]) indicata eſt familia Serachi. Quae cum ſecundum domos [c]) acceſſiſſet, notatus eſt Sabdi; 18. cujus domus cum viritim acceſſiſſet, deprehenſus eſt Achan, filius Carmi, nepos Sabdi, pronepos Serachi, e tribu Juda. 19. Hunc Joſua ſic alloquitur: Mi fili, exhibe hunc Jovae, Iſraëlitarum Deo, honorem, confitere culpam a te admiſſam, noli quidquam celare. 20. Reſpondit Achan Joſuae: Sane ego pec-

b) Pro מִשְׁפָּחָה legendum eſſe מִשְׁפָּחוֹת, partim e verſ. 14. apparet, partim ex codicibus et verſionibus antiquis. *Kennicottus* quidem ſex codices pro hac lectione citavit. *Oi ó* habent *κατὰ δήμους*; Vulgatus: *juxta familias*; Syrus: *adduxit tribum Juda ſecundum familias*, quam lectionem etiam exhibet codex 562. *Kennicotti*.

c) Pro לַגְּבָרִים legendum eſſe לַבָּתִּים, nemo dubitet, qui verſum 14. inſpiciat, in quo ordo rei gerendae deſcribitur. Sed exhibent quoque veram lectionem ſex codd. a *Kennicotto* citati. Vulgatus: *per domos*. Item Syrus. Quid *oi ó* legerint, non ſatis clarum eſt. Nam quoniam omittunt verba: וילכד זבדי, poſſunt illa: *καὶ προσήλθη κατ' ἄνδρα*, etiam cum ſequenti verſu connecti. Ex Chaldaeo mendoſam illam lectionem in plerosque codd. fluxiſſe, mirum non eſt.

peccavi in Jovam, Deum Iſraëlitarum. Hoc vero eſt crimen, cujus reus ſum: 21. Vidi in praeda paludamentum Babylonicum pretioſum ducentos ſiclos argenteos, et laminam auream quinquaginta ſiclos pendentem. Quae cum mihi placerent ſurripui. Defoſſa ſunt in terra in tabernaculo meo, argento ſubterpoſito. 22. Tum miſſi a Joſua nuncii currunt ad tabernaculum ibique inveniunt omnia abdita, uti Achan dixerat. 23. Haec capiunt et deferunt ad Joſuam et Iſraëlitarum coetum, et coram Jova expandunt. 24. Quo facto Joſua Achanem, Serachi filium, argentum, paludamentum et laminam auream, filios ejus et filias, [d]) boves, aſinos, oves, tabernaculum et quidquid ille habebat, comitantibus omnibus Iſraëlitis in vallem Achoris deducit, 25. eique dicit: Tu nos perturbaſti, jam te Jova perturbat. Tum lapidibus eos obruunt omnes Iſraëlitae et igne comburunt. Deinde iterum lapides in eos conjiciunt, 26. magnumque ſuper eis acervum congerunt, qui etiamnum exſtat. Quo facto ira Jovae reſedit. Hinc locus ille hodienum vallis Achoris vocatur.

CAPUT VIII.

Ajae expugnatio et deſtructio 1 — 29. Foederis ſolennis renovatio ex lege Moſis praeſcripta 30 — 35.

1. Tum Jova Joſuam juſſit abjecto omni timore et formidine cum omni exercitu Ajam aggredi, velle ſe

d) Conſcios haud dubie facti. Cf. Deut. 24, 16.

ſe ejus regem et incolas, oppidum et terram ei tradere. 2. Idem cum Aja et rege ejus facere debere, quod cum Hierichunte ejusque rege feciſſet, praedam tamen et animalia conceſſa eſſe populo diripienda, inſidias vero ſtruere oppido a tergo. 3. Igitur Joſua paravit expeditionem adverſus Ajam cum omni exercitu, atque ſelegit triginta millia hominum fortiſſimorum, quos noctu dimiſit [a]) 4. cum his mandatis: ut

a) Non leves ſunt difficultates in enarratione ſtratagematis a Joſua ad expugnandam Ajam adhibiti. Primo dubium videri poteſt, quomodo triginta millia hominum per integrum diem in inſidiis latere potuerint. Deinde, quomodo et cur ſecundum verſ. 12. a Joſua illis inſidiis aliae quinque millium hominum in eodem loco collocandae addantur. *Maſius* quidem: exiſtimat, non univerſum populum a Joſua in hanc expeditionem productum eſſe, ſed tantum triginta millia, ex quibus quinque millia in inſidiis eſſent collocata. Obſcuritatem vero in hoc et ſimilibus locis repetit ex annalibus diverſis alio et alio ordine diverſisque verbis ſcriptis, in quibus contrahendis is, qui hunc librum compoſuerit, non ſatis ad diverſitatem illam attenderit. Sed hac ratione *Maſius* multis videbitur nodum magis ſecaſſe, quam ſolviſſe. Idem fecit *Hubigantius*, qui primam verſ. 12. partem ad verſ. 13. transfert et utrumque ſic vertit: *Cum interea illi, qui inſidias collocarant, inter Bethel erant et urbem Hai, ad occidentem Hai.* 13. *Erant autem populi univerſi caſtra ita poſita, ut caput eorum eſſet ad urbis aquilonem, poſtrema agmina* (ſic vertit עקב Vulgatum fere ſecutus) *ad occidentem; cepit autem Joſua circiter quinque millia hominum, ivitque nocte illa mediam in vallem.* — Ex verſione Graeca apparet, fuiſſe diſſenſum aut variationem h. l. in antiquiſſimis codd. Etenim illa maximam partem v. 12. omittit et haec tantum habet: *καὶ τὰ ἔνεδρα τῆς πόλεως ἀπὸ θαλάσσης.* Verſum autem 13. prorſus non exhibet. Sed Vulg., Syrus, Chald., Arabs conſentiunt cum lectione recepta, quanquam in verbis reddendis paullulum variant. Equidem non potui difficultatem indicatam ſilentio praeterire, ſed non audeo rem inextricabilem explicare.

post oppidum; nec tamen nimis remoti ab eo, essent in insidiis et omnes parati, 5. se cum omnibus suis copiis oppidum esse aggressurum, et quando hostes eruptionem facerent uti antea, fugam simulaturum. 6. Illos se persequentes fuga simulata velle se ab oppido abscindere, (nam facile eos credituros se fugere uti antea) 7. tum ex insidiis eos debere prorumpere et occupare oppidum, quod Jova eis esset traditurus, 8. et igne incendere; facerent omnia diligenter, quae ex voluntate Jovae eis praecepisset. 9. Sic dimissi a Josua abierunt ad insidias, et consederunt inter Bethelem et Ajam, ab occidentali hujus parte. Josua autem noctem transegit in exercitu, 10. quem postridie mane recensitum ipse cum principibus Israëlitarum ad oppidum duxit. 11. Igitur totus exercitus, qui cum Josua erat, in conspectum urbis processit, valle tantum inter eum et Ajam interjecta. 12. Circiter quinque millia in insidiis collocavit inter Bethelem et Ajam, ab occidentali hujus parte. 13. Sic totius exercitus castris oppido a septentrione positis, insidiis vero ab occidente, Josua hac ipsa nocte processit in vallem. 14. Quod cum rex Ajae vidisset, ipse propere cum omnibus oppidanis tempore constituto eruptionem fecit in Israëlitas in loco campestri, ignarus insidiarum oppido a tergo imminentium. 15. Tum Josua cum suis veluti caesi fugerunt versus desertum. 16. Quo facto omnes oppidani evocati sunt ad persequendos Israëlitas. Sic vero ab oppido avulsi sunt. 17. Nemine neque Ajae neque Bethele remanente oppidum apertum reliquerunt, omnes ad persequendos Israëlitas conversi. 18. Tum vero Jova Josuam jussit

fit hastam, quam manu tenebat; versus Ajam extendere, quoniam eam ei tradidisset. Quod simul ac Josua fecisset, 19. insidiae repente e loco suo proruperunt, ad oppidum contenderunt, idque captum statim incenderunt. 20. Oppidani cum respexissent, viderunt fumum oppidi ascendentem, neque in ullam partem elabendi locum habuerunt. Nam *Israëlitae*, qui ad desertum fugerant, jam sese converterunt in persecutores suos. 21. Josua vero cum suis, ex fumo intelligentes, oppidum ab insidiis captum esse, conversi oppidanos quoque aggressi sunt. 22. Illi quoque, *qui oppidum incenderunt*, ex eo eis occurrunt, ita ut essent ab Israëlitis ab utraque parte cincti, qui omnes interfecerunt, nemine relicto aut superstite. 23. Regem Ajensem, vivum ceperunt, quem ad Josuam duxerunt. 24. Postquam Israëlitae omnes oppidi incolas, quos partim in campis, partim in deserto eos persequentes assequi poterant, ferro trucidarant, reversi ad oppidum ipsum, hujus quoque reliquos incolas gladio interfecerunt. 25. Numerus autem Ajensium omnium cum virorum, tum feminarum, qui eo die perierunt, fuit duodecim millium. 26. Josua manum suam cum hasta protensa non reduxit, donec omnes Ajae incolae essent devoti. 27. Animalia tantum et reliquam oppidi praedam sibi diripuerunt Israëlitae ex concessione Jovae per Josuam data. 28. Tandem Ajam ipsam combussit Josua et in rudus perpetuae vastitatis redegit, quod etiamnum superest. 29. Regem vero Ajensem e patibulo suspendi jussit usque ad vesperam, sub occasum solis autem cadaver e patibulo sublatum abjici ad portam oppidi, ma-

magno lapidum acervo ſuper eo congeſto, qui adhuc exſtat. — 30. Tunc Joſua exſtruxit aram Jovae, Iſraëlitarum Deo, in monte Ebal, 31. quemadmodum Moſes, Jovae miniſter, in lege ſua Iſraëlitis praeceperat. [b]) Haec ara fuit ex lapidibus integris, non adhibito inſtrumento ferreo in eorum conſtructione. Super ea holocauſta fecerunt Jovae et ſacrificia euchariſtica obtulerunt. 32. Inſculpta quoque eſt ibidem tabulis lapideis repetitio legis Moſaicae, quam Iſraëlitis dederat. 33. Omnes Iſraëlitae, nempe ſenatores, ſcribae et judices, ab utroque arcae latere ſteterunt è regione ſacerdotum Levitarum arcam legis portantium, peregrini aeque ac indigenae, altera eorum pars verſus montem Garizim, altera verſus montem Ebal, quemadmodum Moſes, Jovae miniſter, praeceperat, primo quidem ad bene precandum Iſraëlitico populo; 34. deinde etiam praelegit totam legem, cum promiſſiones tum comminationes in libro legis ſcriptas. 35. Nihil eorum, quae Moſes praeceperat, Joſua emiſit, praelegit omnia univerſo coetui Iſraëlitarum, mulieribus quoque et infantibus, et peregrinis inter eos degentibus.

CA-

b) Deut. 11, 29. et cap. 27, 1 ſeqq.

CAPUT IX.

Gibeonitae fraude adhibita pacem ab Israëlitis impetrant 1 — 15. Hi quidem pacis conditiones servant, sed ad perpetuam servitutem eos condemnant 16 — 27.

1. Cum haec audivissent reges trans Jordanum, Chetitarum, Amoritarum, Cananitarum, Pherezitarum, Hevitarum et Jebusitarum, regionem montanam et campestrem et oram maritimam tenentes: 2. conspirarunt omnes ad bellum gerendum cum Josua et Israëlitis. 3. Gibeonitae autem certiores facti de iis, quae Josua Hierichunti et Ajae fecisset, 4. dolum adhibuerunt. [a]) Nimirum hujusmodi commeatu se instruunt. [b]) Saccos veteres et utres vini obsoletos, lacerates et resartos asinis suis imponunt. 5. Calceos induunt, veteres et consutos, et vestibus contritis sese amiciunt.

Panis

a) Vocabulum גַּם *etiam* non nisi difficilem admittit explicationem, et tamen exprimunt illud omnes versiones antiquae. Non apparet, cum quo hic Gibeonitarum dolus comparetur, nam in antecedentibus nullius doli mentio fit. Alii ad dolum Israëlitarum referunt, quo Ajam expugnarunt, quod nimis remotum videtur. Alii ad reges Cananitarum modo memoratos, qui resistere Israëlitis ausi fuissent, *etiam* Gibeonitae suae saluti prospexisse, sed dolo. In qua explicatione nimis multa sunt supplenda. *Michaelis* junxit cum שמעו in versu praeced. 3, *Gibeonitae, qui quoque audierant, quae Josua* et rel., 4. *dolum adhibuerunt*. In explicatione adeo dubia illud גַּם omisi, quoniam salvo sensu omitti poterat; attamen lectores de eo admonendos putavi.

b) Pro יְצַיָּדוּ legerunt omnes interpretes antiqui וְצַיָּדוּ. Nam οἱ ὁ vertunt ἐπεσιτίσαντο, Vulg. *tulerunt sibi cibaria*. Similiter Chald., Syrus et Arabs. Praeterea confirmant hanc lectionem vers. 11. et 12., ubi idem repetitur. Sed hoc jam a *Cappello* in Critica S. Lib. V. Cap. 2, 2., et *Clerico*, qui tamen alteram lectionem aeque bonam judicat, observatum est. Addo, *Kennicottum* pro hac lectione sex codices citare.

Panis, quem in viaticum secum sumunt, aridus est et mucidus. 6. Sic instructi veniunt ad Josuam in castra Gilgale, atque huic et Israëlitis dicunt, se e terra longinqua venire, et rogare, ut foedus secum ineant. 7. Cum Israëlitae his Hevitis dicerent, eos fortasse hac ipsa in terra habitare, quam occupare velint, igitur se non posse foedus cum illis pangere; 8. respondent Josuae, se in ejus fore potestate; et cum denuo ex iis quaereret, cujates essent et unde venirent? 9. in hunc modum verba faciunt: E terra perquam remota venimus reverentia in Jovam, Deum vestrum, impulsi. Fama enim ejus ad nos quoque pervenit, et omnia, quae fecit Aegypto 10. et duobus Amoritarum regibus cis Jordanum, Sihoni, regi Hesbonis, et Ogo, Basanis regi Aschdatarote. 11. Propterea mandarunt nobis senatores et populares nostri, ut commeatu instructi vobis obviam veniremus, nos submitteremus, et de foedere nobiscum pangendo rogaremus. 12. Hic panis, quem in victum nobis parabamus, calidus erat, cum iter ad vos ingrederemur, et ecce, jam exaruit et mucidus factus est. 13. Hi vini utres, quos novos implevimus, jam fissi sunt. Vestes et calcei obsoleverunt per itineris longinquitatem. 14. Tum acceperunt Israëlitarum proceres aliquid de eorum commeatu, Jova non consulto, 15. et Josua cum eis pacem fecit et icto foedere salutem concessit; principes quoque senatus eis jurarunt. 16. Tribus diebus post, cum jam foedus cum iis pepigissent, audiunt, eos sibi admodum propinquos esse et eandem regionem inhabitare. 17. Atque etiam re vera Israëlitae, cum progressi essent, tertio die ad eorum oppida vene-

venerunt, (erant haec Gibeon, Cephira, Beeroth et Kiriathjearim) 18. ſed eos non interfecerunt, quod principes ſenatus eis per Jovam, Iſraëlitarum Deum, juraverant. Populus quidem aegre ferebat hoc, quod fecerant principes. 19. Verum hi demonſtrabant populo, propter jurisjurandi ſanctitatem non poſſe eos violari. 20. Sed ita cum eis agemus, inquiebant, vivos eos conſervabimus, ne nobis propter jusjurandum Deus iraſcatur. 21. Vivant, ſed ſint lignatores et lixiones publici. Ex hac principum ſententia 22. convocat eos ad ſe Joſua et ſic eis dicit: Cur nos decepiſtis, quaſi a nobis valde eſſetis remoti, cum tamen inter nos habitetis? 23. Propterea ad hoc ſervitium debetis eſſe devoti, quod ſemper e vobis ſumantur lignatores et lixiones ad cultum Deo meo praeſtandum. 24. Reſpondent Joſuae: Cum indicatum nobis eſſet, Jovam, Deum tuum, praecepiſſe Moſi, miniſtro ſuo, totam hanc terram ejusque incolas devovere, de vita noſtra poſt adventum veſtrum ſolliciti hoc fecimus. 25. Jam vero ſumus in poteſtate tua, age nobiscum pro arbitrio tuo. 26. Joſua igitur fecit eis, quod dixerat, et ſic eos ab Iſraëlitarum ira defendit, quo minus interficerentur. 27. Deſtinavit eos, ut eſſent calones et lixiones publici ad aram Jovae in loco cultui ejus dicato. Quo opere etiamnum funguntur.

CA-

CAPUT X.

Quinque Cananitarum reges obsident Gibeonem 1—5., cui Josua auxilium fert. Reges illos aggreditur et magna clade afficit 6—15. Reges ipsos vivos capit et trucidat 16—27. Post hanc victoriam omnia tractus meridionalis oppida expugnat eorumque incolas devovet 28—43.

1. Cum Adonisedek, rex Hierosolymae, audiret, Josuam expugnasse Ajam et devovisse eodem modo, quo Hierichuntem ejusque regem, atque Gibeonitas pacem fecisse cum Israëlitis, ut inter eas habitarent: 2. magno timore est perculsus, nam Gibeon oppidum erat magnitudine eis, quae reges habebant, par; majus Aja, et incolae ejus omnes bellicosi. 3. Misit igitur ille Adonisedek, Hierosolymae rex, ad Hohamum Chebronis, Piramum Jarmuthae, Japhiam Lachischae, et Debirum Eglonis reges, atque eos rogavit, 4. ut sibi auxilium ferrent ad Gibeonem destruendam, quod pacem fecisset cum Josua et Israëlitis. 5. Quinque illi Amoritarum reges, nimirum Hierosolymitanus, Chebronensis, Jarmuthensis, Lachischensis, Eglonensis, coactis omnibus suis copiis expeditionem suscipiunt, castrisque juxta Gibeonem positis eam oppugnant. 6. Gibeonitae mittunt ad Josuam in castra Gilgalensia, et rogant, ne se auxilio destituat, et sine mora ad suam defensionem approperet, omnes enim Amoritarum reges montanos contra se conspirasse. — 7. Josua cum omni exercitu, viris fortissimis, Gilgale proficiscitur, 8. a Jova admonitus, ne eos timeret, se enim eos ipsi traditurum esse et in fugam conversurum. 9. Opprimit eos ex improviso, nam tota nocte Gilgale profectus erat, 10. atque a Jova conturbatos magna clade eos Israëlitae afficiunt

ciunt Gibeone, unde eos persequuntur versus Bethchoronem et profligant usque ad Asekam et Makkedam. 11. In hac eorum fuga post inferiorem partem Bethchoronis Jova tantam grandinem in eos usque ad Asekam dejecit, ut plures ea perirent, quam ab Israëlitis gladio interficerentur. 12. Tunc allocutus est Josua Jovam, cum hic Amoritas Israëlitis tradidisset, et dixit praesentibus Israëlitis: Sol, morare Gibeone, et luna, in valle Ajalon! 13. Et morabatur sol et substitit luna, donec ultionem sumsisset populus ab hostibus suis. [a]) Ita enim scriptum

a) Quanquam in explicanda hac ὁρμῇ sine haesitatione iis assentior interpretibus, qui negant, motum astrorum impeditum fuisse, et poëtice tantum dici, Josuam per integrum diem et totam noctem hostes esse persecutum: tamen hoc non impedire videtur, quominus aliquid extraordinarii, nec tamen prorsus inauditi exstiterit, nempe ut per refractionem sol supra horizontem esse videretur, postquam jam occiderat; quod vero a poëta suo more, aut uti oculis visum fuerat, ornatum est et descriptum. Josua fortasse hujusmodi quid precatus fuerat a Deo audientibus aliis, et Deus votis ejus annuit. In quam sententiam me impellunt verba versuum 12. et 13., quae non putem verba esse libri mox citandi, sed auctoris, qui ex annalibus, quos in manibus habebat, haec excerpsit. Quibus deinde addidit testimonium illud ex libro canticorum. Igitur neque assentior Ill. *Michaeli*, qui in vers. 12. med. putat incipere citatum illud, formulam autem citandi in medio positam. Quod recte, uti arbitror, a Cel. *Eichhorn* (in Introduct. in Vet. Test. Tom. II. p. 466.) notatum est statui contra consuetudinem scriptorum Hebraeorum. Neque tamen versus 12. et 13. putem esse initium carminis triumphalis, quod Josua cum Israëlitis post illam victoriam cecinerit, quae sententia est Cel. *Eichhorn*. Etenim si hujusmodi carmine victoria illa esset celebrata, haud dubie scriptor sacer hanc solennitatem verbis clarioribus indicasset, ut Exod. 15. 1. Non minus dubia mihi videtur S. R. *Herderi* sententia, qui (de genio poëseos

ptum exſtat in libro canticorum: b) Stetit ſol in medio coelo, nec feſtinavit occidere per diem integrum. 14. Qualis dies neque antea neque poſtea fuit, ut ita Jova hominis vocem exaudiret. Nimirum Deus pugnabat pro Iſraële. — 15. Quibus confectis rediit Joſua cum omnibus Iſraëlitis Gilgalem in caſtra. c) — 16. Quinque

---

ëſeos Hebr. P. II. p. 247.) totum hunc locum unius carminis poëticam deſcriptionem ſtatuit, atque adeo verſum 11. et priorem partem 12. ſtilo poëtico ſcriptam putat. At enimvero ſi in his quoque Vir Cel. ſtilum poëticum agnoſcit, miror, eum non integrum caput, aut potiorem totius libri partem poëtice ſcriptam ſtatuere, quae huic in ſtilo eſt ſimillima et facili negotio in longiores et breviores lineas poteſt dirimi. Quae difficultates omnes removentur, ſi ſumamus, in verſſ. 12. et 13. auctorem libri narrare rem geſtam, prouti eam in commentariis, quibus utebatur, narratam inveniebat, atque inſuper addere teſtimonium de eadem re ex libro citato, quod ei inter ſcribendum in mentem venerat.

b) Librum, qui ſub titulo סֵפֶר הַיָּשָׁר in h. l. et 2 Sam. 1, 18. citatur, collectionem canticorum continuiſſe, ipſa illa citata luculenter evincunt. In hoc quidem loco exhibentur verſiculi nonnulli carminis in memoriam victoriae illius inſignis. In altero legimus elegiam illam pulcherrimam a Davide in memoriam Jonathanis et Sauli ſcriptam. In origine nominis ישר tantum laborant interpretes, cujus vulgaris ſignificatio *recti* carminum collectioni non ſatis apta videtur. Qui varias virorum doctorum ſententias noſſe cupit, evolvat *Wolfium* in Biblioth. Hebr. T. II. p. 219. ſqq. Ex verſionibus antiquis Syriaca in h. l. vertit בְּסַפְרֹא דְתֶשְׁפְּחוֹתָא *in libro carminum*. Sed in altero loco 2 Sam. 1, 18. בַּסֵּפֶר אֲשִׁיר, in quo interpres, diverſus fortaſſe ab illo, non titulum explicaſſe, ſed Hebraicum retinuiſſe videtur, quod etiam Arabs fecit, qui vero in noſtro loco habet: *in libro recti*. *Jonathan* in utroque loco habet: *in libro legis*. Vulg.: *in libro juſtorum*. *Οἱ ὁ* in noſtro loco citationem omittunt; in altero habent: *ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς*.

c) Hunc verſum alieno loco poſitum, tantum in fine capitis legendum eſſe, ubi etiam repetitur, contextus evincit. Quod a pluribus

que autem reges isti in fuga sese abdiderant in spelunca quadam Makkedae. 17. Quod cum Josuae esset indicatum, 18. jussit, ut istius speluncae introitus magnis lapidibus obstrueretur, et custodes ad eum collocarentur. 19. Militibus vero imperavit, ut ab hostibus persequendis non remitterent, sed extremos eorum carperent, nec receptum eis in oppida concederent, cum Jova eos ipsis tradidisset. 20. Postquam Josua et Israëlitae tanta clade hostes ad internecionem affecerant, paucis tantum ex his in oppida munita elapsis, 21. omnes ad Josuam in castra Makkedae incolumes reverterunt, nec quisquam [d]) contra Israëlitas vel mutire ausus est. — 22. Tunc Josua jussit, ut introitu speluncae aperto educerentur quinque illi reges. 23. Quod cum factum esset, 24. convocavit Israëlitas atque duces exercitus, qui ipsum comitati fuerant, jussit eos accedere et pedes suos illorum regum cervicibus imponere. Quod cum fecissent, 25. sic eos est allocutus: Nolite timere, fortes estote et imperterriti, sic enim faciet Jova omnibus hostibus vestris, cum quibus bellum geritis. 26. Deinde

ribus interpretibus et criticis jam est observatum. Nam secundum vers. 21. Israëlitae post primam victoriam in castra Makkedam reverterunt, et post complures complurium dierum victorias, quarum catalogus a vers. 18—42. exhibetur, tandem Gilgalem redierunt. — Nova ratione hunc versum vindicare studet Ill. *Michaelis*, dum eum non verba scriptoris, sed carminis citati esse arbitratur. Quae si cui probabilis videtur, non contradicam. *Oi ὁ* hunc versum non legerunt in codice suo, sed reliqui interpretes.

d) Non inepta videtur conjectura *Hubigantii*, litteram ל ante אדם abesse debere et ex praecedenti voce scribarum errore esse repetitum; alias vertendum esse: *non acuta est homini lingua sua*. Sed חדד in simili loco active dicitur Exod. 11, 7.

inde jussit reges istos interfici et in quinque patibulis suspendi. E quibus usque ad vesperam pendebant. 27. Sub occasum vero solis jussit Josua, ut ex patibulis demissi abjicerentur in speluncam, in qua sese abdiderant, atque ejus aditus magnis lapidibus obstruerentur, qui etiamnum videri possunt. — 28. Eodem die Josua cepit Makkedam, cujus regem omnesque incolas ferro trucidavit, neminem sivit esse superstitem. Idem fecit regi Makkedensi, quod Hierichuntino. 29. Inde progressus est cum toto Israëlitarum exercitu Libnam, eamque oppugnavit. 30. Quam cum Jova ut et regem ejus Israëlitis tradidisset, incolas omnes nemine relicto gladio occidit. Idem fecit ejus regi, quod Hierichuntino. 31. E Libna profectus est Josua cum toto Israëlitarum exercitu Lachischam, quam castris positis oppugnavit. 32. Sed hanc quoque juvante Deo die secundo cepit, omnesque homines nemine relicto occidit eodem modo, quo Libnae fecerat. 33. Huic Lachischae in auxilium venit Horam, rex Geserensis, sed Josua eum clade totali prostravit. 34. E Lachischa Josua cum exercitu suo progressus est Eglonem, quam oppugnatam 35. eodem die cepit, incolas gladio peremit et devovit, sicut Lachischae fecerat. 36. Inde profectus est Hebronem, quam ex oppugnatione 37. cepit et regem ejus gladio interfecit. Municipia ejus omnesque oppidanos devovit, nemine relicto, quemadmodum Egloni fecerat. 38. Conversus deinde cum copiis suis aggressus est Debiram, quam ex oppugnatione 39. cepit. Regem ejus et municipiorum incolas ferro trucidavit et omnes omnino homines devovit, quemadmodum He-

bro-

broni et Libnae eorumque regibus fecerat. 40. Sic vastavit Josua totam illam regionem montanam, meridionalem, campestrem, et quae sub montium radicibus erant. e) Reges eorum interfecit, neminem superstitem reliquit, homines omnes interemit, quemadmodum Jova, Israëlitarum Deus, praeceperat. 41. A Kadeschbarnea usque ad Gazam, terram Goschen et Gibeonem, 42. una expeditione Josua his regibus et eorum terris potitus est. Nam Jova, Israëlitarum Deus, pro eis pugnabat. 43. Tandem cum toto Israëlitarum exercitu in castra Gilgalensia rediit.

CAPUT XI.

Josua post magnam cladem, qua reges Cananitarum septentrionales profligavit, totum illum tractum occupat 1—15., qui describitur 16—20. Troglodytas quoque delet, tandemque bellandi finem facit 21—23.

1. Cum Jabin, rex Chazoris, haec audiret, misit ad Jobabum, Madonis, et ad Schimronem, Achschaphi reges, 2. ut et ad reges septentrionales; montanos et campestres, et meridionales Genezarethi et orae maritimae in tractibus Dorae ab occidente. 3. Ad Cananitas orientales et occidentales, Amoritas, Hethitas, Pherezitas, Jebusitas montanos, ad Hevitas sub Hermone in terra Mizpa. 4. Qui omnes cum copiis suis, quae arenam maris multitudine aequabant, et ingenti equorum et curruum numero 5. convenerunt ca-

---

e) Vel: *et nomadum bubilia* s. *ovilia*, ex significatione vocabuli אשרה Arabica. Sic *Faber* in Archaeol. Hebr. p. 179.

castris ad lacum Meromi positis, ut proelio decertarent cum Israëlitis. 6. At Jova jussit Josuam omnem metum deponere, postridie velle se hostes illos omnes Israëlitis trucidandos objicere; equis eorum poplites succideret, currus igne cremaret. 7. Igitur Josua cum toto exercitu suo ad lacum Meromi eos derepente aggressus est, 8. et Jova tradidit eos Israëlitis, qui eos profligarunt et persecuti sunt usque ad Sidonem metropolin et salinas [a]) et usque ad vallem Mizpeh ab oriente; neminem sivit esse superstitem. 9. Eorum equis Josua ex voluntate Jovae poplites praecidit, currus combussit. 10. Quo facto revertit atque Chazorem, quae olim horum regnorum metropolis fuit, occupavit, et regem ejus gladio interfecit. 11. Homines omnes occidit et devovit nemine relicto, urbem ipsam concremavit. 12. Idem illud fecit omnibus istorum regum oppidis, quemadmodum Moses, Dei minister, prae-

a) Dissentiunt interpretes circa vocabula Hebraica, quae h. l. leguntur, מִשְׂרְפוֹת מַיִם, num sint nomen proprium loci, an appellative dicta. *Hubigantius* quidem more suo reprehendit *Clericum*, qui puncta recepta defendit et vertit: *ad aquas calentes*; quales in illis regionibus fuisse, ex scriptoribus profanis probat. Ille vero legere vult מִיָּם *a mari*, h. e. ab occidente, et sub Masrephoth Sareptam Sidoniorum intelligit. Chaldaeus vertit: *fossas* s. *lacunas aquarum*, quas Judaei explicant de fossis illis, in quas maris aqua salsuginosa deducta fuerit et solis fervore excocta. *Aquila* et *Symmachus* ut nomen proprium retinent. Ille tamen vertit מַיִם *τῶν ὑδάτων*. Hic vero legit מִיָּם *ἀπὸ θαλάττης*. Vulg. *ad aquas Masrephoth*. Sed *οἱ ὁ* integras voces ex lectione recepta exhibent: *μασρεφὼθ μαεὶμ*, in cod. Alex., sed in Vaticano legitur *καὶ ἕως Μασερών*. Syrus habet usque ad לְבֵית כֶּנְשֹׁא דְמַיֹּא *locum receptaculi aquarum*, qui igitur quoque de salinis intellexisse videtur. Arabs: *usque ad locum aquae calidae*.

praeceperat. 13. Ex quibus tamen ea, quae in locis eminentioribus fita erant, non combuffit praeter unam Chazorem. 14. Praedam iftorum oppidorum et pecudes Ifraëlitae diripuerunt; homines tantum omnes deleverunt, neminem ex his fuperftitem reliquerunt. 15. Quae Jova Mofi atque hic Jofuae praeceperat, haec omnia fumma fide exfecutus eft Jofua. 16. Occupavit totam hanc terram, tractum montanum, meridionalem, terram Gofchen, planitiem, loca campeftria, montes Ifraëliticos et planitiem eis fubjectam, 17. a monte glabro, qui vergit ad Seirem, usque ad Baalgad in valle Libani fub monte Hermone; horum reges omnes cepit et fupplicio affecit. 18. Bellum autem, quod Jofua cum his regibus geffit, fuit diuturnum. 19. Nulla erat civitas, quae pacem faceret cum Ifraëlitis praeter Hevitas, qui Gibeonem incolebant; reliquis omnibus bello potiti funt. 20. Nimirum Jova permittente factum eft, ut animis obftinatis bello Ifraëlitis refifterent, utque fic fine omni mifericordia delerentur et perderentur, quod Jova Mofi praeceperat. — 21. Eo tempore quoque Jofua deturbavit troglodytas e montibus, ex Hebrone, Debire, Anaba, et ex omnibus Judaeae et Ifraëlis montibus, devotis eorum oppidis. 22. Nullos reliquit in terra Ifraëlitica troglodytas, praeter Gazae, Gathae et Afchdodae. 23. Hanc igitur terram a Jofua, quemadmodum Jova Mofi praeceperat, occupatam inter Ifraëlitas fecundum eorum tribus distribuit, quae poft bella ifta pace fruebatur.

CAPUT XII.

Reconlentur reges partim a Mose cis Jordanum victi, Sichon et Ogus 1—6., partim a Josua trans Jordanum debellati imus et triginta 7—24.

1. Reges, quorum terram Israëlitae eis victis occuparunt cis Jordanum ab oriente, a flumine Arnone usque ad montem Hermonem omnemque tractum campestrem orientalem, 2. fuerunt: Sichon, rex Amoritarum, cujus regia fuit Chefchbon, fines autem regni ab Aroëre, quod est ad littus fluminis Arnonis et a dimidio illius fluminis et Gileaditis usque ad flumen Jabokum; 3. porro planities lacus Genezareth versus orientem usque ad mare campestre, quod est mare salsuginosum versus Bethjeschimoth; a meridie vero a radicibus montis Pisgae. 4. Tum Ogus, rex Basanis, de gigantibus superstes, qui Aschtarotae et Edreae sedem regiam habebat. 5. Is imperio tenebat montem Hermonem, Salcam, totam Basanem usque ad terminos Geschuraeorum et Maachatitarum et partem dimidiam Gileaditidis, ubi incipiebant termini Sichonis, regis Heschbonis. 6. Hos reges Moses, minister Jovae, et Israëlitae bello superarant, atque ille horum terram Rubenitis, Gaditis et dimidiae Manassitarum tribui possidendam assignaverat. — — 7. Reges autem, quos Josua et Israëlitae trans Jordanum ab occidente debellabant, regnarunt a Baalgad usque ad vallem Libani et montem glabrum, qui vergit ad Seirum. Horum terram Josua inter Israëlitarum tribus divisit, 8. regiones montanas et planities, campestres et quae montibus subjacent, [a]) desertas et meridionales Hethi-

ta-

a) Hebr. ובאשדות, de quo supra cap. 11, 10. observatum est, posse etiam verti: *nomadum bubilia.*

tarum, Amoritarum, Cananitarum, Pherefitarum, Hevitarum et Jebufitarum. 9. E quibus fuit rex Hierichuntis, rex Ajae, quae eſt ad latus Bethelis, 10. rex Hieroſolymae, rex Hebronis, 11. rex Jarmuthae, rex Lachiſchae, 12. rex Eglonis, rex Geſeris, 13. rex Debiri, rex Gederi, 14. rex Chormae, rex Aradi, 15. rex Libnae, rex Adullami, 16. rex Makedae, rex Bethelis, 17. rex Tappuchae, rex Chepheri, 18. rex Apheki, rex Scharonis, 19. rex Madonis, rex Chazoris, 20. rex Schimronmeronis, rex Achſchaphi, 21. rex Taanachi, rex Megiddonis, 22. rex Kedeſchi, rex Jokneami ad Carmelum, 23. rex Dori in tractu Dori, rex Gojitarum b) in Gilgale, 24. rex Tirzae. Quorum regum omnium ſumma eſt unus et triginta.

CAPUT XIII.

Jubetur Joſua novem tribubus et dimidiae Iſraelitarum terram tum occupatam tum occupandam distribuere 1—7. Tres et dimidia tribus portiones ſuas cis Jordanum jam a Moſe acceperant, quarum fines deſcribuntur 8—33.

1. Joſuam, cum jam aetate eſſet provectiori, Jova ſic eſt allocutus: Tu jam conſenuiſti, et tamen multum terrae adhuc ſupereſt occupandae; 2. nimirum haec: tota Philiſtaeorum et Geſchuraeorum regio, 3. quae a Nilo contra Aegyptum usque ad terminos Ekronis verſus ſeptentrionem patens, pars eſt Cananaeae; quin que Philiſtaeorum ducatus, Gaza, Aſchdod, Aſchkelon, Gath, Ekron et Avitae; 4. a meridie tota terra

b) Horum mentio quoque fit Jud. 4, 2.

Cananitarum et ſpelunca Sidoniorum usque ad Aphekam et ſines Amoritarum; 5. tum terra Gibli, totus Libanus a parte orientali a Baalgad ſub monte Hermone usque Chamatham; 6. omnes montium incolae a Libano usque ad ſalinas, [a]) omnes Sidonii. Quos omnes ante Iſraëlitas expellam *deinceps*. Jam quidem ſorte hanc terram distribue inter eos, 7. nempe novem tribubus et dimidiae Manaſſitarum tribui. 8. Hujus enim altera pars, ut et Rubenitae et Gaditae ſuas poſſeſſiones jam acceperant a Moſe in tractu Jordani orientali, quemadmodum Jova ei praeceperat, 9. ab Aroëre in littore Arnonis una cum oppido in inſula hujus fluminis ſito, omnem planitiem Medabae usque ad Dibonem, 10. omnia oppida Sichonis, regis Amoritarum, qui regiam ſedem habebat Cheſchbone, usque ad terminos Ammonitarum, 11. Gileaditidem, Geſchurem et Maacham, totum Hermonem montem, totamque Baſanem usque ad Salcam, 12. totum regnum Ogi, regis Baſanis, qui Aſchtaarote et Edreae ſedem regni habebat, atque ſolus ex gigantibus ſuperſtes erat, quos Moſes profligavit eorumque terram occupavit, 13. praeter Geſchuraeós et Maachitas, quos Iſraëlitae non depulerunt; hinc factum eſt, ut illi etiamnum inter hos habitent. 14. Levitis autem nullae aſſignabantur poſſeſſiones, quarum looo eis eſſe debebant ſacrificia Jovae, Dei Iſraëlitarum, quod eis promiſerat. [b]) — 15. Rubenitis quidem ſecundum gentilitates ſuas has poſ-

a) De his vid. obſervata ad cap. 11, 8.

b) Num. 18, 18 ſqq.

possessiones distribuerat, 16. quarum termini erant ab Aroëre in littore fluminis Arnonis una cum oppido in insula hujus fluminis, totam planitiem, quae est ad Medebam, 17. Cheschbonem cum oppidis suis in planitie, Dibonem, Bamothbaalam, Bethbaalammeonem, 18. Jahzam, Kedemoth, Mepaatam, 19. Kiriatajim, Sibmam, Serethhassacharem in monte vallis, 20. Bethpeorem, loca declivia *montis* Pisgae, Bethjeschimoth, 21. omnia oppida campestria et totum omnino regnum Sichonis, regis Amoritarum, Cheschbone sedem regiam habentis, quem Moses profligavit, ut et Midianitarum principes, Evimum, Rekemum, Zurum, Churum et Rebam, Sichonis praefectos, terrae incolas. (22. Tum quoque Israëlitae Bileamum, Beoris filium fatidicum, gladio interfecerunt.) 23. Terminos Rubenitarum constituebat Jordanus. Hae fuerunt eorum possessiones, oppida et vici, secundum gentilitates suas eis assignatae. — 24. Gaditarum quoque tribui Moses suas dederat possessiones secundum gentilitates. 25. Termini ejus erant Jaëser, omnia oppida Gileaditica, dimidia pars terrae Ammonitarum, usque ad Aroërem, quod est e regione Rabbae; 26. a Cheschbone usque ad Ramathhammizpa, et Bedonim, et a Machanaim usque ad terminos Debiri; 27. porro in valle, Bethharam, Bethnimra, Succoth et Safon, reliqua nempe de regno Sichonis, regis Hesbonis, Jordani finitima usque ad fines maris Cinnereth ab orientali Jordani parte. 28. Haec fuit possessio Gaditarum, eorum oppida et vici secundum gentilitates. — 29. Dimidiae Manassitarum tribui Moses haec distribuit, 30. quorum ter-

termini erant a Machanaim, totam Basanem; nimirum totum regnum Ogi, regis Basanis, omnes Jairi vicos in Basane sitos, sexaginta oppida, 31. dimidiam Gileaditidem, Aschtaroth et Edrei, oppida Ogi, regis Basanitici. Haec data posteris Machiri, Manassis filii, sed tantum parti eorum dimidiae secundum gentilitates suas. 32. Hae fuerunt possessiones, quas Moses distribuit in campis Moabiticis cis Jordanum ab orientali Hierichuntis parte. 33. Levitis vero nullas assignavit possessiones, quod Jova, Israëlitarum Deus, eis harum loco esse debebat, quemadmodum eis promiserat.

CAPUT XIV.

Cum de dividendis agris novem tribubus, et dimidiae agitur, Calebus sibi expetit partem praecipuam a Mose promissam, quae quoque ei a Josua conceditur.

1. Possessiones Israëlitis in terra Cananaea ab Eleasare sacerdote, Josua, Nunis filio, et principibus familiarum tribuum singularum, 2. novem nempe tribubus et dimidiae sorte assignatae ex voluntate Jovae per Mosen indicata, hae fere fuerunt. 3. Duabus et dimidiae tribui Moses jam cis Jordanum suas possessiones distribuerat, Levitae vero nullas omnino inter eos accipiebant. 4. Josephi autem posteri duas constituebant tribus, Manassiticam et Ephraimiticam. Levitis non dabantur agri, sed oppida, in quibus habitarent, cum suis pomoeriis pro pecore aliisque eorum facultatibus. [a]) 5. Israëlitae terram diviserunt eadem prorsus ratione, quam Jova per Mosen praescripserat. — 6. Cum tribus

a) Num. 35, 2. 3.

bus Juda Gilgale Josuam conveniret, Calebus, Jephunnae filius e familia Kenisaeorum, in hunc modum apud eum verba fecit: Tu nosti, quae Jova Mosi, viro divino, de me et de te Kadeschbarneae dixit. 7. Annum agebam quadragesimum, cum me Moses, Dei minister, ad terram explorandam misisset. Retuli ad eum, quod mihi verum videbatur. 8. Atque cum populares mei, qui mecum profecti erant, populum timidum redderent, ego constanter Jovam, Deum meum, sequi paratus eram. 9. Tum Moses jurejurando interposito mihi promisit, terram, quam peragrassem, meam fore hereditatem meorumque posterorum ad remotissima tempora propter constantiam illam, quam in Jova Deo obsequendo ostendissem. 10. Jam igitur vide, Jova me per hos quadraginta annos, quibus Israëlitae in deserto perierunt, conservavit, quemadmodum per Mosen promiserat. Scito, me hodie implere annum quintum supra octogesimum, 11. et tam fortem esse, quam tunc eram, cum me Moses misit. Quae tunc mihi vires erant, eae nunc quoque sunt ad pugnandum et ad res gerendas. 12. Jam igitur da mihi hunc montem, quem Jova mihi tunc promisit. Ipse nosti, rumorem de eo tunc fuisse, troglodytas ibi esse atque oppida magna et munita. Fortasse Deo juvante eos expellam, sicuti promisit. 13. Tum Josua bene precatus Calebo, Jephunnae filio, dedit ei Chebronem in possessionem 14. propter constantem illam suam in Jovam, Israëlitarum Deum, obedientiam. 15. Olim vero Chebron vocabatur oppidum Arbae ab homine troglodytarum maximo. Deinceps terra a bello quievit.

CA-

CAPUT XV.

Deſcribitur terra, quae tribui Judae ſorte obtigit.

1. Tribui Judae ſorte ſecundum gentilitates ducta obtigit tractus, qui terminatur terra Moabitica et deſerto Sin meridionali, ab extremo auſtrali. 2. Terminus meridionalis erat mare ſalis ab ea quidem parte, quae ad auſtrum ſpectat; 3. hinc vergebat ad clivum Akrabbim et Sin; aſcendebat a meridie ad Kadeſchbarneam, Chezronem; Adaram, Karkaam; 4. Azmonam, et deſinebat in flumine Aegypti et mari. Hic erat terminus auſtralis. 5. Orientalis erat mare ſalis usque ad exitum Jordani. Septentrionalis incipiebat ab illo mari ſalis et Jordani parte, 6. et aſcendebat Bethoglam, porro a parte ſeptentrionali Betharabae ad lapidem Bohan Rubenitae, 7. porro ad Debiram e valle Achor, ſpectabat ad Galgalam, quae eſt e regione clivi Adummim in parte meridionali vallis; porro ad aquas Enſchemeſch, et deſinebat in Enrogel. 8. Protendebatur ad Benhinnomi vallem ad latus Jebuſitarum meridionale, (quae Hieroſolyma eſt) ad verticem montis, qui eſt valli Benhinnomi ab occidente et valli Rephaim a ſeptentrione. 9. Ab illo montis vertice ſeſe flectebat ad fontem aquarum Nephtoach, exibat usque ad oppida montis Ephron et usque ad Baalam, quae et Kiriathjearim vocatur; 10. ab hac ad montes Seir occidentales, porro ſeſe extendebat ad latus montis Jearim (qui et Ceſalon vocatur) ſeptentrionale; hinc declinabat Bethſchemeſchum et pergebat Timnam, 11. hinc ad latus Ekronis ſeptentrionale, porro verſus Schikkeronam ad montem Baala, et tandem

dem ſupra Jabnielem finiebatur ad mare magnum, 12. quod *ſolum* terminum conſtituebat occidentalem. His finibus continebantur Judae poſteri ſecundum gentilitates ſuas diviſi. — 13. Calebo autem, Jephunnis filio, data fuerat pars quaedam inter Judae poſteros ex voluntate Jovae Joſuae indicata, nempe Kiriatharba, a progenitore troglodytarum ſic dicta, quae et Hebron vocatur. 14. Exinde expulit Calebus tres iſtius troglodytae familias, Scheſchaei, Achimanis et Talmai. 15. Hinc aggreſſus incolas Debiri (quod olim Kiriathſepher vocabatur) 16. promiſit ei, qui hoc oppidum expugnaſſet, Achſam, filiam ſuam, in matrimonium. 17. Expugnavit illud Othniel, filius Kenaſi, ei igitur nuptum collocavit Achſam, filiam ſuam. 18. Haec inſtigaverat *ſponſum ſuum*, ut a patre fundum peteret. Cum vero domum deduceretur, ſeſe ab aſino demiſit. Pater eam interrogavit, quid vellet? 19. Reſpondet: Da mihi donum. Fundum mihi dediſti auſtralem, adde quoque aquarum ſcaturigines. Dedit igitur ei fontes ſuperiores et inferiores. — 20. Hae ſunt poſſeſſiones tribus Judae ſecundum gentilitates distributae. 21. Oppida in tractu meridionali Edomitis finitima erant: Kabzeel, Eder, Jagur, 22. Kina, Dimona, Adada, 23. Kedeſch, Chazor, Jitnan, 24. Siph, Thelem, Bealoth, 25. Chazor, Chadatta, Kirjoth, (Chezron idem eſt quod Chazor) 26. Amam, Schema, Molada, 27. Chazar Gadda, Cheſchmon, Bethpalet, 28. Chazar Schual, Beerſchaba, Bisjotja, 29. Baalah, Ijim, Ezem, 30. Eltolat, Kefil, Charma, 31. Ziklag, Madmanna, Sanſanna, 32. Lebaoth, Schilchim, Ain, Rimmon. Quorum

rum oppidorum ſumma eſt undetriginta et eorum pagi. 33. In tractu terrae humiliori ſita erant: Eſchtaol, Zora, Aſchna, 34. Sanoach, Engannim, Tappuach, Haenam, 35. Jarmuth, Adullam, Socho, Aſeka, 36. Schaarajim, Aditajim, Haggedera, Gederotajim. Quae ſunt quatuordecim oppida cum ſuis pagis. 37. Zenan, Chadaſcha, Migdalgad, 38. Dilan, Mizpa, Jokteel, 39. Lachiſch, Bozkath, Eglon, 40. Cabbon, Lachmas, Cithliſch, 41. Gederoth, Bethdagon, Naama, Makkeda. Sedecim oppida cum ſuis pagis. 42. Libna, Eder, Aſchan, 43. Jiphtach, Aſchna, Neſib, 44. Kegila, Achſib, Mareſcha. Novem oppida cum ſuis pagis. 45. Ekron cum ſuis municipiis et pagis. 46. Ab Ekrone ad mare omnia, quae vergunt ad Aſchdodum, et eorum pagi. 47. Aſchdod et Gaza cum ſuis municipiis et pagis usque ad flumen Aegypti. Mare magnum terminum conſtituebat. 48. In tractu montano Schamir, Jattir, Socho, 49. Danna, Kiriathſanna, quae et Debir vocatur, 50. Anab, Eſchtemo, Anim, 51. Goſchen, Cholon, Gilo. Undecim oppida cum ſuis pagis. 52. Arab, Duma, Eſchan, 53. Janum, Bethtappuach, Apheka, 54. Chumta, Kiriatharba, quae et Hebron vocatur, Sior. Novem oppida cum ſuis pagis. 55. Maon, Carmel, Siph, Juta, 56. Jiſreel, Jokdeam, Sanoach, 57. Cain, Gibea, Timna. Decem oppida cum pagis ſuis. 58. Chalchul, Bethzur, Gedor, 59. Maarath, Bethanoth, Eltekon. Sex oppida cum ſuis pagis. [a]) 60. Kiriathbaal, quae

a) Poſt hunc verſum leguntur in verſione τῶν ὁ nonnulla, quae neque in codicibus Hebraeis, neque in reliquis verſionibus anti-

quae et Kiriathjearim vocatur, et Rabba. Duo oppida cum suis pagis. 61. In deserto [b]) Betharaba, Middin, Sechacha, 62. Nibschan, Irhammelach, [c]) Engedi. Sex oppida cum pagis suis. 63. Jebusitas Hierosolymam incolentes non potuerunt Judaei expellere. Hinc est, quod etiamnum una cum Judaeis ibi habitent.

CAPUT XVI.

Possessiones posterorum Josephi, primo Ephraimitarum.

1. Josephitis sors obtigit a Jordano *juxta* Hierichuntem, fonti hujus oppidi ab oriente, hinc per de-

---

tiquis exstant. Sic enim habet codex Vat.: *Θεκὼ καὶ Ἐφραθῆ, αὕτη ἐστὶ Βαιθλεὲμ καὶ Φαγὼρ, καὶ Αἰτὰν, καὶ Κουλὸν, καὶ Ταταὰμ, καὶ Θοβῆς, καὶ Καρὲμ, καὶ Γαλὲμ, καὶ Φεθῆρ, καὶ Μανοχὼ, πόλεις ἕνδεκα καὶ αἱ κώμαι αὐτῶν.* Quae cum levi variatione etiam in codice Alex. leguntur. *Hieronymus* quidem in commentario ad Mich. 5, 1. existimat, erasa fortasse esse haec ex codd. malitia Judaeorum, ne Jesus Christus de tribu Juda ortus videretur. Sed recte defensi sunt Judaei a recentioribus criticis contra hanc iniquam *Hieronymi* accusationem, quoniam in tot aliis locis, in quibus Bethlehemi mentio fit, nullibi hanc corruptionem tentarunt. Attamen non probabilis reddi ratio potest, unde ille versiculus in versionem Graecam venerit, nisi olim in codd. Hebr. legeretur. Hoc vero maxime verisimile est, eum omissum esse scribarum errore propter similes voces, in quibus praecedentes versus desinunt: *cum pagis suis*. Cf. *Clericus* ad h. l. *Cappellus* in critica sacra. Lib. IV. Cap. XIV. §. 3.

b) De hoc deserto Judae vid. *Relandi* Palaestina p. 375. et *Bachiene* in descriptione hist. et geogr. Palaestinae P. I. Vol. 1. p. 361.

c) Hebr. עִיר הַמֶּלַח, h. e. oppidum salis. Sed quoniam in reliquis nomina propria retinentur, non ex significatione vocum vertuntur, nolui neque in hoc, neque in similibus a regula illa discedere.

deſertum, quo ab Hierichunte [a]) per montem aſcenditur Bethelem, 2. unde Luſam vergebat et progrediebatur ad terminos Archiatharotham. 3. Deflectebat deinde verſus occidentem ad fines Japhletaeorum usque ad Bethchoronem inferiorem et usque ad Gaſerem, tandemque mari terminabatur. 4. Hae fuerunt poſſeſſiones Joſephi, poſteris Manaſſis et Ephraimi aſſignatae. 5. Atque horum quidem terrae ſecundum gentilitates eis distributae terminus verſus orientem erat Atrothaddar usque ad Bethchoronem ſuperiorem. 6. Hinc flectebant termini verſus occidentem Michmethathae a ſeptentrione, ulterius verſus orientem Taanathſilonem, et transibant ab oriente Tanocham. 7. Hinc deſcendebant Atarotham et Naaratham, pertingebant usque ad Hierichuntem, et definebant in Jordano. 8. A Tappuach vergebant termini verſus occidentem ad rivum Cana, et definebant in mari. Hae ſunt poſſeſſiones Ephraimitarum ſecundum gentilitates ſuas. 9. Habebant vero praeterea et alia oppida cum vicis ſuis inter Manaſſitas. [b]) 10. Sed cum non expellerent Cananitas, Geſeram incolentes, hi inter eos usque ad hoc tempus habitant; facti tamen ſunt eis tributarii.

CAPUT XVII.

Poſſeſſiones Manaſſitarum.

1. Sors tribus Manaſſis, primogeniti Joſephi filii, quae ducta eſt, ſpectabat Machirum. Hic fuit Manaſ-

a) De ſolitudine illa prope Hierichuntem vaſtiſſima, quae hodienum *Quarantania* vocatur, vid. *Bachiene* l. c. p. 357 ſeqq.

b) Nominantur cap. ſeq. verſ. 8. 9.

naſſis primogenitus et pater Gileadi. Hujus poſteri bellicoſi erant et terram Gileaditicam et Baſanem acceperant. 2. *Igitur ſors ducta eſt* reliquorum Manaſſis poſterorum ſecundum gentilitates, nimirum poſterorum Abieſeri, Cheleki, Aſrielis, Schechemi, Chepheri, Schemidae, qui omnes fuerunt poſteri Manaſſis, filii Joſephi, mares harumque familiarum conditores. 3. Zelophchadus autem, filius Chepheri, nepos Gileadi, pronepos Machiri, trinepos Manaſſis, filios non habebat, ſed filias, quarum nomina erant: Machla, Noa, Chogla, Milca, Thirza. 4. Hae adierunt Eleaſarem ſacerdotem, Joſuam, Nunis filium, et principes, eisque demonſtrarunt; Jovam Moſi praecepiſſe, [a]) ut ſibi poſſeſſiones inter fratres ſuos darentur. Quod igitur etiam ex voluntate Jovae factum eſt. 5. Sic decem portiones distributae ſunt inter Manaſſitas, praeter terram Gileaditicam et Baſanem cis Jordanum. 6. Nam filiae quoque Manaſſis fundos acceperunt aeque ac filii. Reliqui vero Manaſſis poſteri obtinuerant Gileaditidem. 7. Termini autem Manaſſitarum patebant ab Aſchere Michmathatham, quae eſt e regione Sichemi, unde vergebant dextrorſum ad incolas fontis Tappuach. (8. Regio quidem Tappuach erat Manaſſitarum; oppidum vero hujus nominis, ſitum in horum finibus, erat Ephraimitarum.) 9. Hinc declinabant termini ad vallem Canae in parte ejus meridionali. Oppida Ephraimitarum illius tractus interjecta erant inter oppida Manaſſitarum, quorum termini etiam ver-

a) Hiſtoria legitur Num. 27, 1 ſeqq.

vergebant ad ſeptentrionem illius vallis, et tandem finebant in mari. 10. Ephraimitae meridionales erant ptentrionales Manaſſitae, quorum terminos mare ex tuit. Aſcheritae erant ſeptentrionales atque Iſaſchar orientales. 11. Inter hos, nempe Iſaſcharitas et Aſcheritas tenebant Manaſſitae etiam ſequentia oppida cum municipiis: Bethſchean, Jibleam, Dor, Endor, nach, Megiddo, *qui ſunt* tres tractus. 12. Sed poterant incolas horum oppidorum expellere, i Cananitae quoque hanc regionem inhabitabant. 13. Q do Iſraëlitae praevalebant, eos tributarios facie prorſus vero non ejecerunt. — 14. Tum poſteri ſephi conqueſti ſunt coram Joſua, quod unius tai ſortis poſſeſſiones eis distribuiſſet, cum tamen poti eſſent et Jovae beneficio inſigniter aucti. 15. Red dit eis Joſua, ſi adeo numeroſi eſſent, et mor regio Ephraimitis tributa anguſtior videretur, a derent *montem* ſilveſtrem, ibique ſibi ſedes par in terra Pherezitarum et Rephaitarum. 16. Tum objiciebant, ſibi non ſufficere regionem illam mo nam, et Cananitas vallem incolentes, eos nimirum, Bethſcheane eſſent et in valle Jeſreel, currus ha ferreos. 17. Verum Joſua Joſephi poſteris, Ephra tis et Manaſſitis, reſpondit: eos eſſe populum num ſum et potentem, neque una portione contentos debere; 18. occuparent igitur montem, cujus fil ſucciderent ejusque extremos fines ſibi vindicarent, nanitas quoque expellerent, quamvis currus ferreos berent et potentes eſſent.

CAPUT XVIII.

Iosua, ut terra nondum occupata, reliquis septem tribubus ibuenda, ab hominibus quibusdam hunc in finem missis de- itur et in septem partes dividatur 1—10. Quod cum fa- esset, sortes Silunte jaciuntur. Primo prodit tribus Benja- icae, cujus termini describuntur 11—28.

Tum convenit universus Israëlitarum coetus , ibique tentorium conventus erexerunt. Terra ab eis occupata erat, 2. sed restabant adhuc tribus, quae nondum possessiones erant sortitae. Josua coram Israëlitis hunc in modum verba Quousque adeo negligentes eritis ad occupandam , quam vobis Jova, majorum vestrorum Deus, 4. Eligite tres ex singulis tribubus homines, o mittam ad terram peragrandam. Et cum eam am partes suas descripserint, ad me redeant. idant vero eam in septem partes. Judaeis termi- neridionales et Josephitis septentrionales manent. vero, *reliquae septem tribus*, describite terram ptem portiones, quas mihi monstratas hic coram , Deo nostro, vobis sorte distribuam. 7. Levitae n inter vos portionem accipiunt, sacerdotium est eis patrimonii loco. Gaditae vero, Rubeni- dimidia Manassitarum tribus suas possessiones ac- unt eis Jordanum ab oriente, quas eis Moses, Jo- inister, distribuit. — 8. Igitur his, qui proficisce- :, Josua mandavit, ut terram peragrarent et de- rent; post reditum eorum velle se super ea sor- ram Jova Silunte. 9. Sic illi terram obierunt, et runt eam in schedula secundum oppida in septem , et reversi ad Josuam in castra Siluntem, 10. hic sortes

ſortes jecit coram Jova, et distribuit terram Iſraëlitis ſecundum portiones ſuas. — 11. Prima ſors exiit tribui Benjamin, cujus termini fuerunt inter Judae et Joſephi poſteros. 12. Terminus ſeptentrionalis incipiebat a Jordano, vergebat deinde ad Hierichuntem a ſeptentrione, hinc ad montes verſus occidentem, et definebat in deſerto Bethaven. 13. Hinc transibat Luſam, (quae eſt Bethel) et quidem a parte ejus meridionali, hinc deſcendebat Athrothaddaram trans montem, qui eſt inferiori Bethchoron a meridie. 14. Hinc vergebat verſus occidentem, ita ut mons, qui e regione Bethchoron eſt, a meridie eſſet, et definebat ad Kiriathbaalem, quod oppidum eſt tribus Judae, et Kiriathjearim quoque vocatur. Hoc latus erat occidentale. 15. Meridionale ſeſe extendebat a Kiriathjearim verſus occidentem ad fontes aquarum Naphtoach, 16. procedebat ad extremum montis, qui eſt e regione vallis filii Hinnomi in valle Rephaim ſeptentrionali, deflectebat ad vallem Hinnomi ad latus Jebuſitarum, et declinabat ad fontem Rogel. 17. Hinc a ſeptentrione vergebat Enſchemeſch, hinc Gelilo'ham, quae eſt e regione clivi Adummim, hinc ad lapidem Bohami Rubenitae. 18. Hinc progrediebatur ad latus Bethoglae ſeptentrionale in planitiem, 19. et terminabatur, ubi ſeptentrionalis pars maris ſalſi jungitur extremo Jordani meridionali. Hi ſunt termini auſtrales. 20. In tractu orientali terminum conſtituebat Jordanus. Atque hi ſunt fines Benjaminitarum ab omnibus partibus ſecundum gentilitates eorum. 21. Oppida, quae acceperunt, erant: Hiericho, Bethogla, vallis Keſis, 22. Betharaba,

araba, Semaraim, Bethel, 23. Avvim, Para, Ophra, 24. Cepharammonai, Ophni, Gaba. Duodecim oppida praeter eorum pagos. 25. Gibeon, Rama, Beeroth, 26. Mizpa, Cephira, Moza, 27. Rekem, Jirpeel, Tarala, 28. Sela, Eleph, Jebus, quae est Hierosolyma, Gibeath, Kiriath. Quatuordecim oppida praeter eorum pagos. Hae sunt possessiones Benjaminitarum secundum gentilitates divisae.

CAPUT XIX.

Describuntur fines tribuum Simeonis 1—9., Sebulonis 10—16, Isascharis 17—23., Aseris 24—31., Naphtali 32—39., Danis 40—50.

1. Secunda sors obtigit Simeonitis, qui possessiones suas acceperunt secundum gentilitates suas inter Judaeos, 2. nempe haec oppida: Berscheba, Scheba, Molada, 3. Chazarschual, Bala, Ezem, 4. Eltolad, Bethul, Chorma, 5. Siklag, Bethmarcaboth, Chazarsusa, 6. Bethlebaoth et Scharuchen. Tredecim oppida cum pagis suis. 7. Ajin, Rimmon, Ether, Aschan. Quatuor oppida cum pagis suis, 8. et omnes pagos illis oppidis finitimos usque ad Baalathbeerramath versus meridiem. Hae sunt possessiones inter Simeonitarum gentilitates distributae, 9. quae a portione, quam Judaei acceperant, sumtae sunt, quoniam haec eis nimis ampla erat; propterea Simeonitae suas possessiones inter eos sortiebantur. — 10. Tertia sors obvenit Sebulonitis secundum gentilitates eorum. Fines possessionum patebant usque ad Saridum. 11. Inde vergebat ad occiden-

tem Margelam ad Dabbeſcheth, et rivum, qui Jokneam praeterfluit, 12. atque iterum a Sarido ad orientem in confinia Cislothtabor, exibant ad Daberatham, Japhiam aſcendentes, 13. hinc ulterius ad orientem Gittachepher, Ittakazin, exibant Rimmone, Neam complectentes, 14. deinde ſe vertebant verſus ſeptentrionem Natonem, et definebant in valle Jiphtachel, 15. et Kattath, Nahalal, Schimron, Jidala et Bethlehem. Duodecim oppida cum vicis ſuis. [a]) 16. Hae ſunt poſſeſſiones Sebulonitarum pro ſuis gentilitatibus, haec oppida cum vicis ſuis. — 17. Quarta ſors exiit Iſaſcharitis ſecundum eorum gentilitates. 18. Termini erant Jeſreel, Cefiloth et Schunem, 19. Capharajim, Schion, Anacharath, 20. Rabbith, Kiſchjon, Ebez, 21. Remeth, Engamim, Enchadda, Bethpazzez. 22. Hinc vergebant termini Taborem, Schahazimam, Bethſchemeſchum, et definebant ad Jordanum. Sex oppida praeter eorum vicos. 23. Hae ſunt poſſeſſiones tribus Iſaſcharis pro cognationibus ejus, oppida et vici. — 24. Quinta ſors ducta eſt tribui Aſcher ſecundum cognationes. 25. Termini ejus erant Chelkath, Chali, Beten, Aſchſchaph, 26. Allammelech, Amad, Miſchal. Hinc vergebat ad Carmelum verſus occidentem et ad Schichorlibnath,

27.

a) At quinque tantum oppida in hoc verſu nominantur. Reliqua igitur ſeptem *Maſius* in affinium tribuum hereditatibus exſtitiſſe arbitratur. Quam ſententiam alii quoque interpretes, e. c. *Bonfrerius* in commentario ſuo, amplectuntur, quoniam non omnia omnino Sebulonitarum oppida h. l. recenſentur, et alia quoque cap. 21, 34. nominantur. Ill. *Michaelis* putat ſeptem nomina ex illis duodecim ſcribarum errore excidiſſe, et fortaſſe plura, quoniam duodecim oppida tribui ſatis numeroſae non ſatisfeciſſent. Sed nulla verſionum antiquarum omiſſa ſupplet.

27. inde ad orientem, Bethdagonem, attingebant terminos Sebulonitarum et vallem Jiphtachel, Bethemek et Neïel versus septentrionem, et exibant ad Cabul sinistrorsum, 28. Ebronem, Rechobam, Chammonem et Kannam usque ad Sidonem metropolin. 29. Hinc revertebant Ramam usque ad munitam urbem Tyrum, ulterius Chosam, et exibant tandem ad mare circa Achsibam, 30. Umma, Aphek et Rechob. Viginti duo oppida cum vicis suis. 31. Hae sunt possessiones tribus Ascher secundum gentilitates ejus, oppida et vici. — 32. Sexta sors obvenit Naphtalitis pro eorum cognationibus. 33. Fines incipiebant a Cheleph, a terebintho ad Gaanannim, Adamihannekeb, Jabneel usque ad Lakkum, et desinebant ad Jordanum. 34. Hinc vergebant versus occidentem Asnothtaborem, et exibant Chakkokam. Sebulonitae eis erant a meridie, Ascheritae ab occidente, et Judaei ad Jordanum ab oriente. 35. Oppida munita erant Siddim, Ser, Chammath, Rakkath, Cinnereth, 36. Adama, Harama, Chazor, 37. Kedesch, Edrei, Enchazor, 38. Jiron, Migdalel, Charem, Bethanath, Bethschemesch. Undeviginti oppida praeter eorum pagos. 39. Hae sunt possessiones tribus Naphtalitarum secundum eorum gentilitates, oppida et vici. — 40. Septima sors ducta est Danitarum tribui secundum cognationes eorum. 41. Termini possessionum erant Sorga, Eschtaol, Irschemesch, 42. Schaalbin, Ajjalon, Jithla, 43. Elon, Timna, Ekron, 44. Eltekea, Gibton, Baalath, 45. Jehud, Benebarak, Gathrimmon, 46. Mejerkon, Rakkon, cum tractu Joppae objacente. 47. Verum et ulterius se extendebant ter-

mini Danitarum. Nam expeditionem fecerunt et aggressi sunt Leschemum, quam captam et devotam inhabitarunt et Danem vocarunt ex nomine progenitoris sui. [b]) 48. Hae sunt possessiones Danitarum et gentilitatum eorum, haec sunt oppida et vici eorum. 49. Absoluta sic divisione terrae et finium designatione, Israëlitae dederunt Josuae, filio Nunis, possessionem, 50. et quidem ex voluntate Jovae oppidum, quod ipse sibi expetierat, Timnathseracham in montibus Ephraimiticis, quod aedificavit et incoluit. 51. Hae igitur sunt possessiones, quas Eleasar sacerdos, Josua, Nunis filius, et principes populi inter tribus Israëliticas sorte distribuerunt Silunte ante tabernaculum conventus praesente Jova. Atque hac ratione absoluta est terrae divisio.

CAPUT XX.

Separatio oppidorum asyli.

1. Tum Jova jussit Josuam, 2. Israëlitas admonere, ut deligerent oppida asyli, de quibus jam Mosi dixisset, [a]) 3. ut nempe ad ea confugeret, qui alium per imprudentiam interfecisset, atque eo elapsus tutus esset a vindice sanguinis. 4. Si *hujusmodi homicida* confugerit ad aliquod istorum oppidorum, ante portam oppidi exponeret senatoribus causam suam, qui eum in oppidum reciperent et locum habitandi inter eos concederent. 5. Si sanguinis vindex homicidam persequeretur,

b) Historia legitur Jud. 18.

a) Vid. Num. 35, 9—36. Deut. 4, 41—43. 19, 1—13.

retur, eum non traderent, quoniam per imprudentiam alterum, cui antea nunquam infensus fuerat, occiderit. 6. Maneret in oppido, postquam causam in judicio dixerit, usque ad mortem sacerdotis summi, qui eo tempore erit. Tunc rediret in oppidum et domum suam, unde aufugisset. — 7. Igitur separarunt [b]) *Israëlitae* Kedescham in Galilaea in montibus Naphtalitarum, Sichemum in montibus Ephraimitarum, et Kiriatharbam, quae et Hebron vocatur, in montibus Judaeae. 8. Cis Jordanum vero Hierichunti ab oriente delegerunt Bezeram in deserto in planitie tribus Rubeniticae, Ramotham in Gileaditide tribus Gaditicae, et Golanam in Basane tribus Manassitarum. 9. Haec erant oppida destinata omnibus cum Israëlitis tum peregrinis inter eos viventibus ad perfugium, si quis hominem per errorem occiderit, ne a vindice sanguinis, antequam causam in loco judicii dixerit, interficeretur.

CAPUT XXI.

Oppida Levitis ab omnibus tribubus Israëliticis assignata.

1. Tum principes Leviticarum familiarum Eleasarem sacerdotem, Josuam, filium Nunis, et principes tribuum Israëliticarum convenerunt, 2. eisque Siluite in terra Cananaea demonstrarunt, Jovam per Mosen praecepisse, ut sibi darentur ad habitandum oppida cum suis pomoeriis pro pecore. 3. Igitur Israëlitae dederunt Levitis de suis possessionibus ex voluntate Jovae op-

b) Hebr. קדש h. l. non *consecrare*, sed *separare* ex significatione primaria. In seq. versu ejus loco est נתן.

mini Danitarum. Nam expeditionem fecerunt et aggressi sunt Leschemum, quam captam et devotam inhabitarunt et Danem vocarunt ex nomine progenitoris sui. [b]) 48. Hae sunt possessiones Danitarum et gentilitatum eorum, haec sunt oppida et vici eorum. 49. Absoluta sic divisione terrae et finium designatione, Israëlitae dederunt Josuae, filio Nunis, possessionem, 50. et quidem ex voluntate Jovae oppidum, quod ipse sibi expetierat, Timnathseracham in montibus Ephraimiticis, quod aedificavit et incoluit. 51. Hae igitur sunt possessiones, quas Eleasar sacerdos, Josua, Nunis filius, et principes populi inter tribus Israëliticas sorte distribuerunt Silunte ante tabernaculum conventus praesente Jova. Atque hac ratione absoluta est terrae divisio.

CAPUT XX.

Separatio oppidorum asyli.

1. Tum Jova jussit Josuam, 2. Israëlitas admonere, ut deligerent oppida asyli, de quibus jam Mosi dixisset, [a]) 3. ut nempe ad ea confugeret, qui alium per imprudentiam interfecisset, atque eo elapsus tutus esset a vindice sanguinis. 4. Si *hujusmodi homicida* confugerit ad aliquod istorum oppidorum, ante portam oppidi exponeret senatoribus causam suam, qui eum in oppidum reciperent et locum habitandi inter eos concederent. 5. Si sanguinis vindex homicidam persequeretur,

b) Historia legitur Jud. 18.

a) Vid. Num. 35, 9—36. Deut. 4, 41—43. 19, 1—13.

retur, cum non traderent, quoniam per imprudentiam alterum, cui antea nunquam infensus fuerat, occiderit. 6. Maneret in oppido, postquam causam in judicio dixerit, usque ad mortem sacerdotis summi, qui eo tempore erit. Tunc rediret in oppidum et domum suam, unde aufugisset. — 7. Igitur separarunt [b]) *Israëlitae* Kedescham in Galilaea in montibus Naphtalitarum, Sichemum in montibus Ephraimitarum, et Kiriath-arbam, quae et Hebron vocatur, in montibus Judaeae. 8. Cis Jordanum vero Hierichunti ab oriente delegerunt Bezeram in deserto in planitie tribus Rubeniticae, Ramotham in Gileaditide tribus Gaditicae, et Golanam in Basane tribus Manassitarum. 9. Haec erant oppida destinata omnibus cum Israëlitis tum peregrinis inter eos viventibus ad perfugium, si quis hominem per errorem occiderit, ne a vindice sanguinis, antequam causam in loco judicii dixerit, interficeretur.

CAPUT XXI.

Oppida Levitis ab omnibus tribubus Israëliticis assignata.

1. Tum principes Leviticarum familiarum Eleasarem sacerdotem, Josuam, filium Nunis, et principes tribuum Israëliticarum convenerunt, 2. eisque Silunte in terra Cananaea demonstrarunt, Jovam per Mosen praecepisse, ut sibi darentur ad habitandum oppida cum suis pomoeriis pro pecore. 3. Igitur Israëlitae dederunt Levitis de suis possessionibus ex voluntate Jovae op-

b) Hebr. קדש h. l. non *consecrare*, sed *separare* ex significatione primaria. In seq. versu ejus loco est נתן.

oppida, quorum nomina ſequuntur, cum ſuis pomoeriis. 4. Sorte educta pro familia Kehathitarum, Aaronis ſacerdotis Levitae poſteri a tribubus Judaeorum, Simeonitarum et Benjaminitarum acceperunt oppida tredecim; 5. reliqui vero ejusdem Kehathitarum familiae a tribubus Ephraimitarum, Danitarum et dimidia Manaſſitarum decem; 6. poſteri Gerſchonis a tribubus Iſaſchar, Aſcher, Naphtali et dimidia Manaſſis in Baſane ſorte acceperunt tredecim oppida; 7. Merari autem poſteri pro familiis ſuis a tribubus Ruben, Gad et Sebulon duodecim. 8. Haec oppida cum pomoeriis ſuis Iſraëlitae Levitis ſorte dederunt, quemadmodum Jova per Moſen praeceperat. 9. Nimirum tribus Juda et Simeon haec oppida, quorum nomina ſequuntur, dederunt 10. poſteris Aaronis, qui fuerunt de familiis Kehathitarum, (his enim prima ſors obtigit) 11. oppidum Arbae, patris troglodytarum, quod et Hebron vocatur, in montibus Judae, et pomoeria ejus circumquaque. 12. Agrum autem oppidanum et pagos dederunt Calebo, Jephunnae filio, in poſſeſſionem. 13. Igitur Aaronis ſacerdotis poſteris dederunt oppidum aſyli pro homicidis Hebronem et Libnam cum ſuis pomoeriis, 14. porro Jattirum, Eſchtemoam, 15. Cholonem, Debirum, 16. Ajin, Juttam et Bethſchemeſchum, quodque cum ſuis pomoeriis, novem oppida ab his duabus tribubus; 17. a tribu Benjamin Gibeonem, Gebam, 18. Anatolam, Almonem, quodque cum ſuis pomoeriis, quatuor oppida. 19. Omnia oppida Aaronis poſteris ſacerdotibus data fuerunt tredecim cum ſuis pomoeriis. — 20. Reliquis familiis Kehathitarum

rum Leviticis, ſorte ducta, a tribu Ephraim 21. dederunt oppidum aſyli pro homicidis Sichemum in montibus Ephraim, Geſerum, 22. Kibzaimum et Bethchoronem, quodque cum ſuis pomoeriis, oppida quatuor; 23. a tribu Dan Eltekoam, Gibtonem, 24. Ajjalonem et Gathrimmonem, quatuor oppida cum ſuis pomoeriis; 25. a dimidia Manaſſitarum tribu Taanach et Gathrimmonem, duo oppida cum ſuis pomoeriis, 26. atque omnino decem, quae familiae Kehathitarum reliquae acceperunt. — 27. Poſteris Gerſchonis, Levitis, a tribu Manaſſis dederunt oppidum aſyli pro homicidis Golanam Baſanis et Beeſchteram, duo oppida cum ſuis pomoeriis; 28. a tribu Iſaſcharis Kiſchjonem, Dabratham, 29. Jarmutham et Engannin, quatuor oppida cum ſuis pomoeriis; 30. a tribu Aſcher Miſchalem, Abdonem, 31. Chelkatham et Rechobam, quatuor oppida cum ſuis pomoeriis; 32. a tribu Naphtali oppidum aſyli pro homicidis Kedeſchum in Galilaea, Chammothdoram, et Kartanem, tria oppida cum ſuis pomoeriis. 33. Sic familiae Gerſchonitarum omnino tredecim oppida cum ſuis pomoeriis acceperunt. — 34. Familiis Meraritarum, qui reſtabant de Levitis, dederunt a tribu Sebulonis Jokneam, Kartam, 35. Dimnam et Nahalalem, quatuor oppida cum ſuis pomoeriis; 36. a tribu Rubenis Beſerum, Jahzam, *) 37. Kedemotham et Mephaatham, quatuor op-

a) Hic verſus et ſequens 37. in codd. MSS. et editionibus ad normam Maſorae vel ſcriptis vel expreſſis non leguntur. Nimirum annotarunt Maſorethae ad hunc locum: inde a verſu 8. hujus capitis usque ad verſum 42. tam in principio verſus,

oppida cum ſuis pomoeriis; 38. a tribu Gad oppidum aſyli pro homicidis Ramotham in Gileaditide, Macha-

ſus, quam in ejus medio ſemper poſitum eſſe ואת cum nomine oppidi, exceptis 28 locis, in quibus את nomini urbis jungeretur. In his 28 locis, quorum catalogum exhibent, non leguntur nomina oppidorum, quae in his duobus verſibus occurrunt. Ex quo Judaei et Chriſtiani nonnulli collegerunt, hos verſus e codd. Hebr. eſſe omittendos. Sed partim e totius loci contextu, partim ex teſtimoniis complurium codd., editionum et verſionum antiquarum omnium plane poteſt probari, hos verſus neceſſario h. l. eſſe legendos et perperam ex illa Maſoretharum obſervatione omitti. Quod ad contextum attinet, primo in verſu 7. clare dicitur, quaedam oppida Meraritis a Rubenitis eſſe data; quae propterea non poſſunt omitti, cum, quae a Gaditis et Sebulonitis data eſſent, recenſeantur. Deinde numerus duodecim oppidorum Meraritis datorum verſſ. 7. et 40. non conveniret, ſiquidem his verſibus omiſſis tantum octo efficerentur. Tandem et univerſae oppidorum Leviticorum ſummae, quae verſu 41. exhibetur, quatuor deeſſent. — Codd. MSS. vero et editionum pleniſſimam haud dubie recenſionem exhibuit *Kennicottus* in bibliis ſuis, ex quibus notam ejus adſcribam, cum opus ipſum in paucorum manibus verſetur. Codices, inquit, pro hoc opere, vel per totum vel in locis ſelectis collati, et in quibus eſt hoc caput Joſuae, ſunt 208. Ex his ſunt 59, in quibus deſunt (Maſora ſic jubente) duo commata inter 35. et 38., ceteri tamen codices 149 haec habent commata, in textu 137, in margine 12. Inter hos 208, codices MSti ſunt 182, quorum 126 habent haec commata, 56 non habent; et ſunt codices *impreſſi* 26, quorum 23 haec habent commata, et 3 non habent. Hactenus *Kennicottus*. Sed in codd. MSS. eſt disſenſus quidam. Nam alii poſt verba illa: *a tribu Rubenis*, habent את עיר מקלט הרצח. Alii poſt *Beſerum* במדבר. Tandem alii utrumque illud additamentum exhibent. Priorum codd. lectio valde probabilis videtur. Nam habent eam *oſ ó*, atque ex verſſ. 21. 27. 32. 38. confirmatur. — Vid. *Kennicottus* in diſſ. 1. ſuper ratione textus Hebr. vet. teſt. p. 424. verſ. Lat.; *Hubigantius* ad h. l.; V. C. *Schulze* in uberiori critica editt. (vollſtändigere Kritik über die gewöhnlichen Ausgaben der Hebr. Bibel) p. 25., ubi hos verſus ex editione Gerſoniana, qua

chanaim; 39. Chefchbonem et Jaferem, quatuor nino oppida cum fuis pomoeriis, 40. ita ut familiae raritarum, qui reftabant de Levitis, forte acciperent decim oppida. 41. Numerus vero omnium oppi- um Levitis inter Ifraëlitas affignatorum fuit duo- uinquaginta cum fuis pomoeriis. 42. Quodque um oppidorum circumquaque cinctum fuit pomoe- — 43. Sic Jova Ifraëlitis terram, quam majori- i eorum jurejurando interpofito promiferat, occu- idam et poffidendam dederat, 44. pacemque eis ex lem promiffo concefferat. Nemo ex hoftibus eis re- re audebat, Jova omnes eis dederat. 45. Nulla miffio Ifraëlitis a Jova facta eventu caruit, omnes runt impletae.

CA-

qua *Lutherus* in verflone fua ufus eft, exhibet; *Lilienthal* in commentatione crit. p. 186., qui obfervat, hanc omiffionem effe valde antiquam, cum Origenes hos verfus in hexaplis fuis obelo notarit, nec fatis certum fit, num Hieronymus eos legerit. Exftat etiam peculiaris difertatio *Abichtii*, Prof. olim Lipfienfis, non contemnenda: de reftituendis duobus verfibus Jofuae XXI. in quibusdam codicibus Hebraeis omiffis, 1714 habita et inferta *Ikenii* thefauro theol.-philologico. — Celeb. *Bruns* in repert. lit. orient. P. XIII. p. 60 fqq. concedit quidem, per contextum utique hos verfus abeffe non poffe, fed fi ex externis codd. et verff. teftimoniis quaeftio decidenda fit, fibi hos verfus fpurios videri et interpolatos fatetur, quod etiam magno eruditionis apparatu probare ftuduit. At enim vero illa argumenta ex contextu defumta, quae ex ipfa Viri Cel. fententia evincunt, hos verfus effe genuinos, mihi tamen graviora videntur, quam ea, quae contra eorum authentiam attulit; ex quibus omnibus id tantum apparet, partim errorem illum foribarum effe perquam antiquum, partim Judaeos in defcribendis fuis codd. pertinaciffime obfervare leges Maforae. Quod utrumque lubenter concedo.

CAPUT XXII.

Dimittuntur a Josua Rubenitae, Gaditae et Manassitae, qui in ripa Jordani aram exstruunt 1—10. Hoc eorum factum aegre ferunt reliquae tribus trans Jordanum, atque missa legatione hac de re cum eis expostulant 11—20. Sed cum audiunt, aram illam tantum in memoriam suae cum reliquis Israëlitis conjunctionis esse exstructam, acquiescunt in hac illorum responsione 21—34.

1. Quibus confectis Josua Rubenitas, Gaditas et dimidiam Manassitarum tribum convocavit, 2. atque his verbis ad eos locutus est: Vos observavistis omnia, quae Moses, Jovae minister, vobis praecepit. Mihi quoque in omnibus morem gessistis. 3. Per tot annos usque in hunc diem non deseruistis populares vestros. Voluntatem Jovae, Dei vestri, diligenter estis exsecuti. 4. Jam vero quietem concessit ille Jova, Deus vester, quemadmodum promisit, popularibus vestris. Revertimini igitur ad tentoria vestra in terram, quam vobis Moses, Jovae minister, trans Jordanum dedit possidendam. 5. Modo omnem operam navate, ut obtemperetis praeceptis et legi, quam vobis idem ille Moses dedit ut Jovam, Deum vestrum, ametis, ex lege ejus vivatis, praecepta ejus servantes ei adhaereatis, totoque corde et animo eum colatis. — 6. Sic, bonis votis eos prosecutus dimisit. (7. Dimidiae Manassitarum tribui Moses possessiones dederat in Basane, alteri vero dimidiae Josua inter reliquos eorum populares cis Jordanum ad occidentem.) Cum vero eis valediceret, hortatus quoque est, 8. ut, quoniam cum multis opibus, cum magno pecorum numero, cum argenti, auri, aeris, ferri et vestimentorum copia insigni domum reverterentur, haec hostium spolia cum po-

popularibus ſuis partirentur. — 9. Igitur Rubenitae, Gaditae et dimidia Manaſſitarum tribus ab Iſraëlitis Silunte, quae eſt in Cananaea, digreſſi, ut in Gileaditidem, ſuae poſſeſſionis terram, quam ex voluntate Jovae per Moſen acceperant, contenderent; 10. cum ad Jordanum Cananaeae fines conſtituentem perveniſſent, ibi magnae molis aram exſtruxerunt. 11. Quod cum Iſraëlitae audirent, 12. convenerunt omnes Silunte ad bellum eis *propterea* inferendum. 13. Antea tamen miſerunt ad eos in Gileaditidem Pineaſum, Eleaſaris filium, ſacerdotem, 14. et cum eo decem principes ex ſingulis tribubus ſingulos, quorum quisque paternae domus ex chiliadibus Iſraëliticis primarius erat. 15. Qui cum veniſſent ad Rubenitas, Gaditas et dimidiam Manaſſitarum tribum in Gileaditidem, hunc in modum cum eis egerunt: 16. Haec vobis dicit univerſus coetus Jovae *ſacer*: Ecquid eſt tantum ſcelus, quod commiſiſtis contra Deum Iſraëlitarum, ut ab eo deficientes aram exſtruxeritis, quo facto contra Jovam rebellaſtis. 17. Num parum nobis erat peccatum in Peore admiſſum, (de quo ad hunc usque diem nondum purgati ſumus) [a]) quod iram Jovae in coetum ſuum provocabat, 18. ut vos hodie a Jova deficiatis, atque propter hanc veſtram ad-

a) Hiſtoria legitur Num. 25, 1—9. Nonnulli haec verba de infamia ex ſcelere illo relicta explicant. Sed alii diſtinguunt inter gratiam culpae, quam Deus hominibus facit, et gratiam poenae, et putant multos, qui ſe illius ſceleris reos feciſſent, procedente tempore divino judicio eſſe ſublatos. Simillimus locus eſt Num. 14, 20 ſqq., atque etiam exemplo Davidis poteſt illuſtrari, qui, poſtquam ei a Nathane peccati cum Bathſeba commiſſi remiſſio annunciata erat, tamen poſtea graves poenas propter id ipſum peccatum luit.

adversus eum rebellionem ira ejus in universum Israëliticum coetum exardescat? 19. Si immunda vobis videtur terra, quam vos possidetis, transite ad terram Jovae sacram, [b]) in qua sedem suam fixit, atque inter nos habitate. Modo neque contra Jovam, neque contra nos ne rebelletis, dum aram vobis exstruitis praeter eam Jovae, Deo nostro, *sacram*. 20. Nonne propter Achanis, Serachi filii, delictum in rebus devotis admissum ira *Dei* in universam Israëlitarum civitatem exarsit, neque ille solus culpa sua periit? [c]) — 21. Ad haec Rubenitae, Gaditae et dimidia Manassitarum tribus responderunt principibus chiliadum Israëliticarum: 22. Deum Deorum Jovam, Deum Deorum Jovam testamur, (hoc sciant Israëlitae) si per rebellionem, si per defectionem a Jova *hoc fecimus*, ne *Deus* nos adjuvet! [d]) 23. Si aram hanc exstruximus, ut a Jova deficeremus, si holocausta aut oblationes in ea immolare, si sacrificia eucharistica offerre voluerimus, Jova nos

b) Sensus est: Si existimatis, Deum regionem vestram non perinde atque nostram suo favore complecti, quoniam apud nos habitare videtur, dum peculiarem cultum inter nos instituit; nostras possessiones vobiscum participare malumus, quam permittere, ut in Deum et nosmet ipsos peccetis, violando nempe religionis consensionem, sine qua nulla respublica consistere potest.

c) Historia legitur cap. 7. Exemplum vero hoc referendum est ad vers. 18., nam v. 19. per occupationem est interpositus. Argumentum est a minori ad majus: Si Achan, cum sacrilegium commisisset, non solus est punitus, sed Deus indignatus est universo coetui, quid futurum existimatis, si vos, tantus hominum numerus, tam graviter contra Deum peccaveritis?

d) In textu Hebr. est secunda persona, *ne serves nos hodie!* Sed durior mihi videtur apostrophe in hoc contextu. Quoniam igitur omnes interpretes antiqui tertiam personam expresserunt, hos in versione sum secutus.

s puniat! 24. Et si non potius ex cautione quadam nsulto [e]) hoc fecimus, si forte aliquando posteri vei negarent, nostros posteros venire debere in sociem cultus Jovae, Dei Israëlitarum, 25. terminum stituisse Jovam Rubenitis et Gaditis Jordanum, ni. juris eis esse in Jova, et sic vestri posteri nostros a igione Jovae averterent: 26. propterea statuimus m hanc exstruere, non ad holocausta aut sacrificia molanda, 27. sed ut testimonium perhiberet inter s et vos et inter posteros nostros de cultu religioso vae exhibendo holocaustis et sacrificiis eucharisticis, o possent posteri vestri nostros ab eo cultu arcere. Hoc igitur fuit consilium nostrum, si ista nobis aut steris nostris aliquando objicerentur, ut respondere semus: En! hanc aram exstruxerunt majores nostri, n ut holocausta aut alia sacrificia super ea offerrent, l ut testis esset inter nos et vos. [f]) 29. Absit a nobis, contra Jovam rebellemus, aut ab eo deficiamus atque m exstruamus holocaustis, oblationibus et sacrificiis stinatam, praeter eam, quae ei sacra est ad ejus tarnaculum. — 30. Placuit haec Rubenitarum, Gatarum et Manassitarum responsio Pineaso sacerdoti, incipibus reipublicae et viris Israëliticarum familiam primariis. 31. Atque ille, Jam quidem certo coscimus, inquit, Jovam inter nos versari, quod ab non defecistis atque hoc ipso ejus iram ab Israëlitis aver-

e) מִדְּבָר h. l. *consulto*, *cogitate*. Sic enim דבר ad animum relatum est *cogitatio*. Deut. 15, 9.

f) De verbo אמר, quod est in h. l. et alias saepe latissimae significationis, vid. *Glassii* philologia s. p. 182. edit. recent.

avertiſtis. 32. Tum reverterunt Pineaſus, Eleaſaris filius, ſacerdos et principes a Rubenitis et Gaditis ex Gileaditide in Cananaeam ad Iſraëlitas, eisque, quid factum eſſet, retulerunt. 33. Hi valde rem approbarunt Deoque propterea gratias egerunt. De bello autem Rubenitis et Gaditis inferendo ad terram eorum vaſtandam non amplius cogitarunt. 34. Illi vero vocarunt hanc aram Ed, [g]) quoniam teſtis eſt, inquiebant, inter nos, Jovam Deum eſſe, [h]) *quem colimus.*

CAPUT XXIII.

Joſua in conventu procerum reipublicae eos hortatur, ut bellum cum Cananaeis continuent et reliquam terrae partem nondum occupatam ſibi ſubjiciant. Simul admonet eos de vitanda omni cum his gentibus conſuetudine, praemiis et poenis propoſitis.

1. Poſt annos complures, cum Jova Iſraëlitis quietem conceſſiſſet ab omnibus hoſtibus finitimis, et Joſua jam

---

g) Poſt לַמִּזְבֵּחַ haud dubie addendum eſt lectioni receptae עֵד, quod non ſolum antiqui interpretes, Syrus, Arabs, Chaldaeus et Vulgatus, legerunt, ſed etiam in aliquot codd. MSS. et editionibus antiquis a *Kennicotto* citatis exſtat. Facile errare in ea voce potuerunt ſcribae, quoniam ſtatim repetitur, idque factum quoque eſt in codice τῶν ὁ, qui propterea locum non intelligentes longe alium ſenſum indicarunt, quaſi nempe Joſua hanc aram, aram Rubenis et Gadi vocaſſet.

h) *Kennicottus* quindecim codd. citat, qui inter duas ultimas voces habent הוּא, Jova *ille* eſt Deus. Et ſic quoque interpres Chaldaeus. Mihi quidem haec lectio valde probabilis videtur. Nam fuerunt haec verba quaſi formula ſolennis profeſſionis veri Dei, quo ſenſu etiam legitur 1 Reg. 18, 39. Cf. *Kennicottus* in diſſert. I. p. 428, *Hubigantius*, et *Lilienthal* in comment. crit. ad h. l.

jam ſenex factus aetate eſſet provectus, 2. hic omnes Iſraëlitas, hoc eſt, eorum ſenatores, principes, judices et tribunos, convocavit, atque hunc apud eos ſermonem habuit: Ego jam conſenui et aetate proceſſi. 3. Vos vero vidiſtis omnia, quae Jova, Deus veſter, fecit omnibus iſtis gentibus, quomodo ipſe pro vobis bellum geſſit. 4. Noſtis, me vobis omnes reliquas gentes ſecundum tribus ſorte distribuiſſe, aeque ac eas, quas delevi, a Jordano usque ad mare magnum ad occaſum. 5. Jova, Deus veſter, eas ante vos expellet et ejiciet, ut vos ex ejus promiſſione eorum terram poſſitis occupare. 6. Modo omnem operam adhibete, ut ſummo ſtudio faciatis omnia, quae in lege Moſis ſcripta ſunt, in neutram partem neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflectentes. 7. Nullam omnino cum his gentibus conſuetudinem habetote, nomina Deorum ſuorum ne pronuntiate, neque per eos jurate, ne colite eos, ne adorate! 8. Jovae, Deo veſtro, tantum adhaerete, quemadmodum hactenus feciſtis. 9. Ejecit Jova ante vos gentes magnas et potentes. Nemo vobis hucusque potuit reſiſtere. 10. Unus ex vobis perſequetur mille, nam Jova, Deus veſter, quemadmodum promiſit, pro vobis pugnabit. 11. Modo ſummo ſtudio hoc agite, ſi ſalus veſtra vobis curae eſt, ut ametis Jovam, Deum veſtrum. 12. At enim vero ſi ab eo defeceritis, ſi neceſſitudines contraxeritis cum reliquis his gentibus, ſi affinitatibus cum eis initis mutuam conſuetudinem habueritis, 13. ſcitote, Jovam non amplius eas [a]) eſſe expul-

a) Pro אתהגוים viginti tres codices a *Kennicotto* citati habent אתכלהגוים. Sic quoque *Lutherus* ex editione Gerſon.

pulſurum, ſed eas vobis futuras laqueos et tendiculas, flagella lateribus veſtris, et ſpinas oculis [b]), donec ſublati fueritis e terra illa bona, quam vobis dedit Jova, Deus veſter. 14. Equidem mox viam ingrediar, qua omnibus eundem eſt. [c]) Probe noſtis, nullam promiſſionem, quam vobis Jova, Deus veſter, dederat, irritam fuiſſe; omnes impletae ſunt, nulla eventu caruit. 15. Quemadmodum vero bona iſta omnia evenerunt ex Jovae, Dei veſtri, promiſſo: [d]) ita idem in vos adducet mala, donec vos perdiderit ex terra hac bona, quam vobis dedit, 16. quando violaveritis legem ejus vobis praeſcriptam, atque Deos alienos colueritis et adoraveritis; tum enim per iram ejus cito auferemini ex terra hac bona vobis conceſſa.

CAPUT XXIV.

Joſua iterum convocat Iſraëlitarum proceres ad ſolemnem conventum, et commemoratis breviter ſummis Dei in populum beneficiis, eos hortatur ad conſtantem obedientiam Deo praeſtandam 1—15., quam promittunt et novo foedere confirmant 16—28. Moritur Joſua et ſepelitur. Conduntur oſſa Joſephi. Moritur Eleaſar et ſepelitur 29—33.

1. *Iterum* Joſua omnes Iſraëlitarum tribus Sichemum congregavit, et convocatis omnibus eorum ſenatoribus, principibus, judicibus et tribunis, ut coram Deo ſeſe ſiſterent, 2. hanc ad univerſum populum

b) H. e. *noxiae vobis erunt et perniciosae.* Vocabula tropica ut facilia intellectu retinui.

c) Hebr. *via totius terrae.* Periphraſis mortis.

d) Pro אליכם legitur עליכם in 17 codd. a *Kennicotto* citatis. Sic quoque *oi ó* et Chaldaeus.

lum orationem habuit: Sic dicit Jova, Deus Iſraëlitarum: Trans Euphratem habitarunt majores veſtri antiquiſſimis temporibus, Terachus, pater Abrahami et Nachoris, aliosque Deos coluerunt. 3. Ego vero patrem veſtrum Abrahamum exinde evocatum totam Cananaeam peragrare juſſi. Promiſi ei numeroſam progeniem. a) Dedi ei Iſaacum. 4. Iſaaco vero dedi Jacobum et Eſavum. Huic montes Seir poſſidendos aſſignavi, ille vero cum filiis ſuis in Aegyptum migravit. 5. Inde miſſo Moſe et Aarone, cum tot ei plagas intuliſſem, vos eduxi. 6. Illos majores veſtros ex Aegypto a me eductos, cum ad mare veniſſent, perſecuti ſunt Aegyptii cum curribus atque equitibus usque ad finum Arabicum. 7. Sed cum ad me clamarent, interjecta inter vos et Aegyptios caligine adduxi in hos mare, quo obruebantur. Ipſi oculis veſtris vidiſtis, quae Aegyptiis feci. Deinde diu vixiſtis in ſolitudine. 8. Tandem duxi vos in terram Amoritarum trans Jordanum habitantium, quos proelio vobiscum decertantes vobis tradidi, ut eorum terram occupare poſſetis, eosque propter vos perdidi. 9. Tum Balak, Zipporis filius, Moabitarum rex, vobis reſtitit, miſitque arceſſitum Bileamum, Beoris filium, qui vobis diras imprecaretur. 10. Ego vero hoc ei non conceſſi, ſed bene precari vobis coactus eſt, et ſic vos ab eo liberavi. 11. Jordano

a) Hebr. אַרְבֶּה. Non, *multiplicavi poſteros ejus*, ſed *promiſi ei numeroſam progeniem*, quem ſenſum ſequentia verba: *dedi ei Iſaacum*, ostendunt. Vid. *Glaſſii* philol. ſ. p. 216.

dano trajecto veniſtis ad Hierichuntem. Cujus incolae, ut et Amoritae, Pherefitae, Cananitae, Hethitae, Girgaſchaei, Hevitae, Jebuſitae, armis vobis reſiſtebant, ſed tradidi eos veſtris manibus. 12. Praemiſi ante vos crabrones, qui duos Amoritarum reges expellerent, non gladio, non arcu veſtro *eos viciſtis.* 13. Tradidi vobis terram non veſtro labore cultam, oppida habitatis a vobis non exſtructa, fructibus vinearum et olivetorum veſcimini, quae non plantaſtis. [b]) — 14. Igitur reveremini Jovam, colite eum ſincere et conſtanter. Removete Deos, quos coluerunt majores veſtri trans Euphratem et in Aegypto. Colite Jovam. 15. Quodſi vobis non viſum fuerit Jovam colere, deligite jam ipſi, quos Deos culturi ſitis, num eos, quos majores veſtri trans Euphratem coluerunt, an Amoritarum Deos, quorum terram inhabitatis. Ego vero et domus mea Jovam colemus. — 16. Ad haec omnes reſponderunt: Abſit, ut Jova deſerto alios Deos colamus. 17. Ille enim eſt Deus noſter, qui nos et majores noſtros ex Aegypto, ex ergaſtulo eduxit, qui nobis ſpectantibus iſta tanta miracula patravit, nosque in toto iſto itinere, quod emenſi ſumus, et inter omnes gentes, per quas profecti ſumus, conſervavit. 18. Jova ejecit ante nos iſtos populos, inprimis Amoritas, terrae incolas. Igitur nos quoque Jovam colemus, hic erit Deus noſter. — 19. At Joſua, Non poteſtis, inquit, Jovam colere. Etenim Deus

b) Hactenus Joſua nomine Dei locutus eſt; jam ſuis verbis populum admonet.

Deus eſt ſanctus, Deus aemulus, qui non feret defectionem veſtram et peccata veſtra. 20. Nam eo relicto peregrinos Deos coletis, quo facto vos puniet, imo prorſus perdet poſt tanta in vos collata beneficia. 21. Cum vero populus denuo negaret, ſe alios Deos quam Jovam eſſe culturum, 22. dixit ei Joſua: Igitur ipſi contra vos teſtes eſtis, vos elegiſſe *unius* Jovae cultum. Teſtes ſumus, inquiebant. 23. Tollite igitur, *pergebat ille*, e medio veſtrum Deos peregrinos, atque ad Jovam, Iſraëlitarum Deum, animos veſtros convertite. 24. Ad haec illi: Jovam, Deum noſtrum, colemus et voluntati ejus obtemperabimus. 25. Eo die foedus pepigit Joſua cum populo, quod ut legem latam Sichemi confirmavit. 26. Deinde, quae acta eſſent, adſcripſit legi divinae, atque magnum lapidem ibi erexit ſub terebintho, quae erat ad ſacrarium Jovae. 27. Quo facto Joſua denuo populum his verbis eſt allocutus: En, hic lapis contra nos teſtabitur, nam audivit, quae Jova nobis dixit. Admoneat vos, ne Deum veſtrum abnegetis. 28. Et ſic populum dimiſit. — 29. Poſtea mortuus eſt Joſua, Nunis filius, Dei miniſter, anno aetatis decimo ſupra centeſimum. 30. Sepeliverunt eum in patrimonio ſuo Timnathſerachi, quod eſt in montibus Ephraimiticis ad ſeptentrionem montis Gaaſchi. 31. Iſraëlitae autem coluerunt Jovam, quamdiu Joſua vixit, et qui poſt eum ſuperſtites erant ſenes, qui, quae Jova fecerat Iſraëlitis, noverant. 32. Joſephi oſſa, quae ex Aegypto translata fuerant, ſepeliverunt Sichemi in fundo, quem Jacobus a poſteris Chamoris, patris Si-

chemi, centum kesitis emerat, ut esset [e]) patrimonium posterorum Josephi. 33. Tandem quoque Eleasar, Aaronis filius, diem suum obiit. Sepultus est in colle Pineasi filii, qui ei in montibus Ephraimiticis datus fuerat.

---

e) In textu est וַיִּהְיוּ, qui numerus pluralis ad ossa Josephi esset referendus, de quibus etiam multi interpretes explicant. Sed quanquam non ignoro reverentiam, quam orientales erga ossa majorum suorum habuerunt, tamen phrasis Hebraea, quae h. l. legitur, יִהְיוּ לִבְנֵי יוֹסֵף לְנַחֲלָה, non satis apta videtur illi pietati significandae. Igitur ego haec verba de fundo illo explico, quem Jacobus Josepho ejusque posteris tanquam praecipuam aliquam possessionem destinarit. Historia emti agri legitur Genes. 33, 19., ad quem locum cf. versionem nostram. — Sic quoque ex antiquis interpretibus verterunt Syrus: ܗܘܘ ܢܚܠܬܐ ܠܒܢܝ ܝܘܣܦ *et fuit hereditas posterorum Josephi*, Arabs et Vulgatus, qui verbum in numero singulari exprimunt: *et fuit in possessionem filiorum Joseph.*

JU-

JUDICES.

CAPUT I.

Pars terrae nondum occupatae a nonnullis tribubus post mortem Josuae occupatur, alia antiquis incolis relinquitur.

1. Post mortem Josuae interrogarunt Israëlitae Jovam, quis eorum initium facere deberet belli Cananitis inferendi. 2. Respondit Jova: Judaei bellum inchoarent, velle se eis hostes tradere. 3. Illi igitur a Simeonitis petierunt, vellent se in hac adversus Cananitas expeditione, qua terram sorte acceptam occuparent, adjuvare, se deinde eandem operam illis esse praestituros. Simeonitae junxerunt se Judaeis. 4. Igitur hi expeditionem susceperunt, et Jova eis Cananitas et Pherezitas tradidit, ex quibus decem millia ad Bezekum interfecerunt. 5. Quo facto principem illius oppidi, qui se eo receperat, aggressi sunt. Sed profligatis Cananitis et Pherezitis 6. ille fugit. Sed in fuga eum comprehenderunt, eique manuum et pedum pollices amputarunt. 7. Tum ille dixit: Septuaginta reges manuum pedumque pollicibus mutilati panem sub mensa mea collegerunt; quod ego feci, Deus mihi rependit. Deductus deinde Hierosolymam

ibi

ibi mortuus eſt. 8. Quod oppidum quoque aggreſſi ſunt Judaei et ceperunt, incolas ferro trucidarunt, ipſum oppidum combuſſerunt. 9. Quibus confectis bellum intulerunt Cananitis, qui tractum montanum auſtralem et planitiem incolebant. 10. Ulterius progreſſi ſunt adverſus Cananitas Hebrone, quod olim Kiriatharba vocabatur, et Scheſchaei, Achimanis et Talmaei poſteros profligarunt. 11. Hinc ſeſe converterunt ad incolas Debiri, quod olim Kiriathſepher dictum eſt, 12. ubi Calebus ei, qui hoc oppidum expugnaret, Achſam, filiam ſuam, in matrimonium promiſit. 13. Expugnavit illud Othniel, filius Kenaſi, frater Calebi natu minor, ei igitur nuptum collocavit Achſam, filiam ſuam. 14. Haec inſtigaverat ſponſum ſuum, ut a patre fundum peteret. Cum vero domum deduceretur, ſeſe ab aſino demiſit. Pater eam interrogavit, quid vellet? 15. Reſpondit: Da mihi donum. Fundum mihi dediſti auſtralem, adde quoque aquarum ſcaturigines. Dedit igitur ei fontes ſuperiores et inferiores. [a]) 16. Poſteri Keni, affinis Moſis, [b]) ex urbe palmarum [c]) profecti ſunt cum Judaeis in deſertum Judae ad meridiem Aradi,

a) Haec pericopa ſupra jam adfuit in libro Joſuae cap. 15, 16 — 20., ſed in noſtro loco rectius quoad tempus legitur. Videntur enim haec geſta eſſe poſt tempora Joſuae. In libro Joſuae vero narrata fuerunt, quoniam ibi de diviſione terrae ſermo eſt, et Calebus ex divino mandato terrae portionem quandam praecipuam acceperat.

b) Cf. Num. 10, 29.

c) Haec a plerisque interpretibus Jericho eſſe putatur. Vid. *Relandi* Palaeſtina lib. I. cap. 57. *Bachiene* deſcriptio Palaeſtinae vol. II. p. II. p. 70. — et de deſerto Judae ſupra obſervata ad Joſ. 15, 61.

di; atque inter eos habitarunt. — 17. Postea Judaei Simeonitas, populares suos, adjuvarunt, et debellarunt Cananitas Sephatam incolentes, et devoverunt oppidum, quod Chormam vocarunt. 18. Porro Judaei Gazam, Aschkelonem et Ekronem eorumque fines ceperunt. 19. Deo juvante potiti quoque sunt regione montana, sed vallium incolas, quoniam currus ferreos habebant, non potuerunt expellere. 20. Calebo ex mandato Mosis dederant Hebronem, qui hinc tres troglodytarum [d]) familias ejecit. 21. Jebusitas Hierosolymam incolentes non expulerunt Benjaminitae; hinc factum est, ut illi etiamnum inter illos habitent. — 22. Posteri Josephi quoque expeditionem fecerunt adversus Bethelem, in qua Deus eos adjuvit. 23. Nam cum hoc oppidum, quod olim Lus vocabatur, obsiderent, 24. viderunt custodes hominem ex oppido egredientem. Huic veniam et impunitatem promiserunt, si sibi aditum ad oppidum ostenderet. 25. Quod cum fecisset, oppidanos omnes gladio interfecerunt praeter istum hominem, quem cum suis dimiserunt. 26. Hic vero migravit in terram Hethitarum, atque oppidum exstruxit, cui nomen Lusae imposuit, quod etiamnum gerit. 27. Manassitae non expulerunt incolas Bethscheani, Taanachi, Dori, Jibleami, Megiddonis et minorum oppidorum his junctorum. Hinc ausi sunt Cananitae in hoc terrae tractu habitare. 28. Attamen si Israëlitae Cananitis erant superiores, hos tributarios fecerunt, penitus vero eos non exterminarunt. — 29. Ephraimi-

d) De troglodytis vid. *Michaelis* in syntagm. commentt. p. I. p. 193. et *Faber* in archaeol. Hebr. p. 31 sqq.

imitae non ejecerunt Cananitas Gaſerem incolentes; hinc factum eſt, ut hi inter illos ibi habitarent. 30. Sebulonitae non ejecerunt Kidronenſes et Nahalonenſes; igitur Cananitae inter eos conſederunt, ſed tributarii. 31. Idem illud facere neglexerunt Aſcheritae cum incolis Acconis, Sidonis, Achlabi, Achſibi, Chelbahi, Aphiki et Rechobi. 32. Igitur Aſcheritae inter medios Cananitas habitarunt. 33. Item Naphtalitae non exterminarunt Bethſchemenſes et Bethanathenſes, ſed vixerunt inter Cananitas, terrae incolas, attamen hi tributa illis ſolvebant. 34. Amoritae coërcuerunt Danitas intra regionem montanam, neque eis in valles deſcendere permiſerunt, 35. atque conſederunt Harchereſi, Ajjalone et Schaalbimi. Sed quod Joſephitae praevalebant, facti ſunt tributarii. 36. Termini igitur Amoritarum a clivo Akrabbim et Sela et ultra patebant.

CAPUT II.

Legatus divinus reprehendit Iſraëlitarum ſocordiam in ejiciendis Cananitis 1—15. Illi poſt mortem Joſuae idola gentium colunt. Deus propterea iratus tradit eos hoſtibus ſuis 6—16. A quibus quidem ſubinde liberantur; ſed cum ſemper ad idololatriam redeunt, Deus antiquos terrae incolas ulterius non expellere minatur.

1. Legatus divinus Gilgale Bochimum venit a) et dixit: Vos ex Aegypto eductos, *inquit Jova*, in terram

---

a) Piska ſive Spatium vacuum, quod h. l. eſt in vulgaribus bibliorum editionibus, non reperitur in 35 codd. a *Kennicotto* citatis. Cum lectione recepta conſentiunt Chaldaeus et Vulgatus, qui ſic habet: *aſcenditque angelus Domini de Galgalis ad lo-*

ram introduxi, quam majoribus veſtris jurejurando interpoſito promiſeram, neque meum, quod vobiscum pepigeram, foedus unquam irritum futurum eſſe pollicebar, 2. ſed ſub hac conditione, ne pacta iniretis cum hujus terrae incolis, atque ut eorum aras deſtrueretis. Sed vos mihi non obtemperaſtis. Quare hoc feciſtis? 3. Propterea decrevi, eos ante vos non expellere. Erunt adverſarii veſtri [b]) et eorum Dii vobis perniciosi. 4. Haec cum legatus divinus ad Iſraëlitas dixiſſet, omnes ſublata voce fleverunt. 5. Inde locum Bochim vocarunt, ibique Jovae ſacrificarunt. — 6. Poſtquam Joſua populum dimiſerat et quisque ad occupan-

---

locum flentium et ait. Sed οἱ ὁ plura exhibent: *καὶ ἀνέβη ἄγγελος κυρίου ἀπὸ Γαλγὰλ ἐπὶ τὸν κλαυθμῶνα καὶ ἐπὶ Βαιθὴλ καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραὴλ, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· τάδε λέγει κύριος, κ. τ. λ.* Syrus quidem non habet prius additamentum, ſed poſterius: *et aſcendit angelus Domini ex Galgale Bechionem, et dixit filiis Iſraël: Sic dicit Dominus.* Sic quoque Arabs. Sed nihil videtur deeſſe. Fortaſſe illa verba *τῶν ὁ: καὶ ἐπὶ Βαιθὴλ*, gloſſema ſunt alicujus, qui crediderit, locum hunc prope Bethelem fuiſſe. Quae *Clerici* eſt conjectura. Formula vero illa: *Sic dicit Dominus*, qua propheta haud dubie uſus eſt, omitti potuit a ſcriptore, quoniam ex verbis prophetae facile intelligitur. Interpretes vero illi eam perſpicuitatis cauſa addiderunt, quod etiam a me factum eſt.

b) Sic explico cum *Schultenſio* (in animadv. philol. ad h. l.) vocabulum Hebr. לְצִדִּים, in quo interpretes antiquiores et recentiores diſſentiunt. *Οἱ ὁ: εἰς συνοχάς, in anguſtias*, h. e. vos prement. Syrus vertit: *erunt vobis* ܠܣܪܝܘܬܐ *in errorem*, h. e. vos ſeducent. Sic quoque Arabs. Vulgatus et Chaldaeus: *hoſtes.* Hinc Druſius aliique conjectant, eos legiſſe צָרִים. Sed non neceſſarium eſt, neque ſuſpecta debet videri lectio recepta. ضد *contrarius fuit* in tertia conjugatione eſt *hoſtiliter ſe opponere*, hinc ſubſtantivum ſignificat *hoſtem.* Plura dat *Schultenſius* l. c.

pandas ſuas poſſeſſiones disceſſerat, 7. coluerunt Jovam, quamdiu Joſua vixit, et ſeniores illi, qui poſt illum ſuperſtites fuerunt, qui magna illa facinora viderant, quae in gratiam Iſraëlitarum patraverat. 8. Sed mortuo Joſua, Nunis filio, Jovae miniſtro, anno aetatis ſuae decimo et centeſimo, (9. Sepultus eſt in patrimonio ſuo Timnath Chereſi [c]) in montibus Ephraimiticis ad ſeptentrionem montis Gaaſchi) 10. atque illa quoque generatione omni exſtincta, exſtitit alia hominum generatio, qui nullam habebant Jovae cognitionem, neque eorum, quae pro Iſraëlitis fecerat. 11. Tum Iſraëlitae Jovam Baalum cultu offenderunt. 12. Relicto Jova, majorum ſuorum Deo, qui eos ex Aegypto eduxerat, ſectati ſunt alios Deos gentium finitimarum, eosque adorarunt, atque hac ratione Jovam irritarunt. 13. Quem cum deſeruiſſent, et Baalem et Aſchtaroth colerent, 14. ira ejus in Iſraëlitas exarſit. Tradidit eos diripiendos praedatoribus, addixit eos hoſtibus finitimis, ita ut non poſſent eis amplius reſiſtere. 15. Quocunque ſe vertebant, Jova eis eſt adverſatus, quemadmodum jurejurando minatus erat. In tantis eorum anguſtiis 16. excitavit *ſubinde* Jova duces, [d]) qui eos

c) Hoc oppidum, quod Joſ. 19, 50. et 24, 30. תִּמְנַת־סֶרַח vocatur, hoc loco ſcribitur litteris transpoſitis תִּמְנַת־חֶרֶס. Quae vera ſit lectio, nemo facile dixerit. Syrus et Arabs priorem ſcriptionem iisdem litteris exhibent; in verſione Graeca legitur *Θαμναθαρές*; apud Vulgatum: *in Thamnathare*; Chaldaeus habet lectionem receptam, et *Kennicottus* in ſex codd. lectionem, quae in libro Joſua exſtat, invenit.

d) Sic verti vocem שֹׁפְטִים, qua viri illi inſigniuntur, quorum virtute Deus uſus eſt ad Iſraëlitas ab hoſtibus ſuis liberandos. Auda-

a tyrannorum imperio liberarent. 17. At enim o neque his ducibus morem gesserunt, sed ad alim Deorum cultum nimis proclives cito deflexerunt ia, qua majores eorum incesserant, ut non ad eorum mplum Jovae praeceptis obedirent. 18. Quodsi a duce excitato, quem, quamdiu vixit, adjuvabat, hostibus eos liberavit, permotus nempe eorum gemu propter oppressorum et tyrannorum crudelitatem, tamen duce illo mortuo pejores fuerunt patribus s, alios Deos sectantes, quos colerent et adorarent, llo modo remittentes a pravis suis et perversis mous. 20. Propterea Jova Israëlitis iratus decrevit, oniam iste populus legibus, quas eorum majoribus liisset, violatis suae voluntati non obtemperaret, nolle se amplius ullam istarum gentium expellere, is Josua, cum moreretur, reliquisset. — 22. Ut exraret Jova Israëlitarum constantiam in religione eis

dacia enim sua et fortitudine magis profuisse popularibus suis, quam jure dicendo, historia rerum ab illis gestarum testatur. Dicuntur excitati a Deo, ex usu loquendi Hebraeorum, qui in omnibus hujus mundi eventis Deum ut causam immediate agentem sistit, atque directionem actionum humanarum liberrimarum ad bonos fines obtinendos non satis subtiliter ab actionum ipsarum auctore distinguit. Hac cautione adhibita legendus est totus hic liber, ne nempe offendamus, si Deus auctor et impulsor actionum minime bonarum dicitur. Deinde in judicio ferendo super his viris eorumque moribus semper memores sumus temporum, quibus haec gesta sunt, populi, de quo haec narrantur, et status ejus civilis, qui tum fuit, cum ista in eo evenirent. Tunc minus offendemus in multis et ad complura dubia facilius poterimus respondere. Dignus est, qui de his legatur, S. R. *Niemeyer* in characteristica bibliorum, t. III. p. 402 sqq., item Celeb. *Eichhorn* in introduct. ad Vet. Test. p. II. p. 482.

eis praescripta, quam majores eorum ostenderant, [e]) 23. propterea reliquit istas gentes, ut eas non statim ejiceret, neque Josuae traderet.

CAPUT III.

Gentes ab Israëlitis in terra relictae, a quibus ad idololatriam seducuntur 1 — 6. Duces, qui eis ab istis gentibus oppressis libertatem restituunt, tres: Othniel 7 — 11., Ehud 12 — 30., Samgar 31.

1. Hae fuerunt gentes, quas Jova *in terra* reliquit, ut in eis Israëlitas exploraret, qui nempe rationem belli Cananitici ignorabant, 2. ut hi quoque belli gerendi peritiam consequerentur, qui rerum olim gestarum erant imperiti. 3. Quinque Philistaeorum principes, Cananitae et Sidonii, Hevitae Libanum incolentes a Baalchermone usque ad Chamatham. 4. Simul vero explorare voluit Jova Israëlitas, num obtemperarent legibus, eorum majoribus per Mosen latis. 5. Sed cum inter Cananitas, Hethitas, Amoritas, Pherezitas, Hevitas et Jebusitas viverent, 6. eorum filias in matrimonium duxerunt, et suas vicissim eorum filiis nuptum collocarunt, eorumque Deos coluerunt. 7. Sic Jovam graviter offenderunt, dum ejus obliti Baalibus et Asch-

---

e) Hi duo versus rectius initium facerent sequentis capitis, in cujus primo versu alia ratio additur huic, quae in his versibus datur, cur nempe Deus non omnes gentes Cananiticas Josua duce exterminaverit, ne nempe Israëlitis occasio deesset virtutis suae bellicae exercendae et alendae, quae alias in populo pace non interrupta fruente facile exstinguitur. Priorem rationem repetit scriptor hujus libri in versu 4. sequentis capitis.

Aſchtarotho [a]) ſerviebant. 8. Quare ira incenſus eos tradidit Cuſchanriſchathaimo, Meſopotamiae regi. Huic cum octo annos ſerviiſſent, 9. clamarunt ad Jovam, qui eis liberatorem excitavit, Othnielem, filium Kenaſi, fratrem Calebi natu minorem. 10. Hic divina virtute [b]) impulſus praefuit Iſraëlitis; et bello aggreſſus eſt Cuſchanriſchathaimum, Meſopotamiae regem, eumque a Jova adjutus ſuperavit. Sic pacem habuit terra quadraginta annos. 11. Sed mortuo Othniele, Kenaſi filio, 12. Iſraëlitae denuo Jovam offenderunt, qui propterea Eglonem, Moabitarum regem, eis potentiorem eſſe fivit. 13. Hic igitur conjunctis Ammonitis et Amalekitis Iſraëlitas aggreſſus eſt, atque cepit oppidum palmarum. 14. Huic Egloni, Moabitarum regi, cum octodecim annos ſubjecti fuiſſent, 15. Iſraëlitae Jovam implorarunt, qui eis liberatorem excitavit Ehudum, Gerae filium, Benjaminitam. Hic manu dextra

a) *In textu* Hebr. eſt וְאֶת־הָאֲשֵׁרוֹת *et lucos*, quod per metonymiam ſolet explicari, Iſraëlitas *idola*, quibus *luci* iſti ſacri erant, coluiſſe. Quam lectionem quoque exhibent *οἱ ὁ*: ἐλάτρευσαν τοῖς Βααλὶμ καὶ τοῖς ἄλσεσι, Chaldaeus et Arabs. Sed Syrus legit עַשְׁתָּרוֹת, item Vulgatus: *ſervientes Baalim et Aſtaroth*, et *Kennicottus* citat codicem bonae notae 253., in quo eadem lectio exſtet, quae propterea quoque receptae praeferenda videtur, quia cap. 2, 13. auctor hujus libri idem jam dixerat. Conſtat, eum ſolere easdem ſententias praeſertim in enumerandis populi vitiis repetere.

b) Hebr. *fuit ſuper ipſum ſpiritus Jovae*, forma loquendi in hoc libro ſaepe obvia, qua nihil aliud quam *indoles egregia, dotes eximiae* aut *virtutes excellentes*, minime vero miraculoſae indicantur, quarum, ut et actionum per eas patratarum, Hebraei Deum dicunt auctorem immediate eas producentem, ut ſupra jam obſervatum eſt ad cap. 2, 16. Cf. de hac latiſſima ſignificatione τοῦ רוּחַ יהוה *Glaſſius* p. 819.

tra uti non potuit. Cum vero Iſraëlitae per eum munus Egloni, Moabitarum regi, mitterent, 16. ſicam ſibi fecerat ancipitem menſura cubitali, quam ſub veſte ad dextrum latus accinxit. 17. *Sic inſtructus* obtulit munus Egloni, Moabitarum regi, qui homo erat perquam obeſus. 18. Munere oblato dimiſit eos, qui illud attulerant. 19. Ipſe vero a ſimulacris, quae apud Gilgalem ſunt, reverſus ſimulavit ſe habere, quod regi ſecreto diceret. Hic juſſit ſilere, donec qui aderant exiiſſent. 20. Igitur Ehud ad eum in conclavi aeſtivo ſedentem acceſſit et dixit: Habeo ad te mandatum divinum. Tum hic ſurrexit e ſede ſua. 21. Ehud vero manu ſiniſtra prehendit ſicam e femore dextro, eamque tanta vi infixit ejus ventri, 22. ut adacto poſt ferrum capulo ferrum adipe clauderetur et per partes poſteriores exiret, cum ſicam e ventre non extraheret. 23. Tum Ehud clauſa et obſerata conclavis janua per veſtibulum egreſſus eſt. 24. Cum disceſſiſſet, venerunt domeſtici et viderunt januam conclavis obſeratam. Exiſtimabant, regem in conclavi aeſtivo dormire. c) 25. Sed cum diutius exſpectaſſent, neque ille januam aperiret, clavem ſumſerunt, et aperta janua dominum ſuum humi jacentem exanimem viderunt. 26. Illis cunctantibus Ehud evaſit, et cum ſimulacra *prope Gilgalem* praeteriiſſet, ſalvus pervenit Seiram. 27. Poſt adventum ſuum tuba ſonari juſſit in montibus Ephraimiticis, quo facto iſtius regionis Iſraëlitae convenerunt.

c) Hebr. *eum pedes tegere*. De hac phraſi, quae praeter h. l. ſemel tantum occurrit 1 Sam. 24, 4., cf. obſervata ad *Glaſſium* p. 891.

runt. His ducem se praebuit, 28. et hortatus est, ut se sequerentur, nam Jovam hostes eorum, Moabitas, eis tradidisse. Sic eum secuti occuparunt Moabitis vada Jordani, nec quenquam transire concesserunt. 29. Tunc circiter decem millia Moabitarum interfecerunt, omnes homines fortes et bellatores, ut nullus posset evadere. 30. Qua victoria subacti sunt Moabitae ab Israëlitis, qui pace fruebantur octoginta annos. — 31. Postea Samgar; Anathi filius, sexcentos Philistaeos baculis, quibus boves stimulantur, caedebat, [d]) et liberabat Israëlitas.

CAPUT IV.

Israëlitae a Jabine, Chazoris rege, oppressi, liberantur a Debora et Barako 1 — 16. Sisera, dux exercitus hostilis, a Jaële occiditur 17 — 24.

1. Cum denuo Israëlitae Jovam peccatis suis offendissent Ehudo mortuo, 2. tradidit eos Jabini, Cananitarum regi, qui Chazore sedem suam regiam habebat. Dux vero ejus, Sisera, habitabat Charoscheth Gojitarum. 3. Propter hunc Israëlitae auxilium Jovae implorarunt, nam nongentos habebat currus ferreos, atque duro imperio Israëlitas viginti annos premebat. 4. Eo tempore Debora, prophetissa, uxor Lapidothi, jus dixit Israëlitis. 5. Habitavit sub palma,

---

d) Non solus, sed cum sociis. De *stimulo boum*, instrumento ad aggrediendum minime inepto, vid. *Paulsen* in relationibus fide dignis de agricultura orientalium Germanice scriptis p. 83. et *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. II. cap. 39. p. 585.

ma, quae ab ea nomen accepit, inter Ramam et Bethelem in montibus Ephraimiticis. Hanc adire solebant Israëlitae, ut sibi de jure responderet. 6. Haec Barako, Abinoami filio, ex Kedescha Naphtalitarum arcessito indicavit, Jovam jubere, ut Taborem montem cum decem millibus Naphtalitarum et Sebulonitarum occuparet, 7. se effecturum esse, ut Sisera, dux Jabinis, ad torrentem Kischon currus suos omnemque exercitum congregaret, quem ejus manibus esset traditurus. 8. Respondit Barakus: Si me comitaberis, expeditionem suscipiam; sin minus, non audebo. 9. Comitabor te, inquit Debora, sed gloria expeditionis a te suscipiendae non tua erit, sed mulieris, cujus manibus Jova Siseram tradet. 10. Igitur secuta est Debora Barakum Kedescham, quo hic decem millia Sebulonitarum et Naphtalitarum coëgit, quorum dux fuit, Debora eum comitante. — 11. Cheber autem, Kenaeus, a reliquis Kenaeis, posteris Chobabi, affinis Mosis, se separaverat, [a]) et tabernacula habebat usque ad terebinthum Zaannajimi prope Kedescham. — 12. Sisera certior factus, Barakum, Abinoami filium, Taborem montem occupasse, 13. congregavit currus suos ferreos numero nongentos, nec non omnem suum exercitum e Charoscheth Gojitarum ad torrentem Kischon. 14. Tum Debora jussit Barakum, ut hostem aggrederetur, hunc esse diem, quo Siseram Jova ei esset traditurus, Jovam jam ipsum praecedere. [b]) Igitur monte descendit Barakus, subsequentibus decem hominum

a) Cf. cap. I, 16.

b) Sc. in tempestate, quam Debora haud dubie videbat oriri.

num millibus. 15. Jova vero vehementer perturbavit Siſeram, currus omnemque ejus exercitum, et Baraki gladio objecit. c) Ille curru deſcendere et pedibus fugere coactus eſt. 16. Hic autem currus et hoſtem perſecutus eſt usque ad Charoſcheth Gojitarum. Sic omnis Siſerae exercitus gladio eſt conſectus. 17. Ipſe autem in fuga venit ad tentorium Jaëlis, conjugis Cheberi, Kenaei, qui tum amicus erat Jabini, regis Chazorenſis. 18. Jaël, obviam egreſſa Siſerae, eum rogavit, ut ad ſe omni metu depoſito diverteret. Quod cum feciſſet, texit eum ſtragulo. 19. Deinde cum paululum aquae ab ea peteret, quod ſitiret, illa ex utre lac bibendum praebuit atque *iterum ſtragulo* texit. 20. Juſſerat autem eam ante tabernaculum ſtare, et negare, quenquam adeſſe, ſi quis eam interrogaret. 21. At Jaël, Cheberi conjux, ſumto tabernaculi clavo et prehenſo malleo, clam ad eum acceſſit, et infixit clavum ejus temporibus *tanta vi*, ut humum usque transigeret. Sic ſomno oppreſſus mortuus eſt. 22. Tum Barakus Siſeram perſequens venit. Cui Jaël obviam egreſſa dixit: Huc ades, ostendam tibi hominem, quem quaeris. Cum intraſſet, vidit Siſeram proſtratum et exanimem, clavo temporibus ejus infixo. 23. Sic Deus eo die Jabinum, Canaanitarum regem, ſuppreſſit Iſraëlitis, 24. qui deinde eum magis magisque urgebant, donec eum tandem prorſus exſcinderent.

CA-

c) יָרַד explico in ſignificatione praegnante.

CAPUT V.

Carmen triumphale Deborae et Baraki. a)

1. Tunc Debora et Barakus, Abinoami filius, hoc carmen cecinerunt: 2. Quod principes Israëlis muneri suo non defuerint, b) quod populus sponte se *ad bellum* obtulerit, laudate Jovam. 3. Audite, reges, attendite, principes! ego Jovam canam, ego Jovae, Israëlitarum Deo, psallam. 4. Jova, cum prodires ex Seïre, cum incederes per campos Idumaeos, terra concussa est, coelum stillavit, stillarunt nubes aquam. 5. Montes diffluxerunt ad adventum Jovae, ille Sina ad adventum Jovae, Dei Israëlitarum. 6. Tempore Samgaris, Anathi filii, tempore Jaëlis desertae erant viae, et

a) Carmen hoc elegantissimum, sed in nonnullis locis difficillimum, complures viri docti sibi illustrandum sumserunt. Ex quibus duos tantum hoc loco nominasse sufficiat, quoniam reliqui in horum commentationibus doctissimis sunt laudati. Alter est Celeberrimus *Schnurrer*, qui eruditissimam in hoc canticum scripsit dissertationem Tubingae 1775; cujus, cum rara obvia sit, excerpta reperiuntur in *Ernesti* biblioth. theol. recentiss. p. IV. p. 148. Alter est Celeb. *Koehler*, qui novam dedit hujus carminis versionem Germanicam, notis subjectis, in quibus rationem reddit dissensus in nonnullis locis a *Schnurreri* interpretatione, in *repertorio litteraturae oriental.* p. VI. p. 163. Cui spicilegium addidit in parte XII. p. 238. Ego illum potissimum secutus sum. Rationes autem versionis meae quaerant lectores vel in disputatione laudata, vel in excerptis indicatis. Nam cum in notis versioni subjectis brevitati inprimis sit studendum, non nisi pauca ad ejus explicationem addere potui.

b) Sic fere *oi ὁ* et *Theodotion* verba Hebraica difficillima בַּפְרֹעַ פָּרֹעוֹת בְּיִשְׂרָאֵל explicant: *ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγοὺς ἐν Ἰσραήλ.* Sensus est: quod fuerint in Israële principes, qui mandata dare et rebus afflictis opem ferre ausi sunt. — Praeter h. l. exstat Deut. 32, 42., ubi eodem modo explicat Arabs et Onkelos Deut. 16, 18. שֹׁטְרִים vertit פּוּרְעָנִין.

et qui *antea* in viis regiis proficiſcebantur, per vias tortuoſas iter faciebant. 7. Deerant duces [c]) Iſraëli, deerant, donec ego ſurgerem Debora, donec ſurgerem mater Iſraëlis. 8. *Qui ſimul atque* novos Deos elegerat, hoſtis erat ante portas. Per Deum! neque clypeus, neque jaculum inveniebatur in quadraginta millibus Iſraëlitarum. 9. Faveo ducibus Iſraëliticis, *faveo* militibus, qui ſe voluntarie ſiſtebant. Laudate Jovam. 10. Qui equitatis ſuper albis mulis, qui inſidetis ſtragulis pretioſis, qui pedibus terram peragratis: Omnes carmen meditamini. 11. *Carmen meditamini* ob jubila praedam ſortientium, inter loca, ubi aqua hauritur. Ibi celebrent virtutem Jovae, virtutem ducum ejus in Iſraële, tunc deſcendat [d]) ad oppida ſua populus Jovae. 12. Age, age, Debora, *inquiebam*, age, age, carmen cane. Surge, Barak, et captivos fac, fili Abinoam.

c) Ad illuſtrationem vocabuli פְּרָזוֹן in hac forma tantum h. l. et verſu 11. obvii interpretes triplicem attulere ſignificationem ex linguis cognatis. Prima eſt, quam in verſione poſui et quam *οἱ ὁ* et Vulgatus quoque ei tribuerunt: *ἄνακτοι*, *fortes*. Quae ex Arabico فرض poteſt illuſtrari, quod eſt in ſecunda conjugatione *ſtatuere*, *litem dirimere*. Hinc noſtrum פרזון poteſt eſſe ſynonymum *τοῦ* שִׁפְטֵם. — Altera nititur auctoritate Chaldaei interpretis, qui פרזים et פרזות, quae ſumuntur eſſe ſynonyma noſtri פרזון, per *pagos* explicat. — Tertia ſequitur interpretem Syrum et Arabem, qui illud per *planitiem* ſ. *deſertum* transtulerunt, quae ſignificatio ex Arab. فرض poteſt probari. At ſecundum hanc explicationem in tribus membris eadem eſſet ſententia repetita, quod recte *Koehlerus* obſervavit. Altera verſui 11. non ſatis convenire videtur. Igitur primam in verſione expreſſi.

d) Pro יָרְדוּ legendum videtur יֵרְדוּ in futuro, *deſcendent*.

13. Tunc reliquiae, *quae evaserant*, occurrunt validis, populus Jovae obviam procedit heroibus. [e]) — 14. De Ephraimitis descenderunt, quorum sedes est in monte Amalek. [f]) Post vos, o Ephraimitae, venerunt Benjaminitae cum vestris copiis. De Machiritis adfuerunt praefecti militares, et de Sebulonitis tenentes baculum numeratoris. [g]) 15. Primarii [h]) de Issascharitis erant circa Deboram, et *reliqui* illius tribus praesidium Baraki in vallem missi eum comitantes. — 16. Juxta rivos Rubenitae magna inter se agitabant consilia. Quare vero mansistis inter canales ad audiendos gregum balatus? Juxta rivos Rubenitae multa consultabant. 17. Gileaditae trans Jordanum conquiescebant, et Danitae quare divertebant [i]) ad mare? Ascheritae manebant in littore maris et in urbibus suis maritimis conquiesce-

e) Omnis hujus versus difficultas tollitur levissima vocalium et accentuum mutatione. Pro יָרַד legendum est יָרֵד *descendit*. עַם jungendum est cum sequenti יהוה, non cum לאדירים. Quem nexum facillimum esse, non eget fere probatione.

f) *Amalek* est nomen montis in regione Ephraimitarum Jud. 12, 15. Ad שֹׁרְשָׁם supple אשר *qui radicem suam habent*, h.e. qui suas sedes habent. Sic Es. 27, 6. Ps. 80, 10.

g) In textu est: מֹשְׁכִים בְּשֵׁבֶט סֹפֵר. Ex 2 Reg. 25, 19. et 2 Paral. 26, 11. plane apparet, ספר significare praefectum rei militaris, cujus erat officium, numerare milites et in suos ordines et classes distribuere. Credibile est, baculum gestatum fuisse ab hujus ordinis hominibus, tanquam insigne muneris sui. — משך sequenti ב est *prehensum aliquid tenere*, ut cap. 4, 6.

h) Pro שָׂרֵי legendum est שָׂרֵי non obstante ב in regimine, ut Ps. 2, 12. 84, 7.

i) Sic verto גור ex significatione sua primaria. Sic quoque *οἱ ὁ, παροικεῖ πλοίοις*. Nam Danitarum regio acque ac Ascheritarum erat maritima.

escebant. — 18. Sebulonitae viam suam praesentissimo periculo objecerunt, quod idem fecerunt Naphtalitae in campis patentibus. — 19. Venerunt reges, pugnarunt, tunc pugnarunt reges Canaanis in Taanach ad aquas Megiddo, sed ne frustulum quidem argenti abstulerunt. 20. E coelo pugnatum est, stellae ex orbitis suis pugnarunt cum Sisera. 21. Torrens Kischon devolvit eos, torrens proeliorum est torrens Kischon; calcabas, o Debora, robustos. 22. Tunc calces equorum tundebant terram ob praecipitem cursum nobiliorum de illis. 23. Exsecramini Meros, jubet legatus Jovae. k) Exsecramini ejus incolas, quia non venit ad auxilium Jovae inter alios fortes bellatores. — 24. Laudetur, si quae alia, Jaël, uxor Cheberi Kenitae. Laudetur prae aliis tabernacula incolentibus. 25. Aquam petiit, lac dedit, in patera pretiosa obtulit cremorem lactis. l) 26. Sinistram extendit ad clavum et dextram ad malleum operariorum et contudit Siseram, conquassavit ejus caput, percussit et transfixit ejus tempora. 27. Ad pedes ejus prostratus se curvabat, ad pedes curvatus cecidit; ubi se curvabat, ibi cecidit oppressus. — 28. Per fenestram prospicit, et clamat mater Siserae per cancellos: Quare tardat currus ejus venire? Cur morantur quadrigarum ejus incessus? 29. Sapientiores feminarum ejus respondent, imo ipsa sibi respondet: 30. Annon potitam dividentpraedam? Puellam, immo duas unicuique puellas? Praedam versicolorem Siserae, praedam versicolorem, acu pictam, co-

k) H. e. Debora.

l) Probabiliter lactis camelini, quod vim habet inebriandi.

coloratam, utrinque acu pictam, tégmina collis jumentorum. m) — 31. Sic pereant omnes hoftes tui, o Jova! Sed qui te diligunt, n) fplendeant ficuti fol in ortu fuo. — Poft haec pax fuit quadraginta annorum.

CAPUT VI.

Ifraëlitae propter iteratam a Deo defectionem traduntur Midianitis et Amalekitis, a quibus per feptem annos male vexantur 1—10. Gideon ab angelo Dei evocatur ad eos liberandos 11—24., qui in fomnio divinitus excitatur ad aram Baalis deftruendam 25—32. Exercitum cogit et miraculo victoria ei promittitur 33—40.

1. Cum Ifraëlitae Jovam *denuo* offendiffent, tradidit eos per feptem annos Midianitis, 2. qui Ifraëlitis fuperiores facti eos coëgerunt, fefe cavernis montanis, fpeluncis et turribus continere. 3. Nam quando Ifraëlitae fementem fecerant, invadebant eos cum Amalekitis et Arabibus, 4. et caftris in eorum terra pofitis depopulabantur fruges usque ad Gazam, neque victum eis, neque oves, boves aut afinos relinquentes. 5. Etenim cum pecore fuo et tentoriis, tanta multitudine, quae locuftis aequaret, et innumerabili hominum et camelorum copia veniebant, totamque terram vaftabant. 6. Ita viribus per Midianitas valde attritis Ifraëlitae Jovam invocarunt. 7. Hic commotus eorum precibus 8. mifit ad eos prophetam, qui hunc in

m) De elegantiffima hujus loci conftructione poëtica vid. *Lowth* de poëfi f. Hebr. p. 255. feqq.

n) Pro אהביו *amantes eum* legendum videtur אֹהֲבֶיךָ. Sic Syrus, Arabs et Vulgatus.

in modum apud eos verba fecit: Sic dicit Jova, Deus Israëlitarum: Ego vos ex Aegypto, ex ergastulo isto, eduxi, 9. liberavi vos ab Aegyptiis et omnibus, qui vos affligebant, atque his ejectis dedi vobis eorum terram, 10. vosque hortatus sum, cum ego Jova Deus vester essem, ne timeretis Deos Amoritarum, quorum terram inhabitatis. Sed mihi morem non gessistis. — 11. Postea Jovae angelus apparuit sedens sub terebintho Ophrae, quae Joaschi erat, ex familia Abiesseris. Hujus filius Gideon triticum triturabat in torculari, ut illud a Midianitis servaret. 12. Hunc Jovae angelus sic est allocutus: Adsit tibi Jova, vir fortis! 13. Respondit Gideon: Quaeso te, mi Domine, si Jova nobis adest, qui fit, ut ista nobis eveniant? Ubi sunt tot ejus miracula, quae nobis majores nostri narrarunt, nos eductos a Jova esse ex Aegypto? Nunc enim nos deseruit tradiditque Midianitis. 14. a) Vade, inquiebat Jova, in hac virtute tua et libera Israëlitas a Midianitis, ego te mitto. 15. Respondit Gideon: Quomodo ego, Domine, liberabo Israëlitas, cum familia mea tenuis sit inter Manassitas, atque ego minimus sim in domo paterna? 16. Tecum ero, inquit Jova, tu Midianitas ad unum omnes concides. 17. Tum ille: Si quid gratia apud te valeo, ede mihi signum, *ex quo intelligam*, te mecum loqui. b) 18. Noli hinc dis-

a) Omitto verba וַיֹּאמֶר אֵלָיו, in quibus non putem esse argutandum. Redundare videntur ut illud: *et respondit et dixit*. Vel dicta sunt cum respectu ad vers. 11., ubi narratur, angelum illum sub terebintho consedisse. Ex quo loco fortasse sese propius ad Gideonem convertit.

b) Scilicet, tanquam legatus Dei, ejus nomine.

discedere, donec rediero munusque, quod tibi offeram, attulero. Exſpectabo, inquit, reditum tuum. 19. Tum Gideon, domum ingreſſus, parat hoedum caprinum, et epham farinae non fermentatae. Carnem ponit in caniſtro, jus in olla, et ſic egreditur ad illum ſub terebintho et offert. 20. At angelus Dei jubet eum carnem et panes azymos deponere in petra, et jus effundere. Quod cum ille feciſſet, 21. cum extrema parte baculi, quem manu tenebat, tangit carnem et panes azymos. Tunc ignis erupit ex petra, et conſumſit utrumque. Angelus Jovae autem e conſpectu ejus disparuit. 22. At Gideon animadvertens, Jovae angelum fuiſſe, dixit: Heu, Domine Jova! re vera vidi angelum tuum praeſentem. 23. Securus eſto, inquit [c]) Jova, depone metum, non morieris. 24. Tunc Gideon ibi [d]) aram exſtruxit Jovae, quam *Jovae ſecuritas* vocavit, quae etiamnum exſtat Ophrae Abieſeris. 25. Hac ipſa nocte juſſit eum Jova ſumere taurum de armento patris ſui, et alium taurum ſeptennem, et deſtruere aram Baalis, quae patri ſuo eſſet, et ſuccidere lucum juxta eam poſitum; 26. Jovae autem, Deo ſuo, aedificare aram in vertice illius rupis, in quo antea ſacrificium depoſuiſſet, atque alterum taurum in holocauſtum immolare, adhibitis lignis de luco ſucciſo. 27. Gideon adjutus a decem ſervis fecit, quod Jova juſſerat, ſed quoniam ſibi timebat a paterna familia et oppidanis, non interdiu fecit, ſed noctu. 28. Poſtridie mane oppidani vident aram Baalis deſtructam, lucum ejus ſucciſum, et taurum

c) Procul dubio noctu in ſomnio.

d) Sc. ubi angelum viderat.

rum immolatum ſuper ara exſtructa. 29. Hic alius alium rogat, quis hoc feciſſet? Inquirunt et inveſtigant, et cognoſcunt, Gideonem, Joaſchi filium, auctorem eſſe. 30. Tum omnes a Joaſcho filium ſuum ad ſupplicium poſtulant, quod aram Baalis deſtruxiſſet et lucum ejus ſuccidiſſet. 31. At Joaſchus omnibus, qui aderant, ſic reſpondit: Num vos cauſam agitis Baalis? Num vos eum defendetis? Qui pro eo contenderit, hoc ipſo die e) morietur. Si Deus eſt, ipſe cauſam ſuam agat de ara ſua deſtructa. 32. Ab eo tempore Gideon vocabatur Jerubbaal, quod *pater* dixerat: Contendat cum eo Baal, quia aram ejus evertit. — 33. Cum vero Midianitae, Amalekitae et Arabes conjunctim Jordano trajecto caſtra poſuiſſent in valle Jeſreelis, 34. Gideon divina virtute excitatus tuba ſignum dedit, et convenerunt ad eum, qui erant de familia Abieſeris. 35. Tum nuncios miſit ad Manaſſitas, qui etiam ad eum confluebant, et cum alios nuncios miſiſſet ad Aſcheritas, Sebulonitas et Naphtalitas, hi jam eis occurrebant. 36. Quo facto Gideon Deum his verbis eſt allocutus: Si per me liberaturus es Iſraëlitas, quemadmodum promiſiſti, *confirma me ſigno quodam, quod abs te petam.* 37. Ego ponam vellus in area. Si ros fuerit in ſolo vellere, et tota terra ſicca, ego intelligam, te per me liberaturum eſſe Iſraëlitas, quemadmodum promiſiſti. 38. Atque ita etiam evenit. Poſtridie mane, cum comprimeret vellus, expreſſit roris plenam aquae pa-

e) Hebr. עַד הַבֹּקֶר *usque ad mane.* Sed עַד non ſemper terminum temporis, ſed totum ejus tractum indicat, propterea ego verti: *hoc ipſo die.* Cf. *Glaſſius* p. 382.

patinam. 39. At Gideon Deum iterum precatus eſt: Ne aegre feras, quod ſemel adhuc rogem. Experiar iterato rem in vellere. Sit vellus tantum ſiccum, in terra vero ros. 40. Atque ita Deus fecit hac nocte. Siccum erat tantum vellus, et tota terra rore madebat.

CAPUT VII.

Juſſu Dei Gideon maximam partem exercitus collecti dimittit, trecentis tantum relictis, quibus victoria promittitur 1—7. Stratagemate uſus hoſtes aggreditur et vincit 8—22. In fuga Iſraëlitae finitimi eos perſequuntur 23—25.

1. Tum Jerubbaal, alias Gideon dictus, mane cum omnibus ſuis copiis caſtra ponit ad fontem Charod. Caſtra Midianitarum ei erant ad ſeptentrionem juxta collem Morae in valle. 2. Hic Jova Gideoni dixit: Numeroſior eſt ille exercitus, quem habes, quam ut ei Midianitas tradam, ne Iſraëlitae glorientur, ſe non meo beneficio, ſed ſua virtute victoriam eſſe conſecutos. 3. Igitur edicito in exercitu, ut timidi aut meticuloſi revertantur et properent ad montem Gilead. [a]) — Tum red-

---

a) Multi interpretes haerent in his verbis textus: מֵהַר הַגִּלְעָד, quoniam praepoſitioni מִן frequentiorem ſignificationem *ex* tribuunt. Quod ſi fit, non apparet, quomodo haec conciliari poſſint cum ſitu regionum, de quibus h. l. ſermo eſt. Gideon caſtra habebat in regione Jordani occidentali, mons vero Gilead ei erat trans Jordanum ad orientem. Igitur qui in caſtris Gideonis erant, non poterant *ex* monte Gilead per Jordanum ab eis ſeparato diſcedere. Ad hanc contradictionem tollendam viri docti varias ſententias attulerunt. Quarum duas tantum recentiſſimas commemorabo. *Clericus* quidem (neſcio, num ante eum jam alii) pro גִּלְעָד legi vult גִּלְבֹעַ *mons Gilboae*, in quo Gideon

redierunt viginti et duo millia, et relicta ſunt decem millia. 4. Aſt Jova Gideoni dixit: Hi quoque nimis multi ſunt, deduc eos ad aquas, ibi ſeparabo eos, tibique indicabo, qui te comitari aut non comitari debeant. 5. Cum illud feciſſet, juſſit eum Jova, ut, qui aquam lingua more canum lambiſſent, ſeorſim collocaret, atque eos, qui in genua procubuiſſent ad bibendum, *etiam ſeorſim*. 6. Fuit autem numerus eorum, qui manu ori admota biberant, hominum trecentorum.

deon caſtra ſua habebat, qui valli Jeſreelis, in qua Midianitae caſtrametabantur, erat a ſeptentrione. Quam *Clerici* conjecturam *Hubigantius* tanquam unice veram lectionem approbavit et in verſione ſua poſuit. Mihi vero parum probabilis videtur. Primo enim nullus antiquorum interpretum eam habet, aut alius cujusdam lectionis variae indicium prodit. Omnes in recepta conſentiunt, quod in lectione dubia aut obſcura raro ſolet evenire. Deinde, ſi Gideon hoc tantum edixit: timidos poſſe domum reverti, non locum ipſum, in quo caſtra habebat, ſuo nomine vocaſſet, ſed particulam מִשֶּׁם adhibuiſſet: *qui timidus eſt, hinc celerrime discedat*. Quid opus erat, Iſraëlitis nominare montem, cujus nomen omnibus ſatis nomen erat? — Ill. *Michaelis* non ſatis apta haec eſſe fortaſſe ſentiens, ſed uſitatiorem ſignificationem praepoſitionis מִן tantum attendens, alia ratione difficultatem tollere tentavit. Pro מֵהַר *a monte* legit מָהַר *cito*. *Timidus revertatur et cito volet Gileadum*. Nam צפר ἅπαξ λεγόμ. ei eſt *volare*. Quem tropum etiam in verſione retinuit et ſic vertit: Laſs unter dem Volke ausrufen, daſs, wer ſich fürchtet und wem ein Schauder anwandelt (חָרֵד), wieder umkehre und geſchwind nach Gilead fliege. — At enim vero neque hac emendatione opus videtur, quoniam ex aliquot locis plane conſtat, מִן dictum quoque eſſe Hebraeis de motu ad locum, nempe Geneſ. 13, 11. 2 Sam. 6, 2. coll. 1 Chron. 13, 6. Eſ. 18, 2., (*Glaſſius* p. 576.) quibus addi poſſunt loca Levit. 4, 17. *intingat ſacerdos digitum* מִן הַשֶּׁמֶן *in oleum*, coll. v. 6., ubi pro מִן ponitur ב, it. Levit. 14, 16. Sic jubentur in noſtro loco timidi fuga ſaluti ſuae proſpicere Jordano trajecto in montibus Gilead.

rum. Reliqui omnes in genua procubuerant ad bibendum. 7. Per hos trecentos homines, inquit Jova Gideoni, qui lambendo biberunt, vos liberabo, tradamque Midianitas in manus tuas, reliqui omnes domum redeant. 8. Itaque illi commeatu et tubis instructi sunt, et, reliquis Israëlitis omnibus a Gideone dimissis, retinuit tantum illos trecentos. Castra Midianitarum infra eum posita erant in valle. 9. Hac ipsa nocte eum jussit Jova ad illa castra, quae ei tradidisset, descendere. 10. Sin vereretur, *solus* descendere, secum sumeret Puram, famulum suum, 11. ut audito eorum colloquio animo confirmatus castra deinde aggrederetur. Igitur descendit cum Pura, famulo suo, ad extremas castrorum stationes. (12. Midianitae autem, Amalekitae et Arabes jacebant in valle tanta multitudine, quanta locustarum esse solet, cum innumerabili camelorum copia, quae arenam ad littus maris aequaret.) 13. Quo cum venisset, audivit aliquem, qui alii somnium narrabat his verbis: Videbam ego in somnio panem hordeaceum sese cum strepitu provolventem per castra Midianitarum, cumque ad tentorium *meum* pervenisset, hoc ita concussit, ut corrueret et totum everteret. 14. Respondit ille: Nihil aliud hoc est, nisi gladius Gideonis, filii Joaschi Israëlitae, cui Deus Midianitas eorumque castra tradidit. 15. Cum hanc somnii narrationem ejusque interpretationem Gideon audivit, Deo gratias agit, et in castra Israëlitica reversus hortatur suos, ut sese expediant, nam Jovam ipsis Midianitarum castra tradidisse. 16. Tunc trecentos illos in tria agmina dividit, singulis singulas tubas

dat,

dat, et vacuos urceos, in quibus faces *occultent*, 17. jubetque, ut ad fe attendant et idem faciant. Quando, inquiebat, ad extrema caftra pervenero, quod ego fecero, idem et vos facitote. 18. Tuba clangorem edam una cum illis, qui mecum funt: tum vos quoque tubis clangite circum caftra *hoftium* et clamate: Gladius [b]) Jovae et Gideonis! 19. Cum Gideon et centum ejus comites ad extrema caftra initio mediae vigiliae venifent, vigilibus ad ftationes fuas modo deductis, tubis clangunt, et frangunt urceos, quos manibus tenebant. 20. Tunc omnia tria agmina tubis clangunt, fractisque urceis finiftra manu faces tenent, dextra vero tubas ad clangendum, et exclamant: Gladius Jovae et Gideonis! 21. Omnes vero in locis fuis fubfiftunt circum caftra. Tunc in caftris omnes concurrere, vociferari, fugere, 22. et clangentibus illis trecentis tubis, alius in alium per tota caftra gladium convertere, tandemque omnes fugere usque ad Bethfchittam verfus Zeretatham et usque ad ripam Abelmecholae ad Tabbatham. 23. Ifraëlitae vero e *tribubus* [c]) Naphtali, Afcher et Manaffe evocati perfecuti funt Midianitas, 24.

---

b) Vocabulum חֶרֶב in textu recepto quidem non legitur, fed *Kennicottus* fex codd. citavit, in quibus invenitur. Ex verfionibus antiquis illud habent Chaldaeus, Syrus et Arabs. In verfione Graeca quidem jam non exftat, fed Drufius auctor eft, antiquos libros habere ῥομφαία κυρίῳ καὶ τῷ Γεδεών. Praeter haec antiquiffimorum codd. teftimonia etiam ex verfu 20. plane intelligitur, hanc vocem textui effe reftituendam, ubi narratur, milites Gideonis feciffe, quod juffi erant.

c) Illi haud dubie, qui ex majori exercitu, quem Gideon ab initio coëgerat, dimiffi in eo adhuc erant, ut in patriam redirent.

24. et Gideon misit nuncios ad regionem montanam Ephraimitarum, ut occurrerent Midianitis eisque aquam occuparent usque ad Bethbaram et Jordanum. Quod cum Ephraimitae fecissent, 25. ceperunt duos Midianitarum principes, Orebum et Seebum. Illum quidem in rupe Orebi, hunc in torculari Seebi [d]) interfecerunt, capita vero eorum, Midianitas ulterius persequentes, miserunt ad Gideonem trans Jordanum.

CAPUT VIII.

Gideon Ephraimitas cum eo altercantes prudenti responso placat 1—3. Midianitas trans Jordanum persequens ab incolis Succoth et Pnuel commeatum petit; quem cum denegassent, redux factus poenas ab eis sumit 4—17. Duos Midianitarum reges captos occidit 18—21. Regnum hereditarium sibi ab Israëlitis oblatum deprecatur, sed inaures ex praeda hostium sibi expetit, ex quibus simulacrum fundit et cultum idololatricum instituit, quo ut et aliorum Baalim cultu Israëlitae denuo a Jova deficiunt 22—34.

1. Simul cum eo expostulantes, [a]) quod, cum hanc adversus Midianitas expeditionem suscepisset, se non in subsidium vocasset: qua de re vehementer cum eo altercabantur. 2. At Gideon respondit: Quid feci, quod cum eo, quod vos fecistis, posset comparari? Nonne racematio Ephraimi melior est vindemia Abiese-

---

d) Nomina locis ex facto deinceps imposita.

a) Cohaeret vers. 1. cum fine praecedentis capitis. Ceterum de principatu, quem tribus Ephraim inprimis affectabat, cf. Ill. *Michaelis* in jure Mosaico p. I. §. 47. p. 232. Exstat etiam peculiaris dissertatio *de aemulatione Israëlitarum mutua* in *Verschuir* theol. Batav. dissertationibus philol. exeget., quae prodierunt Leowardiae 1773.

eſeris? 3. Deus manibus veſtris tradidit duos Midianitarum principes, Orebum et Seebum. Ecquid ego feci, quod huic veſtro facto ſimile ſit? — Cum ſic eis reſpondiſſet, ira eorum reſedit. — 4. Deinde Gideon venit ad Jordanum. Quo trajecto cum trecentis illis comitibus ſuis, qui ex perſecutione omnes fatigati erant, 5. petiit ab incolis Succoth, ut panes darent ſuis militibus delaſſatis, ſe perſequi Midianitarum reges, Sebachum et Salmunam. 6. At proceres Succothenſium reſponderunt: Num Sebach et Salmuna jam ſunt in poteſtate tua, ut copiis tuis panem praebeamus? 7. At Gideon: Si Jova Sebachum et Salmunam mihi tradiderit, vos ſpinis ſilveſtribus tribulisque caedam. 8. Hinc progreſſus eſt Pnuelem, atque eadem petiit. Sed oppidani eadem, quae Succothenſes, reſponderunt. 9. Igitur Gideon minabatur Pnuelenſibus, ſi ſalvus rediret, ſe velle turrim iſtam diruere. — 10. Sebach autem et Salmuna cum exercitu circiter decem millium hominum Karkore erant. (Tot enim omnino ſupererant ex iſtis Arabibus, ex quibus centum et viginti millia ceciderant, qui omnes armis ferendis erant idonei.) 11. Hos Gideon ſecuros via ſcenitarum ab oriente Nobachae et Jogbehae aggreditur et caedit. 12. Sebachum et Salmunam, Midianitarum reges, in fuga perſequitur et capit, caſtra ipſa diſpergit. 13. Quibus confectis per loca edita Chereſi ex illa expeditione reverſus, 14. comprehendit juvenem quendam Succothenſem. Hunc percontatus nomina principum et ſenatorum Succothenſium litteris conſignare juſſit, qui erant numero

ſe-

ſeptem et ſeptuaginta. 15. Tunc eos convenit et ſic eſt allocutus: En Sebachum et Salmunam, de quibus vos contemtim ex me quaerebatis, num jam in poteſtate mea eſſent, ut victum dare poſſitis meis militibus fatigatis? 16. Tum ſumſit ſpinas ſilveſtres et tribulos, quibus ſenatores oppidi Succoth contrivit. b) 17. Turrim autem Pnuelenſem deſtruxit et oppidi incolas interfecit. 18. Deinde Sebacho et Salmunae dixit: Quales erant homines illi, quos in Tabore occidiſtis? Reſpondebant: Tui ſimillimi, et alter quidem forma plane regali. 19. Fratres mei germani erant, inquit ille; per Jovam! ſi eos vivos conſervaſſetis, ego

---

b) In textu eſt וַיֹּדַע בָּהֶם. Quae lectio defendi quidem poteſt ex ſignificatione verbi ידע *ſupplicio affecit*, quam *Schultenſius* in comment. ad Proverb. Sal. et Jobum ei tribuit. Sed antiquiores interpretes diverſam a recepta legerunt. *Οἱ ὁ* vertunt: *καὶ ἠλόησεν ἐν αὐτοῖς τοὺς ἄνδρας τῆς πόλεως.* Illi igitur in ſuo cod. habuerunt יָדֹשׁ, ut eſt in verſ. 7. Vulgatus: *et contrivit cum eis atque comminuit viros Succoth*, ſive יָדֹק legerit, ſive etiam יָדֹשׁ, ut *οἱ ὁ*, modo latiori ſignificatione poſita. Syrus: ܘܐܫܬܢܝ, *ſupplicio affecit*, quae eſſet receptae lectionis verſio ex ſignificatione verbi ידע ſupra indicata. Mihi quidem praeferenda videtur lectio *τῶν ὁ*, quoniam non ſolet ſcriptor noſter variare in formis loquendi, ſed easdem repetere, ubi de eadem re ſermo eſt. Error vero in literis ſimilibus שׁ et ע facile potuit admitti. Ceterum ſub בַּדְּקָנִים intelligo ſpinarum ſpeciem, quamquam, quae proprie ſit, nemo facile dixerit. Antiquiores quidem interpretes ignorarunt. *Οἱ ὁ* Hebraicum verbum retinuerunt *ἐν τοῖς βαρκηνίμ*, Aquila *ἀκάνθας*, Syrus ܟܘܪܛܒܐ, ſimiliter Arabs *tribuli*. Cf. *Celſius* in hierobot. p. II. p. 192, qui nominat roſam ſilveſtrem vulgarem. Nec tamen auſus eſt aliquid definire.

ego vos non interficerem. 20. Tunc jussit filium suum primogenitum Jetherum eos interimere. Sed cum puer prae timore gladium non stringeret, quod tenerrimae adhuc aetatis erat, 21. dixerunt Sebach et Salmuna: Age, tu jam nos interfice, nam viro virtus etiam respondet. Tunc Gideon eos interfecit et sumsit lunulas, quae erant collis camelorum illorum adpensae. — 22. Deinde Israëlitae postulant a Gideone, ut primo ipse, deinde filii ejus et nepotes, sibi imperet, quod ipsos a Midianitis liberasset. 23. At Gideon, Neque ego, inquit, neque filii mei vobis imperabunt. Jova sit dominus vester. 24. Unum vero a vobis peto: Date mihi omnes inaures, quas ex praeda cepistis. (Nam hostes inaures aureas habuerant, quod Ismaëlitae erant.) 25. Dabimus, inquiunt. Simul in pannum expansum conjiciunt omnes inaures, quibus praeda erant potiti. 26. Fuit autem pondus inaurium aurearum, quas Gideon sibi expetierat, mille et septingentorum siclorum aureorum, praeter lunulas, monilia et vestes purpureas regum Midianiticorum, et praeter torques, quibus ornata fuerant camelorum colla. 27. Ex his fecit simulacrum, quod in urbe patria Ophra collocavit et omnes Israëlitae cultu idololatrico impuro prosecuti sunt. Haec res Gideoni et familiae ejus fuit perniciosa. 28. Midianitae autem ab Israëlitis ita subacti fuerunt, ut non auderent caput efferre. Hinc pace fruebatur terra per quadraginta annos, quamdiu Gideon vixit. 29. Hic (qui et Jerubbaal vocabatur, Joaschi filius) domum suam rediit. 30. Habuit septuaginta filios ab ipso genitos, nam multae ei erant uxo-

res. 31. Praeterea e pellice, quae Sichemi habitabat, filium ſustulit, quem Abimelechum vocavit. 32. Tandem grandaevus mortuus eſt et ſepultus in ſepulcro Joaſchi, patris ſui, Ophrae Abieſritarum. 33. Poſt mortem ejus Iſraëlitae iterum ſeſe ad cultum idololatricum Baalim converterunt, inprimis Baalberith ut Deum ſuum coluerunt, 34. immemores Jovae, Dei ſui, qui eos ab omnibus hoſtibus finitimis liberaverat. 35. Neque etiam gratiam retulerunt familiae Jerubbaalis ſive Gideonis pro tot tantisque beneficiis, quibus eos affecerat. c)

CAPUT IX.

Abimelechus, Gideonis filius, e pellice natus, regnum affectat 1—4. Occidit fratres ſuos omnes ſeptuaginta numero, uno Jothamo excepto, qui eleganti apologo Sichemitas redarguit atque parum felices ſe rege ſuo Abimelecho futuros eſſe praedicit 5—21. Oritur bellum civile inter Iſraëlitas et Abimelechum, in quo hic in oppugnatione turris perit 22—57.

1. Abimelechus, Jerubbaalis filius, Sichemi matris ſuae fratres convenit, atque ab his reliquisque cognatis paternae domus matris ſuae petiit, 2. ut incolis Sichemi demonſtrarent: minus utile eis videri poſſe, omnes Jerubbaalis filios numero ſeptuaginta eis imperare, quam unum; meminerint praeterea, ſe ipſorum eſſe conſanguineum. 3. Egerunt igitur fratres Abimelechi ex matre cum Sichemitis hac de re, eorumque animos ad illum inclinarunt, propterea quod

c) Haec connectunt hiſtoriam, quae in ſequenti capite legitur.

quod eorum eſſet conſanguineus, 4. eique dederunt ſeptuaginta ſiclos argenteos e fano Baalberith, quibus conduxit homines quosdam leves et perditos, 5. atque cum his venit domum paternam Ophrae, et interfecit fratres ſuos, Jerubbaalis filios, numero ſeptuaginta ſuper uno lapide, [a]) excepto Jothamo natu minimo, qui abditus erat. 6. Tum convenerunt omnes Sichemitae et univerſa domus Millo, [b]) regemque crearunt Abimelechum juxta terebinthum, quae eſt prope Sichemum. 7. Quod cum Jothamo eſſet indicatum, petit montem Garizim, et ex ejus vertice ſublata voce eis acclamat: Audite me, o Sichemitae, ut Deus vos audiat! 8. Arbores aliquando coierunt ad regem ſibi ungendum, dixeruntque oleae: Sis rex noſter. 9. Reſpondit eis olea: Num ego deſeram oleum meum, quo Dii hominesque honorantur, ut arborum negotia curem? 10. Tum a ſicu petierunt, ut regnum in ſe capeſſeret. 11. Verum et haec negavit, ſe poſſe dulcedinem ſuam relinquere fructusque ſuaves, ut res arborum curaret. 12. Tum vitem rogarunt, ut regnum in ſe ſusciperet. 13. At vitis quoque negavit, ſe velle muſtum ſuum relinquere, quod Deos hominesque exhilaret, ut arborum negotia exſequeretur. 14. Tum omnes ſeſe converterunt ad rhamnum, et petierunt, ut in ſe regnaret. 15. Reſpondit rhamnus arboribus: Si bona fide me regem veſtrum ungere velitis, venite,

 con-

a) Videntur eſſe decollati.

b) Domus Millo videtur fuiſſe arx, ſive turris, quae infra verſ. 46. et 49. turris Sichemi vocatur. Igitur h. l. intelliguntur, qui hanc arcem incolebant.

confugite ſub umbram meam. Sin minus, ignis ex me erumpet, qui Libani cedros conſumet. c) 16. Jam ſi bona fide et recte feciſtis, dum Abimelechum regem conſtituiſtis, ſi amice vos geſſiſtis erga Jerubbaalem et familiam ejus, ſi beneficia ab eo accepta ei rependiſtis, 17. ſiquidem pater ille meus bellum veſtrum geſſit et cum ſummo vitae ſuae periculo vos a Midianitis liberavit; 18. ſed vos aggreſſi eſtis domum patris mei, et occidiſtis ejus filios numero ſeptuaginta in uno lapide, regemque in vos feciſtis Abimelechum, ancillae ſuae filium, quod conſanguineus veſter eſt; 19. ſi, inquam, recte et pie vos geſſiſtis in Jerubbaalem et domum ejus, laetemini de Abimelecho, et hic viciſſim laetetur de vobis. 20. Sin minus, prodeat ignis ab Abimelecho et conſumat vos et domum Millo, et viciſſim a vobis ignis erumpat, qui eum conſumat. 21. *Haec locutus* fugit Jothamus Beeram, ibique, ut ab Abimelecho, fratre ſuo, tutus eſſet, vixit. 22. Hic autem principatum tenuit in Iſraëlitas per tres annos. 23. Poſtea orta eſt diſſenſio inter eum et Sichemitas. Ex juſto Dei judicio ab eo defecerunt. 24. *Volebat nimirum Deus* punire crudelitatem admiſſam in ſeptuaginta Jerubbaalis filiis et caedem eorum ulciſci, tum in Abimelecho, eorum fratre, qui eos interfecerat, tum in Sichemitis, qui illum in caede fratrum ſuorum adjuverant. 25. Struxe-

c) Applicatio apologi eſt haec: Hominem divitem non magnopere expetiturum eſſe honorem regni aut principatus Iſraëlitarum, quoniam hic cum neglectu rei familiaris ſuae ſit conjunctus. Propterea Gideonem et filios ejus regnum oblatum recuſaſſe. Sed hominem pauperem et tenuem, qualis ſit Abimelechus, lucri ſui cauſa hoc appetere.

xerunt autem ei Sichemitae insidias in montium jugis, simul spoliabant eos, qui illuc iter faciebant; quod Abimelecho quoque est indicatum. 26. Tum Gaal quidam, Ebedi filius, cum cognatis suis Sichemum venit, cujus adventu Sichemitae magnam spem conceperunt. 27. Oppido egressi sunt in fundos suos, vindemiarunt vineas suas, *uvisque* calcatis festa celebrarunt in templo Dei sui, et inter comessationes et compotationes Abimelecho sunt imprecati. 28. *In his* Gaal, Ebedi filius, Quis est Abimelechus, inquiebat, et quis est Sichemus, ut isti serviamus? Nonne est filius Jerubbaalis, et Sebulum praefectum constituit? Servite, *si servire vultis*, posteris Chamori, patris Sichemi. [d]) Quid isti serviamus? 29. Utinam ego horum hominum dux essem, Abimelechum mox removerem. Simul ad eum sermonem convertens dixit: Coge copias, quantas poteris, et prodi. 30. Sebul autem, urbis praefectus, cum audiret istos Gaalis, Ebedi filii, sermones, graviter irascebatur, 31. et mittebat clam nuncios ad Abimelechum, qui ei indicarent, venisse Gaalem, Ebedi filium, cum cognatis suis Sichemum, et concitare adversus eum civitatem. 32. Igitur coactis copiis suis noctu adesset, et in campis insidias disponeret. 33. Postridie mane sub ortum solis oppidum aggrederetur, tum Gaalem cum hominibus suis ei obviam esse egressurum, et sic ageret cum eo, quod posset et luberet. 34. Igitur Abimele-

d) Principis illius antiqui urbis, cujus historia legitur Genes. 34. At nullus eorum superstes esse poterat. Recte. At meminerimus, loqui hominem ebrium.

lechus cum toto exercitu suo noctu iter fecit, atque contra Sichemum quatuor turmas in insidiis collocavit. 35. Gaal, Ebedi filius, oppido est egressus, sed in ipso portae introitu substiterat. Abimelechus cum copiis ex insidiis prodiit. 36. Quem cum Gaal videret, dixit Sebulo: Ecce homines descendentes de montium cacuminibus. Respondit Sebul: Umbram montium vides, et homines esse putas. 37. Tum ille iterum, Immo vero homines sunt, inquit, qui descendunt ex loco illo eminentiori, et altera caterva in via terebinthi augurum venit. 38. Hic Sebul ei dixit: Ubi jam est illa tua jactantia, qua nuper dicebas: Quis est Abimelechus, ut ei serviamus? Hi sunt isti homines, quos tu despexisti, egredere jam et manus cum eis confere. 39. Igitur Gaal eduxit Sichemitas et proelium commisit Abimelecho. 40. Hic eum *profligavit* et persecutus est, et in fuga multi occisi sunt usque ad portas oppidi. 41. Quo facto Abimelechus Arumae consedit, Sebul autem Gaalem cum cognatis suis Sichemo ejecit. 42. Postero die oppidani egredi volebant [e]) in campos. Quod cum Abimelecho esset nunciatum, 43. exercitum suum in tria agmina divisit et in insidiis per campos collocavit, et cum videret homines ex oppido exiisse, invasit eos et occidit. 44. Ipse cum suo agmine [f]) aditum ad ur-

e) Haud dubie instigante Sebulo hoc factum est, qui eos objicere voluit Abimelecho. Propterea et propter versum sequentem verti: *egredi volebant.*

f) In textu Hebraeo legitur pluralis: *et agmina, quae cum eo erant*, et rel. Sed quoniam in altero membro hujus versus duo reliqua agmina, in quae Abimelechus exercitum suum distri-

urbem obſedit, dum interea duo reliqua agmina homines paſſim in campis occidunt. 45. Deinde oppidum toto illo die oppugnatum cepit, homines, qui in eo ſupererant, interfecit, ipſum oppidum evertit et ſale conſperſit. 46. Quod cum audirent incolae turris Sichemiticae, ſeſe receperunt ad caſtellum templi Dei foederalis. 47. Abimelechus hac de re certior factus 48. aſcendit montem Salmonem cum copiis ſuis omnibus, et prehenſa ſecuri arboris ramum ſuccidit, eoque humeris ſuis impoſito militibus juſſit, ut fine mora idem facerent. 49. Igitur omnes ſuum quisque ramum caedunt, et Abimelechum ſecuti ramos caſtello admovent et igne comburunt, quo ſimul omnes turris Sichemiticae incolae perierunt, mille circiter homines, viri et feminae. 50. Inde Abimelechus aggreſſus eſt Tebezum, quod ex oppugnatione cepit. 51. Sed turris fuit in media urbe admodum munita, ad quam confugerant omnes utriusque ſexus incolae, eaque obſerata tectum turris conſcenderunt. g) 52. Abimelechus turrim oppugnare inſtituit, et dum propius ad portam turris accedit ad eam incendendam, 53. mulier dejicit molae fragmentum in

tribuerat ſecundum verſum praecedentem, huic opponuntur, non dubitem, legendum eſſe in ſingulari. Atque hunc quoque expreſſit Vulgatus: *cum cuneo ſuo*. Syrus ſecundum puncta habet quidem pluralem, ſed parum accurate puncta h. l. videntur adjecta et tantum textui Hebraeo accommodata. Sequitur enim ſingularis in verbis הַלֵּךְ וְקֹם. Verum *οἱ ὁ* legerunt in plurali *οἱ ἀρχηγοὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἐξέτειναν καὶ ἔστησαν*, pro quibus in cod. Alex. legitur: *καὶ αἱ ἀρχαὶ αἱ μετ' αὐτοῦ κ. τ. λ.* *Kennicottus* h. l. nihil annotavit.

g) Sc. ut ſe ex eo defenderent.

in caput ejus, quo cranium ei perrumpitur. 54. Hic ſtatim armigero ſuo jubet, ut ſtricto gladio ſe interficiat, ne a muliere occiſus dicatur. Igitur armiger eum transfodit. 55. Iſraëlitae vero cum viderent Abimelechum periiſſe, omnes domum redeunt. 56. Sic ultus eſt Deus ſcelus ab Abimelecho in patrem ſuum commiſſum occidendo ſeptuaginta fratres ſuos. 57. Neque minus puniit flagitium Sichemitarum, et ſic evenit eis, quod Jothamus, Jerubbaalis filius, imprecatus fuerat.

CAPUT X.

Thola et Jair populi praefides 1—5. Propter iteratam idololatriam traditur Philiſtaeis et Ammonitis, a quibus octodecim annos male vexatur. Poenitentiam agit et de duce eligendo deliberat 6—18.

1. Poſt Abimelechum exſtitit defenſor Iſraëlitarum Thola, filius Puae, nepos Dodonis, Iſaſcharita. Habitavit Schamire in montibus Ephraim, 2. et praefuit Iſraëlitis per tres et viginti annos. Mortuus et ſepultus eſt Schamire. — 3. Huic ſucceſſit Jair Gileadita, qui rexit Iſraëlitas annos duo et viginti. 4. Hic habuit triginta filios ſuper totidem aſinis equitantes [a]) totidemque oppida tenentes, quae etiamnum in terra Gileaditica ſuperſunt et Jairi villae vocantur. 5. Mortuus eſt Jair et ſepultus Kamone. — 6. Tum Iſraëli-

---

a) Quod erat eo tempore hominum divitum et nobiliorum, cf. c. 5, 10. et infra c. 12, 14. — Poſterius עֲיָרִים ſignificat *oppida*, quae alias ſemper עָרִים dicuntur. Sed analogiae grammaticae non repugnat, ab עִיר in plurali עֲיָרִים eſſe formatum.

ëlitae Jovam denuo offenderunt cultu idololatrico Baalum, Aſtharoth, Deorumque Syrorum, Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum, Philiſtaeorum, cultu Jovae prorſus neglecto. 7. Hic igitur ira commotus tradidit eos Philiſtaeis et Ammonitis, 8. a quibus eo anno b) crudeliſſime ſunt vexati, *inprimis* qui trans Jordanum in terra Amoritarum in Gileaditide habitabant, per octodecim annos graviter ſunt afflicti. 9. Trajecerunt etiam Ammonitae Jordanum ad bellum inferendum Judaeis, Benjaminitis et Ephraimitis. In his tantis anguſtiis Iſraëlitae 10. clamarunt ad Jovam, culpam ſuam confeſſi, quod Deo ſuo relicto Baales coluiſſent. 11. Jova autem eis reſponsit: Nonne vos ab Aegyptiis, Amoritis, Ammonitis, Philiſtaeis, 12. Sidoniis, Amalekitis et Maonitis c) vos affligentibus, cum me invocaretis, liberavi? 13. Sed vos me relicto alios Deos coluiſtis, propterea vos non amplius defendam. 14. Abite et invocate Deos, quos vobis elegiſtis, hi vos

b) In textu eſt בַּשָּׁנָה הַהִוא. Sed difficile eſt, indicare, quinam ille annus ſit. Alii annum mortis Jairi intelligunt, de quo eſt in v. 3.; alii annum defectionis Iſraëlitarum. *Clericus* ſupplet: qui erat *eorum imperii*, ſc. hoſtium, decimus octavus. Quod aeque durum videtur. Ego nihil definio. Addidi *inprimis*, quoniam de Iſraëlitis trans Jordanum anni illi octodecim dicuntur.

c) Qui illi fuerint, incertum videtur. Fortaſſe veram lectionem nobis ſervarunt *οἱ ὁ*, qui in cod. Vat. et Alex. habent *Μαδιάμ*, *Midianitae*, a quibus Iſraëlitae per Gideonem liberati erant, c. VIII. Sed Aldina, Complutenſis et Hieronymus habent: *Canaan*, quam lectionem *Hubigantius* praefert, ſcilicet quia Vulgatae verſioni prae Graeca praerogativa debetur. — Alii, in his *Michaelis*, Minaeos, Arabiae felicis populum, intelligunt, coll. 2 Paral. 26, 7. Sed hi remotiores fuiſſe ab Iſraëlitis videntur. Cf. *Clericus* ad h. l.

vos defendant temporibus hisce calamitosissimis. 15. Sed Israëlitae instabant precibus suis Jovae, Peccavimus, inquientes, age nobiscum pro arbitrio tuo, dummodo hac vice nos defendas. 16. Simul remotis omnibus peregrinis Diis Jovam coluerunt. Quo facto non potuit ulterius aequo animo ferre eorum miseriam. — 17. Cum Ammonitae copias suas congregassent et castra posuissent in Gileaditide, Israëlitae quoque convenerunt et castra metati sunt Mizpae. 18. Tunc nomine totius exercitus et principum Gileaditidis edictum est, ut is, qui ducem se praeberet in hoc bello adversus Ammonitas, princeps sit futurus inter omnes Gileaditas.

CAPUT XI.

Jephta dux belli eligitur 1—11. Mittit legatos de pace ad Ammonitas, sed re irrita 12—28. Coacto igitur exercitu hostem aggreditur, cum antea votum temere concepisset. Hoste profligato domum redux a filia excipitur, quam ex voto supplicio afficit 29—40.

1. Jephta Gileadita fuit vir fortis, sed e meretrice natus, patrem habuit Gileadum, 2. cui plures erant filii ex conjuge legitima nati. Qui cum adolevissent, ejecerunt Jephtam, negantes, eum utpote spurium heredem esse posse domus paternae. 3. Jephta igitur discessit a fratribus suis, atque habitavit in terra Tob. Ibi confluxerunt ad eum homines pauperes cum eo latrocinantes. [a]) 4. Anno post, cum bellum Ammonitae intulissent Israëlitis, 5. profecti sunt senatores

a) In textu est וַיֵּצְאוּ עִמּוֹ *exierunt cum eo.* Sed satis constat, verbum יצא de expeditionibus bellicis dici. Bellum vero, quod

res Gileaditidis ad Jephtam e terra Tob arceſſendum, 6. atque petierunt ab eo, ut ſe ducem ipſis praeberet in bello iſto adverſus Ammonitas. 7. Quibus ille reſpondit: ſeſe ab iis per odium e domo paterna eſſe ejectum; cur nunc ad ſe venirent, cum in anguſtiis verſarentur? 8. Tum illi, Nos ad te redimus, inquiunt, ut nobiscum profectus bellum geras adverſus Ammonitas, et princeps noſter ſias omniumque Gileaditarum. 9. Ad haec Jephta ſenatoribus Gileaditidis reſpondet, *ſe conditionem accipere*, ſi ipſum revocarent, ut bello in Ammonitas Deo juvante a ſe feliciter geſto principem conſtituerent. 10. Tum illi, Jova teſtis ſit, inquiunt, eorum, quae inter nos acta ſunt, nos ex voluntate tua eſſe facturos. 11. Igitur Jephta profectus cum ſenatoribus Gileaditidis a populo princeps et dux electus eſt, ipſum vero pactum ab eo in ſolenni conventu Mizpae eſt ſancitum. 12. Quo fa-

quod Jephta cum ſociis ſuis geſſit, nullum aliud fuit quam latrocinium et irruptiones in regiones, quarum incolae non pacem colebant cum hujusmodi duce circumvagante. Quod vitae genus tantum abeſt, ut illis temporibus atque inter has gentes ignominioſum putaretur, ut potius virtutis et prudentiae laudem haberet. Davidis quidem exemplum, in exſilio ſuo propter Sauli perſecutiones idem belli genus exercentis, hoc ſatis probat. Atque legatio admodum honorifica Iſraëlitarum ad Jephtam docet, Iſraëlitas minime offendiſſe, quod ille faceret. Igitur omnes conditiones illi libenter concedunt, ſub quibus imperium depoſcit, et ſe felices putant, quod vir tantae famae ad ipſos rediret. — Apte h. l. obſervat Ill. *Michaelis*, quod non inter orientales tantum latrocinari olim turpe non fuerit, ſed etiam in Germania ante ſecula non adeo multa nobiliores ab hoc vitae genere non abhorruiſſe. Quid igitur miremur, antiquiſſimis illis temporibus et inter nationes minus cultas homines in alios ſibi ignotos parum humanos fuiſſe?

facto misit legatos ad Ammonitarum regem nomine populi Israëlitici, qui ex eo quaererent, quid sibi cum ipso esset negotii, ut in terram suam invasisset? 13. Rex Ammonitarum respondet legatis Jephtae: Israëlitas, cum ex Aegypto essent egressi, occupasse suae ditionis terram ab Arnone usque ad Jabocum et Jordanum, velle se, ut ea sibi amice restituatur. 14. Tum Jephta iterum misit legatos ad Ammonitarum regem, 15. qui sic cum eo suo nomine agerent: Nihil ceperunt Israëlitae, neque de terra Moabitarum, neque de terra Ammonitarum. 16. Nam cum ex Aegypto emigrassent et per solitudinem venissent usque ad sinum Arabicum [b]) et Kadescham, 17. miserunt legatos ad Edomitarum regem, [c]) qui ab eo peterent, ut transitum sibi concederet. Quem cum ille denegasset, ut et Moabitarum rex, ad quem miserant, manserunt Kadeschae. 18. Tum per solitudinem terram Edomitarum et Moabitarum circumierunt, et venerunt in Moabitarum regionem ab oriente, ipsos vero eorum fines non sunt ingressi, nam trans Arnonem, qui fines terrae Moabiticae constituit, castra posuerunt. 19. Unde missa legatione ab Sichone, Amoritarum rege Chesbone regnante, petierunt, [d]) ut sibi liceret, per ejus terram ad suas sedes transire. 20. Sed verebatur Sichon, Israëlitis transitum concedere, et coacto exercitu castrisque Jahzae positis proelium commisit Israëlitis, 21. in quo Jova, Israëlitarum Deus, eum cum toto exercitu suo Israëlitis tradidit, qui hinc totam Amoritarum

b) Num. 21, 4.

c) Num. 20, 14 sqq. Deut. 2, 1 sqq.

d) Num. 21, 21—31.

rum terram occuparunt et incoluerunt 22. ab Arnone usque ad Jabocum et a ſolitudine usque ad Jordanum. 23. Cum igitur Jova, Iſraëlitarum Deus, ejecerit Amoritas ante populum ſuum Iſraëlem, tune eorum terram tibi vindicabis? 24. Nonne, quam Camoſch, Deus tuus, tibi terram poſſidendam tradit, eam tibi tenes? Ita et nos terram, cujus incolas Jova, Deus noſter, nobis expulerit, poſſidebimus. 25. Num potius jus tibi eſt, quam Balako, Sipporis filio, Moabitarum regi, qui nunquam de eo contendit cum Iſraëlitis, neque bellum eis intulit? 26. Quum Iſraëlitae Hesbonem, Aroërem eorumque municipia, et omnia iſta oppida, quae ad Arnonem ſita ſunt, jam per trecentos annos tenuerunt, cur vos ea interea vobis non vindicaſtis? 27. Ego quidem te non offendi, tu vero mihi per injuriam bellum infers. Jova judex ipſe judicet inter Iſraëlitas et Ammonitas. 28. Sed regi Ammonitarum non probabantur, quae Jephta ei dicenda juſſerat. 29. Igitur hic divina virtute excitatus profectus eſt per Gileaditas et Manaſſitas Mizpam in Gileaditide, et hinc contendit ad Ammonitas. 30. Tum votum fecit Jephta Jovae his verbis: Si mihi tradideris Ammonitas, 31. quod ex aedibus meis mihi incolumi ab Ammonitis redeunti obviam venerit, Jovae erit, idque immolabo. 32. Sic hoſtes aggreſſus proelium eis commiſit, in quo a Jova adjutus eos vicit, 33. et ab Aroëre usque ad Minnith et usque ad Abelceramim profligavit *captis* decem oppidis, tantaque clade affecit, ut ab Iſraëlitis prorſus eſſent ſubacti. 34. Quibus confectis Jephta Mizpam domum rediit. Et en! obviam

viam ei venit filia cum tympanis et choris. Unica autem haec ei erat, praeter quam neque filium habebat, neque filiam. 35. Cum eam videret, fcifſis veſtibus exclamavit: Heu! filia mea, tu me vehementer affligis et perturbas. Ego Jovae aliquid promifi, quod nullo modo revocare poſſum. 36. Tum illa, Mi pater, inquit, fi Jovae aliquid promififti, fac mihi ex promiſſo tuo, poſtquam Jova tibi ab hoſtibus tuis, ab Ammonitis, ultionem conceſſit. 37. Verum hoc mihi concedatur, addebat, ut duos menſes mihi remittas, quibus deplorem in montibus cum amicis meis meam virginitatem. 38. Pater hoc ei conceſſit et in duos menſes dimiſit, quibus illa cum amicis ſuis per montes *oberrans* deploravit ſuam virginitatem. 39. Exactis illis duobus menſibus rediit ad patrem, qui ei ex voto ſuo fecit. [e]) Illa vero viri notitiam nunquam ha-

e) De voto Jephtae duplex eſt interpretum ſententia. Altera eorum, qui dicunt, Jephtam filiam ſuam non immolaſſe, ſed ad perpetuam virginitatem Deo conſecraſſe. Altera eorum, qui hoc negant et prius defendunt. Illud quidem recte negatur, et ab his, qui poſteriorem ſententiam defendunt, bene eſt refutatum, (cf. *Michaelis* in jure Moſ. p. III. p. 27.) quorum argumenta nolo hoc loco repetere. At enimvero neque horum ſententia mihi probatur. Nam ad eam adſtruendam ſumunt nonnulla, quae mihi quidem parum probabilia videntur, quibus deinde ſuperſtruunt id, quod volunt, Jephtam nempe filiam ſuam immani ſacrificio Deo immolaſſe. Nimirum dicunt, Jephtam fuiſſe hominem barbarum, legis Moſaicae prorſus ignarum. At, quaeſo, quo argumento id probant? Latro fuit, inquiunt, et inter gentes exteras degens Dei patrii notitiam, quae fortaſſe jam antea exigua fuerat, prorſus neglexit. At enimvero ſupra jam ad v. 3. obſervavimus, illud vitae genus minime impietatis maculam habuiſſe; neque Jephtam Dei patrii contemtorem fuiſſe, probant omnia, quae ante bellum gerendum fa-

habuerat. Hinc in consuetudinem abiit apud Israëlitas, 40. ut quotannis irent Israëliticae puellae ad ce-

---

facit, atque ipsum illud votum fiduciam in Deo positam animique gratitudinem, nisi valde iniqui esse volumus, declarat. Quod si quoque concedatur, Jephtam non valde accuratam legis Mosaicae cognitionem habuisse, eum ignorasse, sacrificia humana severe esse a Deo interdicta, redimendam esse rem votam, quae sacrificio apta non esset; num, quaeso, probabile est, hominem de voti sui solutione adeo sollicitum alios non consuluisse, quid ipsi faciendum esset? nec alios ei indicasse, quam facile possit ab omni sollicitudine sua liberari redemtione rei votae et oblatione sacrificii ex lege constituti? num nullus fuit in Gileaditide sacerdos, nullus Levita, (si vel omnes Israëlitas legum de votis solvendis tam ignaros fuisse sumatur) qui meliorem legis scientiam habebat? et cum duo menses usque ad solutionem voti intercederent, resque adeo inaudita necessario per totam terram Israëliticam innotuisset, num probabile est, summum pontificem tam parum de prohibendo hoc scelere sollicitum fuisse? — Sed opus non est, ut pluribus ostendam, quam improbabile sit, Jephtam filiam suam propter ignorantiam legis ut sacrificium immolasse. Atque haud scio, an unquam viri docti in defendenda hac sententia perstitissent, si eis longe facilior quaestionis solutio in mentem venisset. Equidem eam jam indicavi ad *Glassium* p. [illegible]. Sed quoniam a paucis fortasse est observata, [illegible] eam hoc loco repetere et alia nonnulla ad uberiorem ejus declarationem addere. Nimirum votum Jephtae non fuit simplex votum נֶדֶר, ubi redemtio locum habet, de quo agitur Levit. 27, 1—28., sed חֵרֶם *devotio*, de qua ibidem agitur vers. 28. et 29., secundum quam res devota redimi non poterat, *sed morte erat afficienda*. Hinc illae lacrimae et tanti luctus patris, qui non ignorabat, nullum locum habere redemtionem in voto, quod fecisset; hinc filiae preces, ut duo menses ei ad lugendam mortem suam, scilicet praematuram, concederentur; hinc etiam conventus illi solennes ad celebrandam hujus virginis virtutem et constantiam, optime explicari possunt. Id modo probe tenendum est, Jephtam filiam suam non *ut sacrificium* obtulisse, quod piaculum fuisset a sacerdotibus non committendum. Lex enim intelligenda est pro ratione ipsarum rerum, quae erant devotae. Si res ejusmodi devota non poterat *sacrificio* offerri, ta-

celebrandam memoriam filiae Jephtae Gileaditae per quatuor dies.

CAPUT XII.

Ephraimitae cum Jephta de bello Ammonitico contendunt et bellum Gileaditis inferunt, a quibus vincuntur et magna clade afficiuntur 1—6. Moritur Jephta anno sexto principatus sui. Succedunt ei Ibzan, Elon et Abdon 7—15.

1. Deinde Ephraimitae convenerunt et trajecto *Jordano* versus septentrionem [a]) altercati sunt cum Jeph-

tamen *interfici* debebat, e. g. camelus, equus. Sic etiam homo morte erat afficiendus, non immolandus. Hactenus ea, quae ad *Glassium* dixeram. Equidem fateor, me post repetitam hujus sententiae cognitionem non videre, quid contra eam probabiliter dici possit, nisi hoc: verba textus v. 30. plane dicere, Jephtam נֶדֶר *votum* fecisse, non חֵרֶם *devotionem*. Sed bene habet. Sciendum est, נֶדֶר vocabulum *generis* fuisse, quod duas species נֶדֶר *votum*, in quo redemtio locum habebat, et חֵרֶם *devotionem*, quae nullam redemtionem admit- [illegible] Quam divisionem ne finxisse videar, [illegible] lectore [illegible] quem, postquam illa ad *Glassium* [illegible], domum [illegible] avi. Num. 21, 2. narratur וַיִּדַּר יִשְׂרָאֵל [illegible] *vo[illegible]n fecerunt Israëlitae his verbis:* [illegible] *tradideris* הִחֲרַמְתִּי אֶת־עָרֵיהֶם [illegible] *devov[illegible] oppida.* Quis non videt, vocabulum נֶדֶר etiam [illegible] חֵרֶם dictum esse? Igitur Jephtae votum alterius speciei, nempe τοῦ חרם, esse potuit, quanquam vocabulo generis נדר indicatum est. Nihil addo. Legant velim lectores legem de חרם nullo modo remittendo Levit. 27, 28. 29., atque sine praeconcepta opinione judicent, et habebunt solutionem quaestionis difficillimae facillimam. Auctorem ejus indicavi l. c. *Cappellum*, cujus exstat in hunc locum dissertatio in commentariis et notis criticis *Capp.*, inserta quoque et plenius elaborata in criticis Anglicanis, sed, ut videtur, a nullo recentiorum scriptorum super hac quaestione lecta.

a) Jephta erat Manassita. Manassitarum autem agri magis ad septentrionem vergebant, quam agri tribus Ephraimiticae. *Clericus*

Jephta, quod bellum geſſiſſet cum Ammonitis, neque ſe in ejus ſocietatem adſciviſſet. Simul ſe domum ejus igne eſſe combuſturos minitabantur. [b]) 2. Reſpondit eis Jephta, ſibi et populo ſuo gravem litem fuiſſe cum Ammonitis, ad quam Ephraimitarum auxilium fruſtra imploraſſet. [c]) 3. Cum igitur vidiſſet, eos ſe nolle adjuvare, cum ſummo vitae periculo ſe ipſum Ammonitas eſſe aggreſſum, et Jovam eos ſibi tradidiſſe. Quid igitur ſe bello lacesſerent? 4. Tunc Jephta coactis omnibus Gileaditis proelium commiſit Ephraimitis, in quo hi ab illis ſunt concisi, quoniam dixerant: Vos Gileaditae tantum fugitivi eſtis de Ephraimitis, abjectiſſimi Ephraimitarum et Manaſſitarum. 5. Gileaditae occuparant Ephraimitis vada Jordani. Si quis igitur eorum, qui evaſerat, transire volebat, quaerebant ex eo, num eſſet Ephraimita? Quod cum negaſſet, 6. juſſerunt eum pronunciare Schibbolet. Tunc dicebat Sibboleth, quoniam illo modo vocem efferre non poterat. Igitur eum comprehenſum jugularunt [illegible] vada Jordani. Sic perierunt eo tempore de Eph[illegible]mitis duo et quadraginta millia. — 7. Poſtquam Jepnta in Iſraëlitas principatum tenuerat ſex annos, mortuus et ſepultus eſt in uno aliquo oppidorum [d]) Gileaditidis. 8. Poſt eum prae-

b) Cf. cap. 8, 1. a).

c) Fortaſſe hoc factum eſt a Gileaditis, antequam Jephtam ducem eligebant. Hic igitur loquitur ſuo nomine, quanquam populum intelligit, cujus dux erat. *Michaelis.*

d) Hebr. בְּעָרֵי גִלְעָד. Sic pluralis numerus interdum pro uno aliquo indefinite ponitur. Cf. *Glaſſius* p. 66. Sed *oi ὁ* habent:

praefuit Iſraëlitis Ibzan Bethlehemita. 9. Hic habuit triginta filios, totidemque filias foras collocavit, et totidem puellas filiis ſuis ex aliis familiis adſcivit. Cum rebus Iſraëlitarum ſeptem annos praefuiſſet, 10. mortuus et ſepultus eſt Bethlehemi. 11. Huic ſucceſſit in principatu Elon Sebulonita, quo cum decem annos functus eſſet, 12. mortuus et ſepultus eſt Ajjalone in regione Sebulonitarum. 13. Succeſſorem habuit Abdonem, Hillelis filium, Pirathonitam. 14. Huic fuerunt quadraginta filii et triginta nepotes in ſeptuaginta aſinis equitantes. *) Cum octo annos Iſraëlitas gubernaſſet, 15. mortuus eſt et ſepultus Pirathone in terra Ephraimitica in monte Amalekitarum.

CAPUT XIII.

Iſraëlitae propter iteratam a Deo defectionem a Philiſtaeis opprimuntur. Manoae Danitae ab angelo promittitur filius Deo dicandus, qui natus Simſon vocatur.

1. Iſraëlitae denuo Jovam peccatis ſuis offenderant, propterea eos quadraginta annos Philiſtaeis tradidit. — 2. Fuit vir quidam Zorae, e tribu Danitarum, nomine Manoa. Cujus uxori, quae propter ſterilitatem prolem non habebat, 3. apparuit angelus Jovae, eamque ſic eſt allocutus: Scito, te, quanquam ſte-

---

bent: *ἐν πόλει αὐτοῦ Γαλαάδ*, et Vulgatus: *ſepultus eſt in civitate ſua Galaad*. Legerunt igitur בְּעִירוֹ. Tunc vel Mizpa, qua in urbe Jephta habitabat c. 11, 34., etiam Gilead vocabatur, vel ipſe urbem hujus nominis exſtruxit.

*) Cf. c. 10, 4.

ſterilem, tamen gravidam futuram eſſe filiumque parituram. 4. Cave igitur, ne vinum aut temetum bibas, nec cibis immundis veſcaris. 5. Nam gravida fies et paries filium, cujus capiti novacula non debet admoveri. Deo dicatus erit puer a nativitate ſua, isque liberabit Iſraëlitas ab Philiſtaeorum oppreſſionibus. 6. Tum mulier domum redit, et marito ſuo narrat, virum divinum ad ſe veniſſe, forma angelo divino ſimilem, valde terribilem, ſe quidem eum non interrogaſſe, undenam eſſet, nec illum nomen ſuum ſibi indicaſſe; 7. eum vero dixiſſe: ſe gravidam futuram eſſe et parituram filium, juſſiſſe abstinere a vino et temeto et cibis immundis, quod puer Deo dicatus eſſe deberet a nativitate ſua usque ad mortem. 8. Tum Manoa Jovam precatus eſt, vellet virum illum divinum, quem miſiſſet, denuo ad ſe mittere, ut plenius doceret, quid faciendum eſſet puero naſcituro. 9. Annuit Deus votis Manoae, iterumque venit divinus angelus ad mulierem, cum ruri eſſet, abſente Manoa, ejus marito, 10. ad quem mulier protinus currit eique nunciat, ſibi viſum eſſe hominem illum, qui nuper ad ſe venerit. 11. Igitur Manoa conjugem ſubſecutus venit ad virum, et ex eo quaerit: num ſit is, qui nuper cum muliere ſit locutus? Quod cum affirmaſſet, 12. Manoa, Quando, inquit, evenerit, quod dixiſti, quodnam erit pueri inſtitutum, quae agendi ratio? 13. Reſpondet angelus Jovae Manoae: Cavere ſibi debet mulier ab omni, quod dixi, 14. abstinere ab omni, quod e vite paratur, vinum aut temetum non bibere, non veſci immundis, omnia, quae ei

praecepi, debet obſervare. 15. Tum Manoa angelo Jovae, Permitte, quaeſo, inquit, ut te paululum retineamus, tibique paremus hoedum caprinum. 16. Reſpondet angelus Jovae Manoae: Si quoque me retines, non poſſum comedere cibum tuum. Quod ſi vero Jovae immolare ſacrificium vis, licet. Neſciebat enim Manoa, angelum Jovae eſſe. 17. Tum porro ex eo quaerit: Quodnam eſt nomen tuum, ut, cum iſta, quae dicis, evenerint, te honoremus? 18. Quid, inquit ille, quaeris de nomine meo, quod eſt occultum? 19. Manoa igitur ſumit hoedum caprinum et ſertum, et in holocauſtum offert Jovae ſuper petra. Tum mirum quid accidit [a]) ſpectantibus Manoa ejusque conjuge. 20. Nam cum flamma ex altari verſus coelum aſcenderet, aſcendit et ipſe angelus Jovae in flamma altaris, ſpectantibus Manoa et conjuge ejus, qui in facies ad terram prociderunt. 21. Poſtea eis angelus Jovae non amplius apparuit. Tunc Manoa, intelligens, quis ille fuerit, 22. dixit conjugi ſuae: Moriemur, quod Deum vidimus. [b]) 23. Sed haec ei reſpondit: Si

a) Verba textus וַיַּעַשׂ מָנוֹחַ multi interpretes ad angelum referunt, quod is ſacrificium ipſe inſtruxerit. Sed Manoa hoc ei non commiſerat, neque angelus hoc poſtulaverat. Quin potius verba proxime praecedentia plane dicunt, Manoam ipſum ſuper petra Jovae immolaſſe. Equidem arbitror, poſſe illa verba imperſonaliter explicari. Tunc omnia bene cohaerent, nec opus eſt, ut miracula augeamus, quod fecit *Michaelis* ad h. l., qui putat, ea, quae cum ſacrificio ſint peragenda, omnia ſua ſponte eveniſſe, nemine manum admovente, ligna ſeſe ſua ſponte diſpoſuiſſe, fiſſas eſſe ſacrificii partes, ſparſum eſſe ſanguinem, nec tamen viſum fuiſſe, qui haec omnia perageret. Ohe! quot quantaque miracula!

b) Ex vulgari veterum opinione, cf. Geneſ. 16, 13.

Si Jova nos interficere vellet, non accepiſſet a nobis holocauſtum et fertum, neque iſta omnia nobis ostendiſſet, neque praedixiſſet ea, quae deinceps futura ſunt. — 24. Mulier peperit filium, quem Simſonem vocavit. Puer, cum favente Deo adoleviſſet, 25. primum vim divinam, c) quae in eo eſſet, ostendit in caſtris Danitarum inter Zoram et Eſchtaolem.

CAPUT XIV.

Simſon Timnae uxorem e Philiſtaeis ducit 1—4. In itinere leonem interficit, unde occaſionem ſumit aenigma proponendi convivis 5—14., quod cum ſolvere non poſſent, ſubornant uxorem ejus, quae precibus ab eo extorquet aenigmatis ſolutionem, quam popularibus ſuis prodit. Qui a Simſone praemia promiſſa accipiunt quidem, ſed iratus mulierem ſuam recens nuptam reliquit, quae alii collocatur 15—20.

1. Cum aliquando Simſon Timnam veniſſet, videt ibi puellam quandam Philiſtaeam. 2. Redit ad parentes ſuos, eisque narrat, ſe vidiſſe Timnae puellam Philiſtaeam, rogare, ut eam ſibi in matrimonium concilient. 3. Reſpondent parentes: Num deſunt inter conſanguineos et populares tuos a) mulieres, ut ex Philiſtaeis praeputiatis uxor tibi ducenda ſit? At Simſon a patre flagitat, ut eam ſibi ducat, quoniam ſibi placeat. 4. Neſciebant autem parentes, divinam in his ſubeſſe directionem, nam occaſionem quaerebat infe-

c) Cf. dicta ad c. 8, 19. b).

a) Pro עִמִּי legendum videtur עִמָּךְ, praecedit enim affixum ſecundae perſonae אֲחֶיךָ. Sic quoque legerunt Syrus et Arabs, ſed *oi* ὁ exhibent receptam lectionem.

festandi Philistaeos, qui eo tempore Israëlitis imperabant. 5. Simson igitur cum parentibus suis proficiscitur Timnam. Cum ad vineas oppidi venissent, occurrit ei leo rugiens. 6. Hic Simson robore suo eximio incitatus discerpit leonem perinde, ac si hoedus esset, nec quidquam in manu habebat. Parentibus autem suis nihil de eo, quod fecerat, indicat. 7. Deinde cum muliere in colloquium venit, quae ei valde placebat. 8. Interjectis aliquot diebus redit ad eam in matrimonium ducendam, et deflectit a via, ut videat cadaver leonis, atque invenit in ejus corpore examen apum cum melle. 9. De quo melle vola sua excepto inter eundum comedit, atque ubi ad parentes suos venit, etiam dat, qui et ipsi de eo edunt, sed eis non indicat, se ex cadavere leonis mel illud sumsisse. 10. Pater Simsonis ad mulierem devertit. Ipse vero Simson parat convivium, b) uti mos erat adolescentum. 11. *Philistaei*, cum eum videant, triginta paranymphos deligunt, qui cum eo sint. 12. His Simson dicit: Proponam vobis aenigma, quod si mihi intra septem convivii dies investigare et explicare potueritis, dabo vobis triginta indusia totidemque vestes superiores. 13. Sin minus, vos mihi dabitis triginta indusia totidemque ve-

b) Οἰνό, Syrus, Arabs addunt *septem dierum*. Quod additamentum non otiosum, sed potius necessarium videtur propter sequentia verba: *nam sic facere solebant juvenes*, quibus ratio redditur, cur hoc *convivium per septem dies* celebratum sit, non quod omnino *convivium* paratum sit, quod in nuptiis semper fieri solebat. Cf. v. 12. Sed quoniam scriptor noster minime semper ἀκρίβειαν in narrando observat, nolui haec in versionem recipere.

vestes superiores. Illi, Propone aenigma tuum, inquiunt, ut audiamus. 14. Tum Simson: Ex edace venit cibus, ex feroci venit dulcedo. — Per tres dies non poterant aenigma illud investigare. 15. Quarto [c]) uxori Simsonis dicunt: Persuade viro tuo, ut nobis [d]) indicet aenigmatis solutionem, alioquin te cum domo paterna igne comburemus. Num nos pauperandos huc invitastis? 16. Igitur uxor Simsonis flet apud eum et dicit: sese ei odio esse, non amari, quod popularibus suis aenigma proposuerit, sibi vero hoc non indicarit. Ille vero ei demonstrat, se ne patri quidem et matri aenigma indicasse, nedum uxori explicaret. 17. Igitur pergit flere apud ipsum per septem convivii dies. Septimo tandem die ei indicat aenigma, nam nimis eum urgebat, atque illa hoc explicat popularibus suis. 18. Hi ante occasum solis septimi diei ei dicunt: Quid melle dulcius, quid leone ferocius? Sed ille: Nisi vitula mea arassetis, non explicassetis meum aenigma. 19. Tunc robore suo eximio compulsus abit Ascalonem, et occidit triginta Philistaeos. Hos vestibus spoliat, quas distribuit inter eos, qui aenigma solve-

c) In textu legitur: *die septimo*. Sed οἱ ὁ, Syrus et Arabs legerunt: *die quarto*. Quae lectio receptae utique videtur praeferenda. Nam si convivae diem septimum exspectassent, victi fuissent a Simsone, et mox narratur, mulierem per septem dies Simsonem sollicitasse, ut aenigma ei indicaret. *Lilienthalii* codex posterior haec verba non habet. Vid. ejus comment. critica p. 192.

d) Videtur legendum *tibi*. Sic quoque οἱ ὁ et Vulg. Sed Chald., Syrus et Arabs habent receptam lectionem, quae vulgo sic explicatur, ut Philistaei haec Simsonis uxori tanquam e gente sua natae dixerint.

verant. Quo facto iratus redit ad domum paternam. 20. Uxor autem Simsonis in matrimonium data est uni ex illis paranymphis.

CAPUT XV.

Simson uxorem suam revisurus aegre fert, eam alii nuptum esse collocatam. Ulciscitur injuriam sibi illatam, dum Philistaeorum segetes incendit 1—8. Propter hoc factum traditur a popularibus suis vinctus Philistaeis. Sed dum eum excipere volunt, rumpit funes, et magna clade eos afficit adhibita asini maxilla 9—16. Siti fere confectus recreatur ex fonte miraculose excitato 17—20.

1. Post dies aliquot, tempore messis triticeae Simson invisere volebat mulierem suam. Secum ferebat hoedum caprinum, atque admitti ad eam in cubiculum postulabat. Tunc pater mulieris eum prohibet, 2. seque excusat, quod eam illi invisam existimarit, nuptum datam eam esse uni ex ejus sodalibus. Habere autem eam sororem natu minorem et formosiorem, hanc pro illa ducat. 3. Tum Simson eis dicit: Jam quidem culpa carebo, si malum intulero Philistaeis. 4. Hinc discedit et capit trecentos tschakkales, [a]) quorum caudis inter se obversis singulas faces binis caudis interponit. 5. Quibus incensis immittit tschakkales in Philistaeorum segetes, atque sic comburit tum manipulos, tum segetes stantes, vineas et oliveta. 6. Philistaei inquirunt in auctorem hujus facinoris, et com-

a) שׁוּעָלִים non sunt *vulpes*, sed propriam animalium speciem, vulpi, lupo et cani similem, constituit. Cf. *Niebuhr* in descriptione Arabiae p. 166. et *Shaw* in itinerario p. 155. vers. Germ. Multa quoque congessit *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. III. cap. 13. p. 850. digna, quae legantur.

comperiunt, Simſonem, generum Timnaei, hoc feciſſe, quod hic uxorem ejus ſodali dediſſet in matrimonium. Propterea illi eam cum domo paterna igne comburunt. 7. Tum Simſon eis dicit: Licet hoc feceritis, *tamen non acquieſcam*, niſi ultionem de vobis ſumſero, deinde deſiſtam. 8. Et cum magnam ſtragem inter eos edidit, b) discedit et commoratur in vertice petrae Etam. 9. Philiſtaei coactis copiis ſuis caſtra ponunt in Judaea, ſeque per *tractum* Lechi diffundunt. 10. Judaei quaerunt ex iis: cur hanc expeditionem ſuscepérint? Reſpondent: Ad Simſonem vinciendum, ut ei par pari referamus. 11. Tunc tria millia Judaeorum abeunt ad Simſonem in verticem petrae Etam, eumque reprehendunt, quod hoc fecerit, cum ſciat, Philiſtaeos ipſis imperare. Reſpondet: Idem eis feci, quod illi mihi. 12. Ad te vinciendum venimus, inquiunt, ut te eorum manibus tradamus. Jurate igitur mihi, ait Simſon, vos me non eſſe occiſuros. 13. Tum illi: Nil mali tibi inferemus, ſed te tantum vinctum eis trademus, non te interficiemus. Igitur eum duobus funibus recentibus conſtrictum a petra deducunt. 14. Cum Lechum venit, et Philiſtaei eum magno clamore excipiunt, ſentit robur extraordinarium, quo praeditus erat, et funes, quibus brachia ejus conſtricta erant, ut fila igni admota decidunt. 15. Tunc maxillam aſini adhuc recentem forte obviam arripit, atque ea mille homines interficit. 16. Quo facto dicit: Maxilla aſini unum duosve acervos proſtra-

b) Hebr. *percuſſit eos tibia ſuper femore*, eſt dictio proverbialis, cujus ſenſus ſequentibus verbis indicatur, *magna clade*.

solet igni admotum, nec ratio roboris ejus cognita fuit. 10. Tum Delila Simsoni dicit: En! mihi illusisti et mentitus es, jam vero indica mihi, quomodo possis ligari. 11. Si me constringerent, inquit, funibus novis operi nondum adhibitis, debilis fierem uti alii homines. 12. Ita igitur hujusmodi funibus eum constringit, et dicit: Philistaei tibi imminent, Simson! (Latebant etiam insidiatores in conclavi.) Tunc funes istos in brachiis rumpit ut fila. 13. Hac quoque vice me delusisti mendaciis, queritur Delila, indica mihi, quomodo possis ligari? Si septem, inquit, capitis mei cincinnos licio intexueris et clavo parieti adfixeris, debilis ero ut alii homines. 14. Cum igitur dormiat, Delila septem cincinnos capitis ejus licio implectit [a]) et clavo parieti affigit, et dicit: Philistaei tibi imminent, Simson! Tum ille somno expergefactus evellit clavum texterium cum licio. 15. Jam Delila: Quomodo dicis, me a te amari; cum animo sis a me prorsus alieno? Tribus vicibus me delusisti, neque indicasti, quae ratio sit tantae tuae fortitudinis. 16. Cum vero eum quo-

a) Haec, quae minoribus litteris impressa sunt, non leguntur in textu Hebraico, sed in versione Graeca LXXvirali. Quanquam nolim cum *Hubigantio* defendere, ea ex textu errore scribarum excidisse, quoniam ex multis aliis locis constat, scriptorem nostrum interdum omittere quaedam, quae ex contextu facile possunt suppleri, atque fieri potuit, ut librarius haec, quae deesse videntur, versioni insereret: tamen, quoniam ad perspicuitatem faciunt, versioni statim adjeci. Vulgatus interpres habet priora ad vers. 13. *et clavum his circumligatum terrae fixeris, infirmus ero.* 14. *Quod cum fecisset Delila, dixit ad eum:* rel. Similiter Arabs. Sed videntur ista omnia a recentiori manu addita. Syrus et Chaldaeus cum textu recepto consentiunt.

quotidie precibus ſuis urgeret et moleſta eſſet, taedio fere enectus 17. omnem ſuum animum ei aperit. Novacula, inquit, capiti meo nunquam admota eſt, quod Deo dicatus ſum inde ab utero materno. Si tonſus fuero, recedet a me robur meum et debilis ero ut omnes homines. 18. Jam vero intelligebat Delila, eum omnem animum ſuum ſibi aperuiſſe, mittit igitur arceſſitum Philiſtaeorum principes et rogat, ut hac tantum vice veniant, quod ille plane animum ſuum ſibi [b]) patefecerit. Veniunt igitur Philiſtaeorum principes ſecum ferentes pecuniam. 19. Illa vero ei in ſinu ſuo conſopito, adhibito tonſore, detondet ſeptem capitis cincinnos. Quo facto potuit eum ſubigere, quod robur ejus ab eo receſſerat. 20. Nam cum exclamaret: Inſtant tibi Philiſtaei, Simſon! hic experrectus e ſomno volebat uti antea elabi et perrumpere, neſciens, donum divinitus ſibi conceſſum ſe amiſiſſe. 21. Philiſtaei igitur eum comprehendunt et effoſſis oculis abducunt Gazam, duabusque catenis aeneis vinctum molam trudere in carcere cogunt. — 22. Renaſcente jam ejus caeſarie ex tonſura, 23. Philiſtaeorum principes convenerant ad ſolenne ſacrificium in honorem Dagonis, Dei ſui, celebrandum, quoniam, uti ſibi perſuadebant, Simſonem, hoſtem ſuum, ſibi tradidiſſet. 24. Igitur cum populus iſtud idolum ſuum vide-

b) Lectioni textuali לָהּ *ei* marginalem לִי *mihi* praeferendam eſſe, probant cum verſiones antiquae omnes, tum 56 codices a *Kennicotto* citati. Cf. *Lilienthal* in comment. crit. p. 193. Admittit tamen illa quoque explicationem. Tunc enim verba eſſent nuncii, quae Philiſtaeis diceret.

deret, laudarunt illud, quod hostem suum, qui terram suam adeo vastasset totque suorum interfecisset, manibus suis tradidisset. 25. In illa animorum hilaritate jubent evocari Simsonem, ut eis ludibrium praebeat. Qui cum e carcere sit adductus, inter columnas eum constituunt et illudunt. 26. Tum Simson a puero, qui manu eum ducebat, rogat, ut se ad columnas contrectandas, quibus aedes superstructa sit, ducat; ut eis inniti possit. 27. Erat autem templum refertum viris et feminis; omnes Philistaeorum principes eo convenerant, et ex tecto circiter tria millia utriusque sexus spectabant, quomodo Simson ludibrio habebatur. 28. Tum hic sic ad Jovam precatur: Memor sis mei, Domine Jova, meque hac tantum vice confirma, o Deus, ut ultionem hanc unam sumam in Philistaeis propter amboa oculos meos *mihi effossos.* 29. Et amplexus duas columnas medias, quibus aedes sustinebatur, alteram dextra, alteram sinistra manu, dum eis innitebatur, 30. dicit: Mori cupio cum Philistaeis. Simul omni vi sese inclinat. Tunc corruit aedes in principes et universum populum in ea congregatum, ut plures essent, quos in morte occideret, quam quos in vita sua interfecisset. 31. Veniebant deinde fratres ejus et familia paterna, eumque sublatum sepelierunt inter Zoram et Eschtaolem in sepulcro Manoae, patris sui. Praefuit autem Israëlitis viginti annos.

CA-

CAPUT XVII.

Micha ex pecunia, quam matri ſuae furatus eſt et haec ei donavit, ſimulacrum fingit, et cultum idololatricum domi ſuae inſtituit, cui Levita forte advena initiatur. a)

1. Fuit vir quidam in regione montana Ephraimitarum, nomine Micha. 2. Is faſſus eſt matri ſuae, centum et mille ſiclos argenteos nuper ei ablatos, propter quos ipſo audiente mala imprecata eſſet *furi*, ſe furripuiſſe. Jova tibi ſit propitius, mi fili, reſpondebat mater. 3. Et cum ei pecuniam illam reddere vellet, dixit, eam a ſe Jovae conſecratam eſſe ad ſculptum et fuſum ſimulacrum, igitur nolle ſe eam pecuniam ab eo accipere. 4. Sed tamen ille reſtituit. Tunc

---

a) Quae inde ab hoc capite usque ad finem libri leguntur, ab alio ſcriptore appendicis loco eſſe addita, a pluribus interpretibus eſt obſervatum. Quinam ille fuerit, tam parum conſtat, quam qui priorem libri partem compoſuerit. Poſteriorem tamen eum fuiſſe, perquam probabiliter colligitur ex formula illa ei admodum familiari: *non erat rex Iſraëlitis, quisque pro lubitu agebat* cap. 17, 6. 18, 1. 19, 1. 21, 25., quae manifeſte docet, ejus aetate Iſraëlitas reges habuiſſe. Porro ejus tempore *aedes Dei* non amplius erat *Silunte* cap. 18, 31., ex quo ſequitur, eum poſt Davidis tempora vixiſſe, qui arcam Dei in Sione collocaverat. Tandem abductionis decem tribuum in captivitatem Aſſyriacam mentionem facit cap. 18, 30., de quo plura ad illum locum. Cf. Cel. *Eichhorn* in introduct. ad Vet. Teſt. p. II. p. 493. Res geſtae autem, quae in his capitibus narrantur, incidunt in tempora longe priora, antequam judices ſic dicti Iſraëlitis praeeſſe inciperent, h. e. non longe poſt mortem Joſuae. Nam cap. 18, 1. quaerunt Danitae ſibi hereditatem, ibid. v. 30. Jonathan, nepos Moſis, ſacerdos eligitur, cap. 19, 11. negatur, Iſraëlitae habitare Hieroſolymae, cum tamen eam occupaſſe et incoluiſſe dicantur cap. 1, 21. Tandem cap. 20, 28. Pineaſi, Eleaſaris filii, mentio fit, cujus aetas quoque in tempora poſt Joſuam proxima incidit.

Tunc mater ducentos illius pecuniae ſiclos dedit aurifabro. Is fecit ex iis ſculptum et fuſum ſimulacrum, quod in aedibus Michae eſt collocatum. 5. Atque ſic habebat ille Micha aediculam. Fecit propterea veſtes ſacerdotales et lares, atque unum filiorum ſuorum his ſacris initiavit, ut eo ſacerdote uteretur. 6. Illis temporibus Iſraëlitae regem non habebant, hinc quisque fecit, quod ſibi probabatur. 7. Eodem illo tempore erat juvenis quidam Levita e Bethlehemo Judaeae, quod eſt tribus Judaicae, b) ubi peregrinatus fuerat, 8. profectus eſt ad alias ſedes forte obvias ſibi quaerendas. Is venit in montana Ephraimitarum ad aedes Michae. 9. Quaerit ex eo Micha, unde veniat? Reſpondit ille: ſe Levitam eſſe, *venire* Bethlehemo Judaeae, atque alias ſedes ſibi quaerere, quas fortuna oblatura ſit. 10. Tunc Micha eum rogat, ut apud ſe maneat ſibique praeceptoris et ſacerdotis loco ſit, velle ſe ei dare decem ſiclos argenteos quotannis, veſtitum duplicem et victum. 11. Accipit conditionem Levita libenter, et manet apud Micham, a quo inſtar filii habetur. 12. Sacris ſuis eum ut ſacerdotem initiat, et ſic vivebat juvenis in aedibus Michae, 13. qui ſperabat,

b) Verba textus מִמִּשְׁפַּחַת יְהוּדָה prorſus redundant, ſive ad Bethlehemum ſive ad Levitam referantur. Ab altero Bethlehemo in tribu Sebulon jam ſatis diſtinctum eſt, quod Bethlehem *Judae* vocatur. Levita autem non potuit eſſe e tribu Juda, et quod nonnullis interpretibus in mentem venit, ejus matrem fortaſſe ex illa tribu fuiſſe, eſt contra uſum loquendi Hebraeorum, qui non ſolent de materno genere origines derivare. Videntur eſſe gloſſema quacunque de cauſa margini adſcriptum, et deinde, ut alia, textui inſertum. Omittit ea Syrus et *οἱ ὁ* in cod. Vat., ſed habet cod. Alex.

bat, Jovam ſibi haud dubie benefacturum, quod Levitam ſacerdotem haberet.

CAPUT XVIII.

Mittunt Danitae coloniam in regionem ſeptentrionalem, quae Laiſam aggreditur et occupat. In itinere ex aedibus Michae ſimulacra auferunt, Levitam ſecum abducunt et Laiſae cultum idololatricum inſtituunt, in quo ille et poſteri ejus diu ſacerdotio funguntur.

1. Cum Iſraëlitae nondum regem haberent, familiae quaedam Danitarum ſedes ſibi quaerebant ad habitandum, quoniam nondum poſſeſſiones acceperant inter reliquas tribus. 2. Miſerunt igitur Danitae de tribu ſua quinque homines, viros fortes ex Jora et Eſchtaole, ad regionem explorandam. Qui ex mandato, quod acceperant, venerunt in montana Ephraimitarum ad aedes Michae, ibique pernoctarunt. 3. Cum ſic juxta aedes illas verſarentur, agnoverunt vocem juvenis illius Levitae. Convenerunt igitur eum et percontati ſunt ab eo, quis eum huc deduxiſſet? quid hic ageret aut haberet? 4. Tunc ille eis narravit, quid ſibi feciſſet Micha, et quid ſe conduxiſſet, ut ejus eſſet ſacerdos. 5. Rogarunt deinde eum, ut Deum conſuleret, num iter, quod ingreſſi eſſent, felicem eſſet ſucceſſum habiturum. 6. Reſpondit illis ſacerdos: felices eos futuros eſſe, Deum favere eorum itineri. 7. Cum illino diſceſſiſſent quinque iſti viri, venerunt Laiſam, viderunt, oppidanos ſecuros eſſe, vivere ex legibus et inſtitutis Sidoniorum tranquillos et tutos, neminem alii nocere, regnum eſſe hereditarium, re-

motos vivere a Sidoniis, nec quidquam habere cum aliis negotii. 8. Redierunt igitur ad populares ſuos, a quibus interrogati, quid egiſſent? 9. eos hortati ſunt, ut expeditionem ſusciperent, regionem eſſe perquam bonam, ne igitur dubitarent aut differrent, eam invadere et occupare. 10. Homines, quos aggreſſuri eſſent, ſecuros eſſe, terram ſpatioſam, Deum haud dubie eam ipſis tradidiſſe, locum eſſe nulla re, quam quidem terra proferat, carentem. 11. Igitur profecti ſunt ex tribu Danitarum Jorea et Eſchtaole homines ſexcenti armis inſtructi, 12. atque caſtra poſuerunt juxta Kiriathjearimum in Judaea. Hinc ille locus etiamnum vocatur Machanedan (h. e. *caſtra Danis*) prope Kiriathjearimum. 13. Illinc progreſſi in montana Ephraimitica venerunt ad domum Michae. 14. Hic quinque illi viri, qui ad explorandam regionem Laiſenſem miſſi fuerant, narrant contribulibus ſuis, eſſe in illis aedibus veſtitum ſacerdotalem, lares, ſculptum et fuſum ſimulacrum; ipſi viderint, quid facere vellent. 15. Illi deflexerunt huc, venerunteque ad aedes juvenis iſtius Levitae, *ſive potius* ad aedes Michae, eumque ſalutarunt. 16. Sexcenti illi e tribu Danitarum armis inſtructi ſubſtiterunt ad introitum portae, 17. et quinque tantum iſti viri, qui ad explorandam terram miſſi fuerant, domum ſunt ingreſſi, atque abstulerunt ſculptum iſtud ſimulacrum cum veſtitu ſacerdotali, laribus et fuſa imagine, dum ſacerdos ad portam ſtabat apud ſexcentos illos homines armatos. 18. Cum vero iſta omnia ex aedibus Michae auferrent, interrogavit ſacerdos, quid hic agerent?

rent? 19. Jufferunt, ut taceret, manum ori imponeret, ipfos fequeretur, doctor et facerdos eorum futurus. Num praeftaret, in aedibus unius viri facerdotem effe; an apud tribum aut gentilitatem Ifraëliticam? 20. Placuit hoc facerdoti, atque cum veftitu facro, laribus et fimulacro in medium agmen fe recepit. 21. Quo facto discefferunt, et liberos, pecudes et facultates fuas praemiferunt. 22. Cum jam longe effent ab aedibus Michae progreffi, hujus vicini ab eo convocati perfecuti funt Danitas 23. magno clamore fublato. Hi converfi quaefiverunt ex Micha, quid effet, quod tantopere poft ipfos clamaret? 24. Tum ille: Deum, quem mihi feceram, abstuliftis, ut et facerdotem; quid mihi reftat? Et vos quaeritis, quid mihi velim? 25. Danitae ei refponderunt: Noli nos his tuis fermonibus perturbare, ne forte offendas aliquos facile irritabiles, atque ita ipfe caufa fis, quod pereas cum familia tua. 26. Atque fic iter fuum funt profecuti. Micha vero, cum videret, eos fibi praevalere, etiam domum rediit. 27. Illi cum apparatu facro, quem Micha fibi fecerat, ejusque facerdote venerunt Laifam ad populum tranquille et fecure viventem, quem gladio interfecerunt, oppidum vero combufferunt 28. nemine defendente, quoniam nimis remotum erat a Sidoniis, neque cum aliis negotia ei intercedebant. Situm fuit in valle Bethrechobenfi. Deinde oppidum reftaurarunt et incoluerunt. 29. nomenque Danis dederunt ex progenitore fuo Dane, filio Ifraëlis, antea vero Laifa vocabatur. 30. Simulacrum vero illud Michae inter fe erexerunt,

et ſacerdotes habuerunt Jonathanem, filium Gerſomi, nepotem Manaſſis, [a]) ejusque poſteros usque ad illud tempus, quo incolae captivi abducebantur. [b]) 31. Toto illo tempore, quo ſacrarium Dei Silunte fuit, Danitae ſimulacrum illud Michae coluerunt.

CA-

a) Nomen מְנַשֶּׁה, quod in textu legitur, habet נ ſuspenſum ex inepta Judaeorum κρίσει, quae in Talmude narratur, hunc Jonathanem fuiſſe nepotem Moſis. Sed quoniam ignominioſum eſſet Moſi, habuiſſe filium impium, litteram נ imponi ad indicandum, Jonathanem iſtum dignum eſſe, qui potius pro filio Manaſſis, regis illius idololatrae, quam Moſis habeatur. Quam abſona ſit illa ratio, non opus eſt, ut ostendatur. Quaeſtio mere critica eſt, ex codd. igitur decidenda. Jam vero omnes verſiones antiquae, οἱ ὁ, Syrus, Arabs, Chaldaeus, conſentiunt in lectione *Manaſſis*, praeter Vulgatum ſ. Hieronymum, qui habet *filii Moyſi*. Neque etiam codd. Hebraeos his Talmudiſtarum ineptiis aſſentiri, docet *Kennicotti* codd. collatio, in qua plus quam triginta codd. citantur, in quibus nomen illud מנשה ſine iſta mutatione exſtet. Quam igitur veram eſſe lectionem putem, quae etiam aliis rationibus defendi poteſt. Cf. *De-Roſſi* varias lectiones V. T. vol. II. p. 128. *Lilienthal* in comment. crit. p. 194. *Clericus* et *Hubigantius* ad h. l.

b) Fateor, in explicanda temporis determinatione in hoc et ſequenti verſu neutram interpretum ſententiam mihi ſatisfacere. Alii intelligunt abductionem arcae a Philiſtaeis, qua occaſione, dicunt, multos illius regionis incolas ſimul eſſe abductos. Sed de eo nihil legitur in hiſtoria, neque admodum probabile videtur, quoniam nimis remoti erant hi Danitae in extremis Palaeſtinae terminis ab illo cum Philiſtaeis bello. Alii igitur abductionem decem tribuum in captivitatem Aſſyriacam intelligunt. Sed tunc miror, iſtam iconolatriam non detectam fuiſſe a Samuele, Davide, Salomone, et ſublatam. At iterum urget *Clericus* remotionem loci, et quod particularis fuerit tantum iſte cultus unius oppidi non ita magni.

CAPUT XIX.

Gibeenſes pellicem Levitae ſtupro corrumpunt, qui propterea vindictam Iſraëlitarum provocat.

1. Iisdem temporibus, quibus Iſraëlitae nondum reges habebant, Levita quidam, qui commorabatur in extremis partibus regionis montanae Ephraimiticae, pellicem ſibi duxerat Bethlehemo Judaeae ortam. 2. Haec ejus pertaeſa [a]) eum deſeruerat redieratque ad patrem ſuum Bethlehemum. Cum jam quatuor menſes ibi fuiſſet, 3. ſecutus eſt eam maritus, ut blandis verbis eam ſibi reconciliaret et reduceret. Secum habebat ſervum et par aſinorum. Mulier introduxit eum in domum patris ſui, atque hic de ejus adventu laetatus eſt. 4. Retinuit eum ſocer, pater puellae, ut apud ſe maneret tres dies, ederet et biberet et pernoctaret. 5. Quarto die mane disceſſum pararunt. Sed pater puellae rogavit generum ſuum, ut antea cibo ſumto animum recrearent et deinde proficiſcerentur. 6. Ambo igitur accubuerunt, et cum cibum una ſumſiſſent, Placeat tibi, inquit pater puellae, ut apud me per-

a) Lectio recepta eſt וַתִּזְנֶה עָלָיו *et ſcortata eſt apud eum*, pro qua Chaldaeus habet: וּבְסַרַת עֲלֹהִי *et contemſit eum*, et legiſſe videtur levi litterarum mutatione תִּבְזֶה עָלָיו. In verſione Graeca duplex lectio eſt, utraque diverſa ab Hebraea. Nam cod. Vat. habet: *καὶ ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ*, quam Vulgatus videtur expreſſiſſe: *quae reliquit eum*. Sed cod. Alex.: *καὶ ὠργίσθη αὐτῷ*, quae etiam eſſe poſſet lectio תִּבְזֶה vel, quod *Hubigantius* vult, תִּזְנַף. Syrus et Arabs receptam lectionem exhibent. Mihi quidem valde probabilis videtur lectio interpretis Chaldaei et *τῶν ὁ*, תִּבְזֶה, quoniam verſ. 3. narratur, virum illum omnem operam dediſſe, ut mulierem placaret et ad ſe reduceret; quod non feciſſet, ſi eam fidei conjugalis violatae ream noviſſet.

pernoctes et bono animo fis. 7. Sed ſurrexit iter ingreſſurus. Cum vero ſocer inſiſteret precibus, manſit hac quoque nocte apud eum. 8. Quinto tandem die denuo diſceſſum paravit, tum rurſus pater ei perſuaſit, ut antea aliquid comederet, et ſic inter prandendum cunctati ſunt, donec dies inclinaret. 9. Tum homo ſurrexit, ut proficiſceretur cum pellice ſua et ſervo. Hic ſocer rurſus rogavit, ut, cum dies jam ad veſperam vergeret, hac quoque nocte maneret, finem jam diei inſtare, pernoctaret apud ipſum nihil veritus, poſtridie mane ſurrecturi domumque perrecturi. 10. At noluit homo manere, ſed profectus eſt venitque verſus Jebuſam, quae eſt Hieroſolyma, cum pari aſinorum clitellariorum et pellice ſua. 11. Erant jam prope Jebuſam, et dies valde inclinabat. Tum ſervus ſuaſit hero ſuo, ut ad iſtud Jebuſitarum oppidum deverterent, ibique pernoctarent. 12. Hic vero negavit, ſe ad oppidum peregrinum, quod non ſit Iſraëlitarum, deverſurum eſſe, ſed perrecturum Gibeam. 13. Simul juſſit, ut ſervus operam daret, quo ad unum iſtorum locorum pervenirent, et Gibeae aut Ramae pernoctarent. 14. Perrexerunt igitur atque ipſo cum occaſu ſolis Gibeam venerunt, quod eſt oppidum Benjaminitarum. 15. Eo igitur ad pernoctandum deverterunt, et cum nemo eſſet, qui eis hoſpitium praeberet, in platea oppidi conſederunt. 16. Sed en! ſenex ab opere rure venit veſpere, qui quidem in regione montana Ephraimitica natus erat, ſed Gibeae commorabatur; oppidani autem ipſi erant Benjaminitae. 17. Hic igitur, cum videret in platea viatorem, quaeſivit ab eo,

quo

quo tenderet, unde veniret? 18. Respondit: Venimus Bethlehemo Judaeae, atque ad extrema montana Ephraimitarum, unde ego sum, proficiscimur. Ad sacrarium Jovae me conferam, nec est quisquam, qui me domo excipiat. 19. Stramen et pabulum habemus asinis nostris, panem quoque et vinum mihi et huic feminae et servo, qui nobiscum est; nulla re caremus. 20. Bene est, inquit senex, omnem tuam inopiam ego explebo, modo in platea ne pernoctes. 21. Tunc introduxit eum domum suam, atque asinis pabulum praebuit, et, lotis pedibus, cibum ceperunt. 22. Dum hi sic animos suos exhilarabant, en! oppidani, homines perditi, domum circumdederunt, atque fores pulsantes flagitarunt a sene patre familias, ut educeret hominem illum, qui apud ipsum devertisset, ut eum corrumperent. 23. Tum hic ad eos egressus his verbis locutus est: Nolite, quaeso, fratres, nolite tam impie agere, siquidem hic homo domum meam tanquam in hospitium venit, ne tantum scelus admittatis. 24. Sed filiam virginem habeo et ille pellicem, has ego ad vos educam, has corrumpite [b]) aut facite eis, ut lubet; in hominem autem illum, absit, ut hujusmodi flagitium committatis. 25. Sed noluerunt eum audire. Igitur ipse *Levita* pellicem suam ad eos foras edu-

b) Pro utroque אֹתָם, quod in textu legitur, ex regulis grammatices utique legendum esset אֹתָן, et pro sequenti לָהֶם, לָהֶן. Sed tamen *Kennicottus* tot codicibus collatis in uno tantum Berolinensi, numero 150. signato, invenit אֹתָן, et in duodecim aliis לָהֶן. Nimirum Hebraei in servando genere tam parum ἀκριβεῖς fuerunt, quam Arabes, quod ex exemplis compluribus constat. Cf. *Glassii* phil. s. p. 161. sqq.

eduxit, quam corruperunt et illuſerunt tota nocte usque ad mane, tandemque ſub aurorae ortum dimiſerunt. 26. Venit igitur mulier paulo ante tempus matutinum, et ad fores domus, in qua maritus ſuus erat, concidit usque ad plenam lucem. 27. Maritus mane aperiens fores domus iter ſuum ingreſſurus vidit hic pellicem ſuam jacentem manibus limini impoſitis. 28. Surge, inquit, abeamus; ſed non reſpondit. Tum ille eam aſino impoſuit atque ad locum ſuum revertit. 29. Cum domum veniſſet, cultro cadaver pellicis ſuae membratim in duodecim fruſta disſecuit, quae per omnes Iſraëliticae terrae partes transmiſit. 30. Quod qui vidit, negavit, hujusmodi ſcelus patratum eſſe inde ab eo die, quo Iſraëlitae ex Aegypto emigrarunt, usque in praeſentem. Rem perpendite et adhibito conſilio decernite.

CAPUT XX.

Bellum Benjaminitis ſceleris auctores tradere recuſantibus ab undecim tribubus infertur 1—17. Quod ab initio quidem ab his minus feliciter geritur, poſtea vero Benjaminitis fit exitiale 18—48.

1. Quo nuncio commoti Iſraëlitae convenerunt unanimi conſenſu a Dane usque ad Berſebam et incolae regionis Gilead coram Jova in monte alto. a) 2. In quo populi Deo ſacri conventu omnes proceres, omnes Iſraëlitarum tribus praeſentes erant, quadringenta peditum millia, qui arma ferre poterant. 3. Qua de

a) Hebr. הַמִּצְפֶּה aliis eſt nomen proprium urbis in confinio Judae et Benjaminis. Cf. *Bachiene* in deſcriptione Palaeſtinae p. II. vol. II. p. 232.

de re certiores facti sunt Benjaminitae. Principio quaesiverunt Israëlitae, qua ratione scelus istud esset patratum. 4. Tum Levita ille, maritus mulieris necatae, ita exorsus est: Ego cum pellice mea Gibeam Benjaminitarum veni ad pernoctandum. 5. Noctu oppidani domum, in qua eram, aggrediebantur, me volebant interficere, pellicem vero ad mortem usque constuprabant. 6. Hanc ego membratim disecui et *frusta* per omnes terrae Israëliticae partes transmisi. Turpissimum enim scelus in gente Israëlitica est commissum. 7. Jam vos praesentes estis, omnes Israëlitae, deliberate et decernite, quid faciendum sit. — 8. Tunc universus populus unanimi consensu hoc consilium ceperunt: neminem ad tentorium suum discedere debere, neminem domum repetere; 9. belli autem adversus Gibeonitas gerendi rationem sic esse instituendam, sorte esse decernendum, quinam pugnaturi sint; 10. deinde denos ex centenis, centenos ex millenis, et millenos ex denis millenis seligendos esse, qui commeatum exercitui subministrarent, ut post adventum suum agere posset cum Gibea Benjaminitarum pro tanto ejus scelere, quod inter Israëlitas commisisset. 11. Igitur cum universi Israëlitae conjunctim ad oppidum istud venissent, 12. miserunt certos quosdam homines ad Benjaminitas, [b]) qui eos propter istud apud ipsos admissum scelus redarguerent, 13. et postularent, ut traderentur homines isti perditissimi Gibeae ad supplicium,

b) Pro שִׁבְטֵי בִנְיָמִן haud dubie legendum est שֵׁבֶט. Sic omnes antiqui interpretes legerunt. *Michaelis* vertit: *an alle Geschlechter Benjamins.* Sed dubito, an unquam שבט sic dicatur.

cium, ut fic malum ex populo Ifraëlitico tolleretur. Sed recufarunt Benjaminitae, morem gerere contribulibus fuis. 14. Imo omnes ex oppidis fuis convenerunt ad bellum gerendum cum Ifraëlitis. 15. Numerus illorum recenfitorum fuit fex et viginti millia hominum armis inftructorum, praeter incolas Gibeae, quorum recenfiti fuerunt feptingenti homines lectiffimi. 16. In quo *Benjaminitarum* exercitu fuerunt feptingenti homines lectiffimi finiftra manu pro dextra utentes, funditores adeo exercitati, ut ne pilum quidem aberrarent. 17. Ifraëlitarum vero exercitus praeter Benjaminitas fuit militum quadringentorum arma ferentium et belli peritorum. 18. Hi omnes ad facrarium Dei convenerunt, eumque confuluerunt, quinam ipforum belli cum Benjaminitis gerendi initium facere deberent. Cum a Jova Judaei effent defignati, 19. poftridie mane omnes caftra pofuerunt ad Gibeam, 20. atque acie contra Benjaminitas inftructa, ut proelium iis committerent, 21. hi quoque Gibea egreffi duo et viginti millia Ifraëlitarum eo die proftraverunt. 22. At Ifraëlitae viribus refumtis aciem iterum eodem loco, quo primo die, inftruxerunt. 23. Nam lugentes in loco facro Jovam interrogarant, num iterum deberent proelio decertare cum Benjaminitis, popularibus fuis, atque Jova jufferat, ut eos aggrederentur. 24. Igitur fecundo die cum eis funt congreffi. 25. At Benjaminitae, qui quoque Ifraëlitis occurrerant, denuo duodeviginti millia proftraverunt omnes armis inftructos. 26. Tunc univerfus Ifraëlitarum exercitus Dei facrarium adierunt, ibique ad vefperam usque coram Jova

plo-

plorarunt et jejunarunt, holocausta et expiatoria ei immolantes. 27. Simul eum consuluerunt, (erat enim ibi tunc arca legis divinae, 28. et Pinehas, Eleasaris filius, nepos Aaronis, sacerdotio fungebatur,) utrum porro deberent exire dimicaturi cum Benjaminitis, popularibus suis, an a bello desistere? Respondit Deus: exirent, cras velle se eos tradere. 29. Igitur Israëlitae insidias struxerunt circum Gibeam, 30. atque exercitum adversus Benjaminitas eduxerunt, aciemque ad Gibeam formarunt sicuti antea. 31. Tunc Benjaminitae obviam egressi sunt, atque ab oppido paulo longius discesserunt, coeperuntque inter Israëlitas caedere sicuti antea circiter triginta homines in semitis, quarum altera Bethelem, altera Gibeam ducit. 32. Hinc arbitrabantur, profligatos jam esse Israëlitas uti ab initio. Verum hi fugam tantum simularant, ut illos ab oppido in semitas abducerent. 33. *Quod cum factum esset*, constiterunt atque aciem iterum instruxerunt ad Baaltamarem, simul insidiae proruperunt e locis suis ex collibus circa Gibeam, 34. nimirum decem millia ex toto Israëlitarum exercitu delecta, quae Gibeam aggrediebantur; tunc acerrime pugnatum est. Sed Benjaminitae non praevidebant calamitatem sibi imminentem. 35. Nam Jova eos Israëlitis caedendos objecit, ita ut hi eo die quinque et viginti millia et centum interficerent, omnes armis instructos. — 36. *Nempe sic res peracta est.* c) Viderunt Benjaminitae profligari

c) Inde ab hoc versu repetita incipit proelii descriptio. — Qui textum Hebraeum cum versione mea conferre velit, intelliget, quam

gari Iſraëlitas. Nam hi illis loco cedebant, quoniam infidiis fidebant, quas juxta Gibeam collocarant. 37. Hae vero propere ad oppidum contenderunt, eoque occupato omnes incolas gladio trucidarunt. 38. Convenerant autem Iſraëlitae cum infidiatoribus de ſigno, *quod ipſis darent*, ut, quam maximum poſſent, ex oppido fumum excitarent. 39. Igitur cum Iſraëlitae in proelio terga darent, atque Benjaminitae inter eos jam nonnullos caederent, triginta circiter homines, hi ſibi perſuadebant, jam profligatos eſſe Iſraëlitas uti in prioribus proeliis. 40. Sed tunc fumus ex urbe aſcendit, et Benjaminitae, cum reſpicerent, viderunt totum oppidum flagrare. 41. Iſraëlitae vero, *qui fugam ſimularant*, ſeſe converterunt, hinc Benjaminitae perturbati ſunt, cum viderent, ſibi jam malum imminere. 42. Igitur terga dederunt Iſraëlitis in via verſus ſolitudinem; verum et ibi ab hoſtibus [d]) ſunt excepti. Nam ex oppidis occurrentes concidebant eos. 43. Sic Benjaminitae undique cincti ab his, qui eos perſequebantur, facile trucidati ſunt usque ad partem orientalem Gibeae, 44. et perierunt ex eis octodecim millia, qui omnes erant viri fortes. 45. *Reliqui* in fuga ſeſe converterant verſus ſolitudinem ad petram Rimmonem, e quibus paſſim in ſemitis concidebantur quinque millia, et ulterius perſequentes usque ad Gidomum tru-

quam difficile ſit, hujusmodi pericopas propter morem narrandi Hebraeorum ſimpliciſſimum ſaepe perquam obſcuras in aliam linguam ſalva perſpicuitate transferre.

d) מִלְּחָמָה verti *hoſtes*, quod tales erant, qui ex oppidis occurrebant. Oppida intelligo deſerti Judae, de quo h. l. ſermo eſt.

trucidabant adhuc duo millia. 46. Sic numerus omnium *Benjaminitarum*, qui eo die perierunt, fuit quinque et *viginti* millia hominum arma ferentium. 47. Sexcenti tantum, fuga evaſerunt ad ſolitudinem in rupem Rimmonem, ibique quatuor menſes manſerunt. 48. Iſraëlitae vero ab his converſi aggreſſi ſunt etiam Benjaminitarum oppida, in quibus omnia, homines et pecudes, ferro trucidarunt, ipſa oppida tandem incenderunt.

CAPUT XXI.

Poenitet Iſraëlitas crudelitatis in Benjaminitas admiſſae. In reſtaurationem tribus fere deletae ſexcentis illis ſuperſtitibus mulieres proſpiciunt, partim puellis Jabeſi potitis, partim raptu virginum Siluute in feſto ſolenni conceſſo.

1. Iſraëlitae in monte illo alto *Siluntis* juraverant, neminem filiam ſuam ulli Benjaminitae in matrimonium eſſe daturum. 2. Igitur, cum exercitus ad ſacrarium Dei conveniſſet, ibi omnes coram Deo usque ad veſperam ſublatis vocibus vehementer fleverunt 3. et conqueſti ſunt, quod Jova, Iſraëlitarum Deus, permiſerit, unam tribum jam in gente Iſraëlitica deſiderari. 4. Poſtridie mane exſtructo altari, in quo holocauſta et expiatoria immolant, 5. inquiſiverunt, quinam de tribubus Iſraëliticis ad conventum in locum ſacrum non veniſſet. Nam graviſſimo jurejurando ſanctum fuerat, poena capitis animadverti debere in eum, qui non coram Jova in monte alto comparuiſſet. 6. Cum igitur Iſraëlitae commiſerarentur fortunam Benjaminitarum, popularium ſuorum, dolerentque, deletam eſſe unam

unam tribum de gente ſua, 7. *et ſolliciti eſſent*, quomodo reliquis Benjaminitis uxores proſpici poſſent, quoniam per Jovam juraſſent, ſe filias ſuas eis nolle in matrimonium dare: 8. quaeſiverunt, num quis de tribubus non interfuiſſet ſacro conventui in monte alto? Repertum eſt, neminem Jabeſo Gileaditico in caſtra ad conventum veniſſe. 9. Luſtrato enim exercitu intellectum eſt, neminem incolarum iſtius oppidi adeſſe. 10. Tum miſit coetus duodecim militum millia, quibus praecepit, ut incolas Jabeſi Gileaditici, mulieres et parvulos gladio interficerent, 11. hac tamen cautione, ut mares tantum, et feminas, quae cum viro rem habuiſſent, devoverent. [a]) — 12. Inventae autem ſunt inter Jabeſenſes quadringentae puellae virgines virum non expertae, quae in caſtra Siluntem (quod eſt Cananaeae oppidum) [b]) deductae ſunt. 13. Quo facto miſit univerſus coetus ad Benjaminitas, qui ad petram Rimmonem [c]) *confugerant*, eisque pacem obtulerunt. 14. Cum rediiſſent, dederunt eis mulieres in matrimonium, quae ex Jabeſenſibus vivae erant con-

a) Addunt *οἱ ὁ: τὰς δὲ παρθένους περιποιήσασθε*, et Vulg: *virgines autem reſervate*. Quod additamentum non alienum videtur, quoniam in ſequenti verſu narratur, has virgines in caſtra eſſe deductas. Sed Syrus, Chaldaeus et Arabs illa non legerunt. Cf. obſervat. ad cap. 14, 10. b).

b) Horum verborum, quae ſane redundare videntur, rationem probabilem reddit *Clericus* hanc: ea addita eſſe, non ut Siluntis ſitus deſignetur, ſed ut opponatur ſitui Jabeſi, quod ultra Jordanum ſitum erat, atque adeo extra terminos propios terrae Cananaeae.

c) Cap. 20, 47.

nſervatae. Sed ne ſic quidem omnibus proſpectum . 15. Igitur cum populus miſericordia Benjaminitam commoveretur, et dolerent, Jovam ſcindi e tribus Iſraëliticis unam permiſiſſe, 16. quaeſiverunt ex ioribus coetus, qua ratione reliquis quoque uxores videre poſſent, deletis omnibus mulieribus Benjaiticis? 17. Poſſeſſionem hereditariam hujus tribus andam eſſe eis, qui evaſiſſent, ne integra tribus e te Iſraëlitica periret; 18. nec tamen ſe poſſe filias eis collocare, quod diras imprecati eſſent omnes qui hoc faceret. 19. Tum illis in mentem venit, quotannis Jovae celebrari Silunte a ſeptentrione rii Dei ab oriente viae, quae ab illo ſacrario Sichem ducit, a meridie autem Lebonae. 20. Igitur condederunt Benjaminitis, ut in vineis *illius loci* inentur, 21. et quando viderent, puellas Silunticas choris ad ſaltandum prodire, prorumperent ex vineis, ſi quisque uxorem ex eis raperet et in terram Benjaminiticam discederet. 22. Quodſi deinde patres aut fratres d) earum venirent, ut hac de re ſecum conderent, velle ſe eos rogare, ut ſibi condonarent eorum factum, e) quoniam non tot mulieres cepiſſent in bello,

d) Fratrum mentio fit, quod eorum erat inprimis, ſaluti ſororum ſuarum proſpicere. Cf. obſervat. ad Geneſ. 24, 50.

e) Senſum horum verborum propter breviloquentiam ſane difficilium, in quibus adeo Ill. *Michaelis* haeret, recte mihi videor indicaſſe. Ad explicandam autem verſionem meam haec obſervo: Affixum verbi חָנְנוּ reſolvendum eſt in praepoſitionem ſeparatam וְחֵן לָנוּ *gratificamini nobis* (de quo idiotiſmo vid. *Glaſſius* p. 167.). אֹתָם poteſt per enallagen ad virgines refer-

bello, ut ſuam quisque haberet; ipſos autem dare eis non potuiſſe *ſuas filias*, niſi vellent culpae rei fieri. 23. Benjaminitae igitur ita fecerunt, atque ex ſaltantibus puellis tot, quot erant ipſi, rapuerunt; quo facto redierunt ad poſſeſſiones ſuas et reſtaurarunt oppida ſua. 24. Eodem tempore etiam Iſraëlitae ad ſuas tribus, gentilitates et patrimonia revertérunt. 25. Illis temporibus Iſraëlitae nondum reges habebant, quisque pro arbitrio ſuo agebat.

---

ferri, vel ad juvenes, ut pro his immunitatem petant: de his in verſione explicavi. — Bellum intelligitur cum incolis Jabeſi in Gileaditide. — נתן verbum activum hoc loco de facultate ſ. poteſtate eſt intelligendum. (*Glaſſius* p. 197.) Propter jusjurandum, quo ſeſe obſtrinxerant, de quo verſ. 1. et 18., non dare potuerunt filias ſuas Benjaminitis.

RUTH.

R U T H.

CAPUT I.

Elimelechus cum familia ſua fame coactus Bethlehemo in regionem Moabitarum emigrat. Poſt patrem duo quoque ejus filii, qui Moabiticas mulieres duxerant, ibi moriuntur; harum altera Rutha cum ſocru ſua Bethlehemum revertitur.

1. Cum judices *Iſraëlitis* praeeſſent, vir quidam Bethlehemo Judaeae, fame illius regionis coactus, emigravit, ut in Moabitide peregrinaretur, una cum conjuge ſua et duobus filiis. 2. Nomen ejus fuit Elimelechus, conjugis Nooma, et duorum filiorum Machlon et Chiljon, Ephrataei, Bethlehemi Judaeae *degentes*. Qui cum in Moabitide aliquamdiu vixiſſent, 3. mortuus eſt Elimelechus, Noomae maritus. Sic ſola ſuperſtes fuit cum duobus filiis ſuis. 4. Hi uxores ſibi duxerunt Moabiticas, quarum altera Orpa, altera Rutha vocabatur. Poſtquam decem circiter annos ibi commorati fuerant, 5. ambo mortui ſunt Machlon et Chiljon. Sic mulier duobus filiis et marito ſuperſtes 6. conſilium cepit redeundi e Moabitide *in patriam*. Audierat enim, Jovam populi ſui habuiſſe rationem et frumentum ei proſpexiſſe. 7. Igitur e loco illo, ubi commorata fuerat, iter in Judaeam ingreſſa eſt, comitanti-

bus eam duabus nuribus ſuis. 8. Tum his Nooma dixit: Revertimini jam ad domum maternam, rependat vobis Jova pietatem, quam mortuis et mihi exhibuiſtis. 9. Faxit Jova, ut in novo conjugio felices vivatis. Simul eas exosculata eſt. Hae in lacrymas erumpentes: 10. Immo vero, inquiebant, redibimus tecum ad populum tuum. 11. Ad haec Nooma: Redite, quaeſo, o filiae meae! quid me comitemini? Num ſpes mihi eſt, ut filios adhuc pariam, qui veſtri poſſint eſſe mariti? 12. Revertimini, quaeſo, filiae meae, nimis jam aetate provecta ſum, quam ut viro nubam. Quodſi dicerem, ſpem mihi eſſe, ut hac ipſa nocte marito jungar et pariam filios, 13. an eſtis exſpectaturae, donec adoleverint? An propter eos *quaſi* occluſae victurae ſine viris? Nequaquam, filiae meae. Ego quidem ſum longe infelicior quam vos, nam Jova me graviter afflixit. 14. Tum illae denuo plorarunt, tandem Orpa ſocrum ſuam osculata *revertit.* a) At Rutha ei adhaerens manſit. 15. Cui Nooma dixit: En, rediit fratria tua ad populares ſuos Deosque patrios, age, ſequere eam. 16. At Rutha: Ne me urge, inquit, ut te relinquam aut a te discedam. Quocunque ibis, ego quoque ibo; ubi pernoctas, ego pernoctabo; tuus populus meus, tuus Deus meus erit. 17. Ubi morieris, ego moriar, ibique ſepeliar. Jovam teſtor! ſola mors me

a) *Οἱ ὁ* addunt: *καὶ ἐπέστρεψεν εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς.* Quod ſupplendum eſſe, ex ſequenti verſu apparet. Idem ex parte legerunt Syrus, qui habet: *et reverſus eſt et abiit*, Arabs et Vulgatus: *ac reverſa eſt*, ut ſaltem ex teſtimonio horum interpretum excidiſſet וַתָּשָׁב, quod tamen *Kennicottus* in nullo cod. invenit.

me a te divellet. 18. Igitur cum videret, eam animo obfirmato velle ſe ſequi, disſuadere deſiit; 19. et ſic una [b]) iter facientes tandem venerunt Bethlehemum. Quarum adventu commotum eſt totum oppidum. Mulieres inprimis, num haec Nooma ſit, quaeritantes. 20. At haec eis reſpondit: Nolite me Noomam vocare, vocate me Maram, [c]) nam ingenti moerore me ſummum numen affecit. 21. Plena ego disceſſi, et vacuam [d]) me Jova redúxit. Quid me vocatis Noomam? Nam Jova me afflixit, Deus ſummus mihi ſuit iratus. 22. Rediit autem Nooma cum Rutha, Moabitide, nuru ſua, ex terra Moabitica, venitque cum ea Bethlehemum ſub initium meſſis hordeaceae.

CAPUT II.

Rutha ſpicas colligens forte venit in agrum Boaſi, affinis Noomae et Ruthae. Is eam humaniter excipit.

1. Habebat autem Nooma affinem quendam ex viro ſuo, hominem divitem e familia Elimelechi, nomine Boaſum. — 2. Tunc Rutha Moabitis a Nooma petiit, ut ſibi poteſtatem daret exeundi in agros et

 ſpi-

b) In textu recepto legitur quidem שְׁתֵיהֶם, ſed *Kennicottus* in codd. quamplurimis lectionem invenit regulis grammaticae convenientem שְׁתֵיהֶן. Sed non item in reliquis hujus cap. verſibus 8., 9., 11., 13., in quibus genus non reſpondet ſubjecto, de quo ſermo eſt. Igitur de his et ſimilibus repetenda eſt obſervatio ad Jud. 19, 24. b) data.

c) Alludit ad ſignificationem nominis ſui. *Noomi* eſt *grata, laeta*, et *Mara* ſignificat *amaram, triſtem, afflictam.*

d) Retineo Hebraica non obſcura intellectu.

ſpicas colligendi apud eum, qui ſibi id beneficii vellet concedere. Illa vero lubenter eam dimittit. 3. Venit igitur et collegit in agro quodam poſt meſſores, et caſu factum eſt, ut fundus hic eſſet Boaſi, qui erat e familia Elimelechi. 4. Tum ille *meſſores inviſurus* venit Bethlehemo, et poſtquam eos ſalutarat et hi eum reſalutarant, 5. interrogavit famulum meſſoribus praefectum, cujus eſſet haec puella? 6. Hic reſpondit: puellam eſſe Moabiticam, quae cum Nooma ex Moabitis rediiſſet; 7. eam petiiſſe, ut ſibi concederetur, inter manipulos poſt meſſores ſpicilegium facere, opus feciſſe continuo, ex quo mane veniſſet, et modo paululum in tugurio conſediſſe. 8. Tum Boaſus ad Rutham: Audisne, filia, ne eas in alium agrum ad colligendum, neque hinc discedas? ſed adhaere ancillis meis. 9. Vide, quo in agro metent, eo eas ſequare, ego vetabo ſervis, ne te offendant; quando ſitis, abi ad vaſa et bibe aquam, quam ſervi hauſerunt. 10. Tum illa in faciem procumbens humillime eum ſalutavit et dixit: Equidem immerito tantam a te benevolentiam experior, qua me, peregrinam, dignaris. 11. Reſpondit Boaſus: Indicata ſunt mihi omnia, quae feciſti ſocrui tuae poſt mortem mariti tui, quod relictis parentibus tuis et patria te contuleris ad populum tibi antea ignotum. 12. Rependat tibi Jova, quod feciſti, magnumque ab eo, Iſraëlitarum Deo, praemium conſequare, quod ad tutelam ejus confugiſti. 13. Agnoſco, inquit Rutha, tuam erga me benignitatem, domine, nam me conſolatus es et metu levaſti, cum tamen ne quidem uni ancillarum tuarum poſſim comparari.

rari. 14. Sub tempus cibi capiundi jussit eam Boas accedere, et una cibum sumere et panem aceto intingere. Igitur consedit ad latus messorum, et ille porrexit ei frumentum tostum, ut ad satietatem edere posset et superesset. 15. Quo facto surrexit ad spicilegium faciendum. Hic jussit Boasus servis, ut sinerent, eam quoque inter mergites colligere, neque eam prohiberent, 16. immo ut ex manipulis detraherent eique ad colligendum relinquerent, nec ullo modo eam offenderent. 17. Sic spicilegium fecit usque ad vesperam. Quod cum excussisset, habuit fere epham hordei. 18. Cum hac redit ad oppidum, et socru, quae collegerat, intuente depromsit etiam reliquias ciborum et dedit. 19. Tunc socrus quaerit, ubi hodie collegerit et operata sit, bene se precari ei, qui hunc in ipsam favorem ostenderit. Illa igitur socrui narrat, apud quem opus fecerit, nomen ejus esse Boasi. 20. Ad haec Nooma nurui dixit: Faveat ei Jova, quod benevolentiam suam non detraxit neque vivis neque mortuis. Simul ei exponit, virum illum esse sibi affinem et unum ex redemtoribus. a) 21. Tum Rutha Moabitis: Praecepit mihi, inquit, ut manerem apud b) puellas

a) Qui nempe ex lege debebat in matrimonium ducere viduam fratris aut affinis sine prole mortui. Lex extitit Deut. 25, 5—10. Cf. *Michaelis* in jure Mos. p. II. pag. 186.

b) In textu est עִם הַנְּעָרִים *cum pueris*, h. e. servis, pro quo haud dubie est legendum עִם הַנְּעָרוֹת *cum puellis*. Sic quoque legerunt *οἱ ὁ*: *μετὰ τῶν κορασίων*. Sic quoque statim versu sequenti explicatur, cf. v. 8. Et tamen Chaldaeus, Syrus et Arabs habent: *cum servis*. Vulgatus ambigue: *messoribus ejus*.

ellas ejus usque ad finem messis. 22. Sane, respondit Nooma Ruthae, nurui suae, melius est, mea filia, ut puellas ejus comiteris, ne forte te in alio fundo offendant. 23. Igitur mansit apud puellas Boasi et spicilegium fecit, usque dum absoluta esset messis hordeacea et triticea, tunc *iterum* apud socrum suam commorata est.

CAPUT III.

Rutha ex consilio Noomae Boasi, ut redemtoris, nuptias petit. Quas hic ei promittit, si alius propior jure suo uti nolit.

1. Quo facto Nooma socrus ei dixit: Equidem, mea filia, opto salutem tuam atque ut bene tibi sit. 2. Jam vero Boasus, affinis noster, is, cum cujus puellis tu fuisti, hac nocte in area hordeum est ventilaturus. 3. Tu igitur lava et unge te. Indue vestes tuas cultiores, [a]) et sic abi ad aream. Sed cave, ne te videat, antequam cibum et potum sumserit. 4. Si cubitum discedet, observa locum, ubi cubabit. Hunc deinde adito et cubato. Tum tibi indicabit, quid facere debeas. 5. Ad haec illa respondit: Omnia, quae mihi dixisti, exsequar. 6. Abiit igitur ad aream, fecitque omnia, quae socrus jusserat. 7. Boasus, postquam cibum et potum ad hilaritatem sumserat, cubitum abiit inter acervos. Tum illa clam venit, et retectis ejus pedibus accubuit. 8. Media nocte homo ex-

a) In textu quidem tantum legitur *vestes*, sed recte Vulgatus addit *cultiores*, nam per se apparet, substantivum esse cum emphasi intelligendum.

exterritus contrectando intellexit mulierem cubare ad pedes suos. 9. Quaenam tu es? inquit. Et illa: Ego Rutha sum, ancilla tua, rogo, ut mecum matrimonium ineas, b) tu enim es redemtor. 10. Ad haec ille: Faveat tibi Jova, mea filia, posterius hoc pietatis tuae documentum majus est priore, dum tu juvenes non appetiisti, neque pauperes neque divites. 11. Jam igitur, filia, ne dubites. Faciam, quod dicis; tota enim popularium meorum civitas novit, te mulierem esse virtute praeditam. 12. Verum quidem est, ego sum redemtor, sed est alius jure prior. 13. Quiesce hac nocte. Si te cras jure propinquitatis ducere velit, bene est, ducat; si recusarit, hoc facere, ego te ducam per Jovam immortalem. Quiesce usque in matutinum. 14. Igitur illa quievit ad pedes ejus usque in matutinum. Tunc surrexit, antequam alius alium agnoscere posset. Volebat enim, ne quis resciscceret, mulierem in aream venisse. 15. Tum jussit eam pallium, quo tecta esset, praebere, quod cum fecisset, mensus est sex hordei mensuras, quas ei imposuit, et abit in oppidum. 16. Illa vero cum ad socrum suam veniret, haec, quaenam esset, c) quaesivit. Tum ei narravit omnia, quae sibi homo fecisset, 17. et has sex hordei mensuras sibi dedisse hac addita ratione: Ne vacua ad socrum tuam redeas. 18. Tum Nooma: Exspecta modo, filia, donec videas, quem even—

b) Verba textus sunt פְרַשְׂתָּ כְנָפֶךָ עַל־אֲמָתְךָ *expande vestem tuam super ancilla tua.* Explicari potest phrasis ex Deut. 23, 1. et 27, 20., ex quibus videtur, *tegere pallio* s. *expandere pallium super aliquo* dictum esse de matrimonio honesto.

c) Num uxor Boasi, an non? Sic *Michaelis.*

eventum res habitura fit. Non quiefcet homo, donec adhuc hodie negotium perfecerit.

CAPUT IV.

Boafus offert propinquo Elimelechi hujus fundum redimendum. Verum hic audita conditione matrimonii cum Rutha redimere recufat. Quo facto Boafus ritu folenni fibi vindicat fundum illum, et Rutham in matrimonium ducit. Ex qua filium fuscipit, cujus nepos fuit rex David.

1. Tum Boafus venit ad portam ibique confedit, et cum propinquus ille, de quo Boafus dixerat, praeteriret, eum rogavit, nomine fuo eum compellans, ut accederet et confideret. Quod cum feciffet, 2. adhibuit decem civitatis fenatores; quos cum fimiliter ad confidendum effet adhortatus, 3. propinquum his verbis eft allocutus: Nooma, quae ex Moabitarum regione rediit, vendere vult fundum Elimelechi, confanguinei noftri. 4. Ego igitur exiftimavi, hoc tibi indicandum effe, ut tu eum praefentibus his popularium meorum fenatoribus emeres. Redime igitur eum, fi vis; fin minus, [a]) mihi indices, ut fciam *voluntatem tuam*, nam praeter te nemo habet jus magis propinquum, et ego poft te. Ad haec ille: Ego redimam, inquit. 5. Tum Boafus: Quando emis fundum illum a Nooma, Ru-

---

a) Pro יִגְאַל legendum eft תִּגְאַל ex teftimonio omnium verfionum antiquarum et plus quam quadraginta codd. a *Kennicotto* citatorum. *Michaelis* quidem receptam lectionem fecutus eft, dum vertit: *fin minus, alius redimet.* Sed illa ellipfis τοῦ אחר h. l. dura videtur.

ham [b]) quoque Moabitidem, defuncti uxorem, emis,[c]) omen defuncti in possessione sua hereditaria serve-
6. Tum propinquus: Non possum redimere, in-
, ne fundum meum hereditarium perdam. Redime
quod ego redimere deberem. Ego quidem non pos-
redimere. (7. Erat autem olim inter Israëlitas mos,
qui alteri jus suum redimendi cederet, in hujus rei
firmationem calceum detraheret et alteri traderet;
vim probandi habebat apud Israëlitas.) 8. Cum
ir propinquus ille Boaso diceret: Eme tu *fundum*,
rahebat simul calceum. 9. Tunc Boasus senatores
nesque praesentes est allocutus: Testes estis, me mihi
nparasse omnia a Nooma, quae Elimelecho fuerunt,
. . . . . nec

b) Pro תִּנְיָאת legendum esse וְאָת, non solum versionum antiquarum auctoritate defendi potest, sed etiam contextu. Vulgatus habet: *Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitiden, quae uxor defuncti fuit, debes accipere*, et Syrus accuratius textum Hebraeum exprimens: *Quando emeris agrum a Nooma, et Rutham Moabitidem uxorem defuncti posside.* — *Oi ὁ.* quidem legerunt τὴν ἀγοράν *καὶ παρὰ Ῥοῦθ κ. τ. λ.*, sed addunt etiam: *καὶ αὐτὴν κτήσασθαι σε δεῖ.* Similiter Arabs et Chaldaeus. Sed sic pro קָנִיתָ legendum esset קָנִיתָהּ לְךָ. *Clericus* lectionem receptam defendens subintelligit *agrum*: Comparabis *eum* ea lege etc. Sic esset legendum קָנִיתָ. Quod idem fieri a *Michaele* miror, dum vertit: *Si emis agrum a Nooma et Rutha, hoc fit eum in finem et sub hac conditione*, etc. Nam vel sic legendum esset קָנִיתוֹ, Quodsi etiam concederem, verba Hebraea admittere hanc explicationem, de quo tamen valde dubito, ex vers. 9. et 10. plane apparere arbitror, legendum esse וְאָת. Nam repetit Boasus in his versibus, quid actum sit, de quo ipse cum altero convenerit, nempe v. 9. *se bona Elimelechi emisse a Nooma*, v. 10. *et praeterea Rutham emisse sibi uxorem.* Cf. *Kennicottus* in diss. I. p. 433. vers. Lat. et *Hubigantius* ad h. l.

c) Litteram Jod in lectione textuali קָנִיתִי omittunt plus quam 50 codd. a *Kennicotto* citati.

bat. 8. At Elcana, maritus ejus, eam alloquebatur: Quid fles, inquiens, Hanna, cur non edis? Quid triſtis es? Annon ego tibi carior ſum decem filiis? 9. Tunc Hanna poſt coenam, cum Elaeus pontifex in ſella ſua ad introitum ſanctuarii ſederet, 10. in magna animi triſtitia et inter multas lacrymas precata eſt Jovam, 11. et vota fecit in hunc modum: O Jova omnipotens! ſi miſeriam meam reſpexeris, meique memor, nec oblitus *ulterius*, mihi prolem virilem dederis, reddam eum tibi, quamdiu vivet, neque novacula capiti ejus admovebitur. 12. Cum vero hunc in modum multum precaretur, Elaeus os ejus obſervans 13. (nam Hanna in corde ſuo tantum loquebatur, labia motitabat, vocem vero non emittebat) exiſtimavit, eam eſſe ebriam. 14. Igitur dixit ei: Quousque ebria eris? Exhala vinum tuum. 15. At Hanna: Minime vero, inquit, domine. Mulier ego ſum triſtis, neque vinum neque temetum bibi, ſed animi mei deſideria coram Jova expoſui. 16. Noli me putare pro tali muliere peſſima; a) ex magno animi mei moerore et triſtitia hactenus lo-

cu-

a) Verba textus: אַל תִּתֵּן אֶת־אֲמָתְךָ לִפְנֵי בַת־בְּלִיַּעַל, a nonnullis interpretibus ſic explicantur: *ne me ludibrio* ſ. *ignominiae exponas adverſariae meae*, ſc. Peninnae. Sic quoque Chaldaeus: לָא תַכְלִים. Sed נתן abſolute poſitum uti h. l., quod ego ſciam, non ita dicitur. Verum ſaepe pro *habere, reputare aliquem*, v. c. Geneſ. 42, 30. Atque ſic quoque intellexerunt haec verba οἱ ὁ, Vulg., Syrus, Arabs. Remanet tamen difficultas in voce לִפְנֵי, quod in hac conſtructione non ſic ſolet redundare. Igitur placet lectio, quam Syrus prodit, לְפָנֶךָ *coram* ſ. *apud te*. Habet enim ܩܕܡܝܟ. Quod Caph et fortaſſe alterum Caph ante בַּת propter litterarum ſimilitudinem ב et כ facile excidere potuit. Sed nihil definio.

uta fum. 17. Ad haec Elaeus refpondit: Abi in pace, let tibi Deus Ifraëlitarum, quod eum rogafti. 18. Tum lla: Faveas mihi, inquit, et fic disceffit, cibum fumit, nec vultum amplius triftem ostendit. 19. Poftrilie mane facris peractis domum redierunt veneruntque Ramam. Elcana rem habuit cum Hanna, conuge fua, et Jova ejus mifertus ei conceptum dedit. 20. Hinc anno fequenti filium peperit, quem Samulem vocavit, quod eum a Jova petiiffet. 21. Cum leinde Elcana cum familia fua rurfus proficifceretur d facrificium anniverfarium ex voto fuo peragendum, 22. Hanna non *una cum eis* profecta eft; fi puer abactatus fuerit, inquiebat marito fuo, deducam eum, ut niniftret in loco Jovae facro, ibique maneat in peretuum. 23. Refpondit ei Elcana: Fac, quod tibi laeet, mane, usque dum puer ablactatus fuerit. Jova ero impleat promiffa fua. Manfit igitur mulier, fiumque fuum lactavit, donec eum a lacte depelleret. 4. Quod cum feciffet, deduxit eum ad aedem Jovae iluntem una cum facrificio juvenci triennis, [b]) epha ma farinae et utre vini. Puer vero tenerae admolum aetatis erat. 25. Mactato juvenco fiftebant eum laeo, 26. quem *Hanna* his verbis alloquebatur: Quae-

b) In textu eft בְּפָרִים שְׁלֹשָׁה *cum vitulis tribus*. Veram lectionem procul dubio fervarunt *oi ó*, Syrus et Arabs, qui habent: *cum vitulo trienni*, legentes בְּפַר מְשֻׁלָּשָׁה, quibus teftibus addi poteft ex codd. *Kennicotti* unus quidem, nec tamen contemnendus, cod. 220., qui habet fingularem בפר. Maxime vero probat hanc lectionem verfus fequens, ubi eft: יִשְׁחֲטוּ אֶת הַפָּר *mactarunt juvencum illum*, eum nempe, de quo antea dictum fuerat.

Quaeso, domine, profecto ego sum mulier illa, quae nuper juxta te stabat et Jovam precabatur. 27. Hunc puerum mihi expetii, et dedit mihi Jova, quod rogavi. 28. Igitur ego eum vicissim Jovae offero, cui in perpetuum sit oblatus. Quibus dictis suppliciter adorant. c)

CAPUT II.

Carmen Hannae eucharisticum 1—11. Pessimi mores filiorum Elaei 12—17. Nimia patris in filios indulgentia 22—26. reprehensa a Deo per prophetam cum comminatione poenarum familiae ejus imminentium 27—36.

1. Tum Hanna hunc in modum precata est: Exsultat animus meus per Jovam, vires mihi ab eo auctae, jam ore aperto hostibus meis obloqui possum, gaudeo de salute tua. 2. Non est alius aeque sanctus ac Jova, et ne quidem alius est praeter te. Non est, qui ita ut Deus noster defendere possit. 3. Nolite tam superbe loqui, abstinete a dictis istis ferocibus. Nam Deus est omniscius, ab eo a) ponderantur hominum facta. 4. Arcus fortium franguntur, debiles robore instruuntur. 5. Saturi ob victum operam suam elocant, et famelici fe-

c) In textu recepto legitur quidem singularis יִשְׁתַּחוּ *adoravit*; sed *oi ó* in cod. Alex., Vulg., Syrus, Arabs legerunt pluralem יִשְׁתַּחֲוֻ, nec non tres codd. a *Kennicotto* sub num. 4., 95., 173. signati. Et nemo dubitet, non solum puerum, sed Hannam quoque Deum suppliciter adorasse.

a) Secutus sum lectionem marginalem גֹּו, pro qua *Kennicottus* quoque codd. 42. citavit. Lectionem textualem videntur antiquiores interpretes expressisse, praeter Vulgatum, qui habet: *et ipsi praeparantur cogitationes.*

feriantur. Jam fepties parit fterilis, et quae foecunda fuit, redditur effoeta. 6. Jova occidit et in vitam revocat, ad inferos deprimit et rurfus extollit. 7. Jova depauperat et ditat, humiliat ex exaltat. 8. E pulvere excitat tenuem, ex abjectiffimo vitae ftatu erigit egenum, ut eum inter principes collocet fedemque gloriofam tribuat. Nam Jova jecit fundamenta, quibus terrarum orbem fuperimpofuit. 9. Greffus piorum cuftodit, impii in tenebris pereunt. Nemo fuis viribus praevalet. 10. Qui cum Jova contendere audent, terrentur, detonabit in eos e coelo, judicabit totum terrarum orbem. Vires dabit regi fuo, augebit potentiam uncti fui. — — 11. Tum Elcana rediit Ramam domum fuam, puer vero Jovae miniftravit fub inftitutione Elaei. 12. Hujus vero Elaei filii peffimi erant homines, neque Jovam curabant, 13. neque jura facerdotum in populum. Si quis facrificabat, veniebat famulus [b]) facerdotis, dum caro coquebatur, et fufcinam tridentem manu tenebat. 14. Hanc immittebat in cacabum, aut ollam, aut ahenum, aut lebetem, et quidquid fufcina extrahebat, hoc fibi facerdos vindicabat. Ita vero faciebant omnibus Ifraëlitis, qui Siluntem veniebant. 15. Atque adeo, antequam adoluiffent adipem, veniebat facerdotis famulus, atque a facrificante poftulabat, ut carnem daret affandam facerdoti, nolle enim facerdotem carnem coctam, fed crudam ab eo accipere. 16. Quodfi ille refpondebat: prius adipem adolendam effe, deinde caperet, quod pla-

b) H. e. unus alterque filiorum Elaei. Infra enim v. 17. vocantur בני־עלי, et funt iidem, de quibus h. l. fermo eft.

placeret; ſacerdos dicebat, ſine mora dandum eſſe, alioquin ſe per vim erepturum eſſe. 17. Hac vero iſtorum hominum improbitate Deus vehementer offendebatur, *hinc enim factum eſt*, ut et alii Jovae ſacra contemnerent. — 18. Samuel autem juvenis miniſtravit Jovae ephodo lineo accinctus. 19. Pallium praeterea parvum ei faciebat mater, quod ei quotannis afferebat, quando cum marito ſuo ad ſacrificium anniverſarium peragendum veniebat. 20. Tunc Elaeus bene precatus eſt Elcanae et uxori ejus: Det tibi Deus, inquit, alios liberos ex hac femina pro eo filio, quem Deo commodavit. c) 21. Et Jova quoque Hannae rationem habuit, tres enim adhuc filios duasque filias peperit. Samuel autem puer Deo favente adolevit. — 22. Elaeus vero jam admodum ſenex audivit quidem omnia, quae filii ſui Iſraëlitis facerent, eosque concumbere cum mulieribus ad ſacrum tabernaculum convenientibus; 23. ſed eos in hunc fere modum tantum admonuit: Cur haec facitis? Mala ſunt, quae ego de vobis ab omnibus audio. 24. Ne ita, mei filii, non bona haec fama eſt, quam audio, ſeducitis d) popu-

c) In textu eſt abstractum pro concreto.

d) Puncta lectionis receptae מַעֲבִרִים ſuſpecta videntur *Michaeli*. Igitur aliis ſubjectis legit: מֵעֹבְרִים *a praetereuntibus*. Quam lectionem ſic expreſſit in verſione Germanica: *der Ruf iſt nicht gut, den ich ſo beyläufig vom Volke Gottes höre*. At enimvero, quomodo haec verſio lectioni mutatae reſpondeat, fateor, me non intelligere. Atque poſt מעברים legitur in textu עַם יְהוָה, non מֵעַם. Sed de hoc alii judicent. In *appendice* ad p. XII. *biblioth. orientalis* dubia ſua propoſuit contra lectionem receptam. Quorum primum, quod מַעֲבִרִים

pulum Dei. 25. Si alius alium offendit, caufam disceptat magiftratus; fed fi quis contra Jovam peccat, quis pro eo intercedat? At ifti patri fuo non obtemperarunt, propterea quoque Deus eos morti addixit. 26. Samuel autem juvenis magis magisque adolevit, cum Jovae tum hominibus probatus. — 27. Tunc propheta ad Elaeum venit, eumque his verbis eft allocutus: Sic dixit Jova: Ego me familiae tuae paternae manifeftavi, cum effent adhuc in Aegypto, Pharaoni fervientes, 28. eamque de omnibus tribubus Ifraëliticis elegi, ut facerdotes mihi daret, qui facrificia in altari meo immolarent, fuffitum facerent, et veftitu facro coram me effent induti; praeterea familiae tuae paternae omnia Ifraëlitarum facrificia addixi. 29. Cur igitur fpernitis mea facrificia, et in ferta a me praefcripta improbe agitis? e) Cur magis honoras filios tuos

מַעֲבִירִים fcribendum effet, *Kennicotti* collatione codd. remotum eft. Sic enim fcriptum reperitur in viginti codd. Ellipfis pronominis אַתֶּם non nimis dura videri poteft, quoniam quisque linguae peritus hanc vocem defiderat. Syrus et Arabs eam addiderunt.

e) In vertendo vocabulo מָעוֹן, quod in textu legitur, interpretes antiquiores disfentiunt. Vulgatus et Chaldaeus de loco facro tanquam habitatione Dei explicant. Syrus et Arabs cur verterint: *in deferto*, non intelligo. Ab his discedunt *οἱ ὁ*, dum vertunt: *ὀφθαλμῷ ἀναιδεῖ*, *oculo impudenti*, derivantes vocem haud dubie a verbo עין five עון, quod eft *obfervare aliquem*. Recentiorum interpretum plurimi, uti Chaldaeus et Vulgatus, de loco facro f. tabernaculo explicant. Sed ellipfis praepofitionis ב dura mihi videtur, neque fenfus ipfe fatis aptus. Igitur aufus fum cum *Hubigantio* vertere, quafi fcriptum effet תְּעַוּוּ, ab עוה omiffa litera Nun, quam ille fervat, quae fortaffe ex altera ו longius producta orta eft. Senfum tunc effe aptiffimum, nemo neget.

tuos quam me, dum vos ſaginatis optimis omnium munerum populi mei Iſraëlitici? 30. Propterea haec ait Jova, Deus Iſraëlitarum: Decreveram quidem, ut tua et paterna domus mihi in perpetuum miniſtraret, jam vero abſit, ut hoc fiat, inquit Jova. Nam qui me honorat, hunc ego honorabo, et qui me contemnit, exponetur contemtui. 31. Futurum eſt, ut tuas paternaeque domus vires ita infringam, ut ne ſit in ea ſenex. 32. Videbis aemulum oculo invido f) omnibus bonis aliorum Iſraëlitarum affluentem, nec erit in familia tua unquam, qui ad ſenectutem perveniat. 33. Nec tamen omnes ab altari meo auferam. Sed hoc fiet tantum in anxium deſiderium animique dolorem tuorum; omnes enim poſteri tui, ſi ad aetatem virilem pervenerint, morientur. 34. Signum hujus rei *certo eventurae* habebis in duobus filiis tuis, Chophni et Pinehſo. Uno die ambo morientur. 35. Sacerdotem autem fidum, qui ex animi mei ſententia et voluntate aget, mihi excitabo, g) cujus familiam ego ſtabiliam et uncto meo h) aderit in perpetuum. 36. Et qui tunc e familia tua ſuperſtes erit, is eum ſuppliciter rogabit de numo argen-

f) Altera vice legitur מכון, atque aeque difficilem habet explicationem ac in altero loco. Mihi quidem *habitationis* ſ. *ſanctuarii* ex iisdem rationibus neque h. l. probatur. Sed putem, eſſe participium in Piel ab illo verbo כון, de quo *oi ó* prius illud מכון derivarunt. Neque opus videtur mutatione, quam *Hubigantius* h. l. affert מכורן ex ſcriptione ejusdem vocis cap. 18, 9.

g) Is fuit Sadokus, qui a Salomone ſacerdotio eſt admotus in locum Abjatharis e familia Elaei orti. Cf. 1 Reg. 2, 26. 27.

h) II. e. Salomoni ejusque ſucceſſoribus. Quibus verbis praedicitur ſimul mutatio reipublicae Judaicae in regnum.

genteo, aut frusto panis, admitte me, inquiens, ad munus aliquod sacerdotale, ut habeam, unde vivam.

CAPUT III.

Primum ad Samuelem oraculum divinum de poenis ab Elaeo sumendis propter ejus in filios suos indulgentiam.

1. Samuel vero juvenis ministrabat Jovae sub disciplina Elaei. Rara erant eo tempore oracula divina, nec frequentes obveniebant *cuidam* visiones. 2. Tunc accidit, cum Elaeus (cujus oculi caligabant, nec poterat distincte videre) in loco suo cubaret, 3. et Samuel quoque in tabernaculo Jovae, ubi arca Dei erat, dormiret lucerna sacra nondum exstincta, 4. ut Jova Samuelem vocaret. Hic respondens 5. currit ad Elaeum et dicit: En! adsum, tu me vocasti. Elaeus negat, se vocasse, et jubet, ut cubitum redeat. Quod cum fecisset, 6. Jova iterum Samuelem vocat. Hic surgit, abit ad Elaeum et dicit: En! adsum, tu me vocasti. Hic iterum negat, se vocasse jubetque cubitum repetere. 7. Samuel nondum poterat *vocem* Jovae *ab humana* discernere, quoniam sese ei nondum manifestarat. 8. Igitur, cum Jova tertia vice eum vocaret, surgit et abit ad Elaeum, se ab eo vocatum esse praesumens. Tunc Elaeus intelligit, Jovam esse, qui puerum vocet. 9. Igitur jubet Samuelem, ut cubitum redeat, et si vocem audiat, respondeat: Loquere, Domine, audit servus tuus. Cum Samuel, quod jussus erat, fecisset, 10. Jova venit et substitit

et vocavit uti antea: Samuel, Samuel! Tum hic: Loquere, inquit, audio. 11. Et ille ita pergebat: Scito, me facturum esse aliquid in Israële, quo omnes, qui audient, obstupescent. 12. Etenim adducam in Elaeum omnia *mala*, quae familiae ejus minatus sum, ita ut nihil eorum desit. 13. Indicavi ei, me posteros ejus in perpetuum punituram esse propter culpam, *quam admisit*, cum sciret, quam turpiter se gererent ejus filii, nec tamen eos coërceret, 14. propterea juravi familiae Elaei, ejus culpam nunquam neque sacrificiis neque oblationibus expiatum iri. 15. Samuel usque ad tempus matutinum dormivit, deinde aperuit fores aedis Jovae, sed veritus est, hoc visum Elaeo indicare. 16. At Elaeus eum ad se vocavit. Cum venisset, 17. ei dixit: Quid est, quod tibi dictum fuit? Noli me quidquam celare, Deus te puniet, si quid eorum, quae tibi dicta sunt, reticeas. 18. Tum Samuel ei omnia indicavit, nec quidquam eum celavit. Ad haec Elaeus respondit: Jova est, faciat, quod ei visum fuerit. — 19. Samuel vero adolevit favente Jova, nec ullum eorum, quae praedixit, eventu caruit. 20. Omnes quoque Israëlitae a Dane usque ad Bersebam intellexerunt, Samuelem verum esse Jovae prophetam. 21. Deinde quoque ulterius Jova sese Silunte manifestavit post *primam* illam ibi ei factam revelationem.

CA-

CAPUT IV.

Iſraëlitae cum Philiſtaeis minus feliciter pugnant. Sub ſpe victoriae obtinendae arcam legis in caſtra deducendam curant. Sed iterum magna clade a Philiſtaeis afficiuntur, a quibus arca capitur et duo Elaei filii occiduntur 1—11. Pater hoc nuncio audito retro lapſus cervice fracta moritur, itemque nurus ejus poſt partum 12—22.

1. Suadente Samuele Iſraëlitae bellum intulerunt Philiſtaeis. Caſtra ad Ebeneſerum habebant, Philiſtaei ad Aphekum. 2. Acie a Philiſtaeis adverſus Iſraëlitas inſtructa proelium committitur, in quo hi caeduntur, ita ut in loco pugnae circiter quatuor millia perirent. 3. Cum ſe in caſtra populus recepiſſet, ſeniores Iſraëlitarum mirantur, Jovam permiſiſſe, ut a Philiſtaeis caederentur, et decernunt, arcam legis divinae Silunte arceſſere, quae ſua praeſentia eos ab hoſtibus defendat. 4. Mittit igitur populus Siluntem, et ſic abducitur arca legis Jovae omnipotentis inſidentis Cherubis; duo Elaei filii Chophnaeus et Pinehaſus una adſunt. 5. Cum arca legis divinae in caſtra venit, Iſraëlitae ingentem clamorem tollunt, ut terra commoveri videatur. 6. Philiſtaei audito iſto clamore quaerunt, quae ſit hujus tantae vociferationis in caſtris Hebraeorum cauſa? Ubi cognoſcunt, arcam Jovae in caſtra veniſſe, 7. perterriti exclamant: Deus venit in caſtra, heu nobis! jam res prorſus mutatae ſunt; 8. heu nobis! quis nos defendet a Diis illis potentibus? Ili ſunt Dii illi, qui Aegyptios tot plagis in ſolitudine affecerunt. [a]) 9. Fortes eſtote, praeſtate vos vi-

a) Non erat, quod nonnulli interpretes laborarent in conciliandis his verbis cum hiſtoria, quae docet, haec non facta eſſe in

viros, Philiſtaei, ne Hebraeis ſubjiciamini, quemadmodum illi vobis fuerunt ſubjecti; praeſtate vos viros et pugnate. 10. Sic proelium committunt Philiſtaei. Iſraëlitae profligantur et fugiunt ad tentoria ſua magna clade accepta. Ceciderunt enim ex Iſraëlitis triginta millia peditum. 11. Arca quoque Dei capta eſt, et ambo Elaei filii Chophnaeus et Pinehaſus perierunt. — 12. Tum Benjaminita ex acie currit, venitque eodem illo die Siluntem ſciſſa veſte et capite pulvere conſperſo. 13. Cum veniret, (Elaeus ſedebat in ſella juxta [b]) viam proſpectans, animo enim erat anxio de arca Dei,) propter nuncium oppidani omnes in clamorem erumpunt. 14. Elaeus, cum clamorem audiat, cauſam hujus tanti tumultus quaerit. Tum vir ille propere venit ad eum narraturus, *quid factum ſit.*

ſolitudine, ſed in Aegypto. Meminiſſe debebant, gentiles loqui, qui ſando tantum acceperant, quae Jova, Iſraëlitarum Deus, Aegyptiis feciſſet. Cum his alia ejus miracula in ſolitudine patrata confundunt. Scriptoris non eſt, hos errores vel indicare vel refutare. Vid. *Michaelis* in appendice ad biblioth. orient. p. XII. p. 183.

b) Perquam placet obſervatio critica, quam Celeb. *Koehlerus* dedit, (in repertorio pro litteratura orient. p. II. p. 255.) poſt יַד excidiſſe הַשַּׁעַר *prope portam* et ſequentia דַּרְכָּהּ מְצַפֶּה transpoſite eſſe legenda. LXX quidem interpretes ſic legerunt: *καὶ ἰδοὺ Ἠλεὶ ἐκάθητο ἐπὶ τοῦ δίφρου παρὰ τὴν πύλην σκοπεύων τὴν ὁδόν.* *Chaldaeus* quoque et *Joſephus* (antiquitt. V, 11, §. 3.) legerunt vocabulum שער et infra verſ. 18. narratur, Elaeum יד השער *prope portam* a ſella cecidiſſe et fregiſſe cervicem. Sed quoniam recepta textus lectio commodam admittit explicationem, (marginalis nempe ſ. Keri, Cethib enim nihil niſi ſcribae vitium eſt,) verſiones quoque Syriaca, Arabica et Vulgata cum ea conſentiunt, illam, quanquam mihi valde probatur, nolui in verſione exprimere.

sit. (15. Annos autem natus erat tunc Elaeus octo et nonaginta, oculi ejus caligabant, nec poterat videre.) 16. Venio, inquit vir ille, ex acie, ex qua hodie effugi. Quid accidit, mi fili? quaerit ille. 17. Respondet nuncius: Israëlitae terga dederunt Philistaeis, magna clades accepta est, ambo tui filii Chophnaeus et Pinehasus mortui sunt, atque arca Dei capta est. 18. Cum arcae Dei mentionem facit, Elaeus retro ex sella cadit prope portam et fracta cervice moritur; erat enim senex et gravis. Israëlitis autem praeerat quadraginta annos. 19. Ejus nurus, Pinehasi uxor, gravida et partui proxima, cum audiret, captam esse arcam Dei, socerum et maritum suum mortuum esse, doloribus correpta peperit. 20. Hanc jam moribundam adstantes hortabantur, ut bono esset animo, nam ipsam filium peperisse; sed illa nihil respondit, neque ad dicta attendit. 21. Puerum vocavit Icabod [c]) et dixit: Ablata est gloria ab Israëlitis: nempe propter captam arcam Dei et propter socerum et maritum suum. 22. Dum dicebat: Ablata est gloria ab Israëlitis, innuebat arcam Dei captam.

CAPUT V.

Philistaei propter arcam captam variis et gravibus calamitatibus afflignntur.

1. Philistaei arcam Dei ex Ebenesero abduxerunt Aschdodam; 2. eamque in fano Dagonis juxta Dagonem collocarunt. 3. Postridie Aschdodenses invenerunt Da-

c) H. e. ubi est gloria?

Dagonem humi prolapſum ante arcam Jovae. Eum igitur ſublatum repoſuerunt in loco ſuo. 4. Aſt ſequenti die viderunt eum humi jacentem ante arcam Jovae, caput ejus detruncatum et manus ejus abſciſſas ſuper limine, ea tantum parte, quae piſcem repraeſentabat, relicta. (5. Hinc fit, ut ſacerdotes Dagonis et omnino omnes, qui ſanum Dagonis Aſchdodi ingrediuntur, limen non calcent usque in hunc diem.) 6. Praeterea Jova Aſchdodenſes graviter infectatus eſt et vexavit mariſcis, neque ſolum eos, ſed etiam eorum confinia. 7. Illi, cum haec intelligerent, ſtatuerunt, arcam Dei Iſraëlitarum apud ipſos non manere poſſe, quod iram ejus tum ipſi tum Dagon, eorum Deus, nimis ſentirent. 8. Convocatis igitur omnibus Philiſtaeorum ſatrapis conſultarunt, quid faciendum eſſet arcae Dei Iſraëlitarum? Decretum eſt, ut Gatham deferretur. 9. Quod eum factum eſſet, Jova magnos motus in oppido illo excitavit, vehementer affligens oppidanos, ut omnes majores et minores ſciſſis mariſcis laborarent. 10. Tum arcam Dei Ekronem miſerunt. Ad cujus adventum oppidani vehementer conqueſti ſunt, ſibi ſuisque mortem ex eo ominantes, 11. et convocatis omnibus Philiſtaeorum ſatrapis conſilium ceperunt arcae Dei Iſraëlitarum remittendae ad locum ſuum, ne Ekronenſes et populares perderet; mortis enim terror totum oppidum pervaſerat, manu Dei omnes graviter affligente. 12. Nam qui non moriebantur, mariſcis laborabant. Hinc totius oppidi clamores ad coelum ſunt ſublati.

CA-

CAPUT VI.

Philiſtaei arcam Dei ex conſilio ſacerdotum ſuorum cum muneribus remittunt 1—13. Excipitur a Bethſemitis magna cum laetitia, ſed quod nonnulli ex iis non ſatis reverenter eam tractarunt, puniuntur. Hinc Kiriathjearim mittitur, ubi diu manſit 14—21.

1. Cum arca Jovae in terra Philiſtaeorum ſeptem menſes fuiſſet, [a]) 2. convocarunt ſacerdotes et vates, eosque interrogarunt, quid facerent arcae Jovae? qua ratione eam in locum ſuum remitterent? 3. Illi reſpon-

a) Non caret probabilitate, quod *Michaelis* exiſtimat, excidiſſe h. l. quaedam e textu, in quibus de plaga murium agris Philiſtaeorum immiſſa narratum fuerit. Errat vero in eo, quod dicit, LXX interpretes hujus rei tantum cap. 5, 6. loco alieno mentionem feciſſe. Nam etiam h. l. apud eos haec leguntur: *καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας.* Vulgatus vero tantum in altero loco habet: *Ebullierunt villae et agri in medio regionis illius et nati ſunt mures.* — Sane non valde probabile videtur, ſcriptorem hujus rei mentionem non feciſſe, quae ad divinum in Philiſtaeos judicium demonſtrandum maxime faciebat. Quanquam enim non deſunt exempla in hiſtoricis ſacris ſimilium omiſſionum, quarum deinceps obiter quaſi mentio fit, tamen hae ſunt plerumque minoris momenti circumſtantiae. Spes vero non eſt, ut verba fortaſſe omiſſa e codice Hebraeo reſtituantur. Syrus interpres cum textu recepto conſentit et *Kennicottus* in nullo codd. collatorum, quae deſunt, reperit. — Neque altera hypotheſis Ill. *Michaelis* improbabilis videatur, qua Philiſtaeos putat arcam ex oppidis, quorum incolae hactenus tantum afflicti fuerant, in campos ſub dio expoſuiſſe, (ſic enim verbum בְּשָׂדֶה explicat) et tunc mures agros vaſtaſſe. — At enim vero ſic ſcriptor hoc quoque narrare omiſit minime omittendum, quod nempe Philiſtaei arcam ex oppidis in campos extuliſſent? Atque haud ſcio, an quisquam, qui verba Hebr. legit, ea aliter intelligat, quam ab omnibus interpretibus, quos ego quidem vidi, intellecta ſunt: cum arca in terra Philiſtaeorum ſeptem menſes fuiſſet, eos conſilium cepiſſe ejus remittendae. — Sed mures occaſionem dederunt huic interpretationi, quae tamen multis fortaſſe ſe veri ſpecie commendet.

ſponderunt: ſi eam vellent remittere, ne eam vacuam remitterent, ſed ei mulctam aliquam ſolverent, tunc eos ſanitatem eſſe recuperaturos, et intellecturos, quare non deſiſteret ab eis affligendis? 4. Tum illi quaeſiverunt, quaenam haec eſſe deberet mulcta a ſe ſolvenda? Sacerdotes reſponderunt: Pro numero principum Philiſtaeorum quinque mariſcae aureae et quinque mures aurei, nam una omnium et principum quoque veſtrorum plaga fuit. 5. Facite igitur ſimulacra mariſcarum veſtrarum, ut et murium, qui terram vaſtarunt, atque hunc Deo Iſraëlitarum honorem exhibete, fortaſſe remittit ejus ira a vobis, a Deo veſtro et terra veſtra. 6. Cur obduretis animos veſtros, quemadmodum hoc fecerunt Aegyptii et Pharao? Nonne prorſus eos confecit et tandem tamen coacti ſunt, *Iſraëlitas* dimittere? 7. Igitur facite plauſtrum novum eique duas juvencas lactantes, quibus jugum nondum impoſitum fuit, alligate, relictis tamen earum vitulis. 8. Tum arcam Dei huic plauſtro imponite, et donaria illa aurea, quae ei pro expiatione offertis, in ciſta recondita ejus lateri apponite, atque hac ratione eam dimittite. 9. Tunc vero attendite, ſi in via ad fines ſuos Bethſemeſum contendit, illa nobis mala iſta magna intulit; ſin minus, novimus, non ejus potentiam nos afflixiſſe, ſed caſu nobis ea eveniſſe. — 10. Igitur fecerunt ita Philiſtaei. Sumebant duas juvencas lactantes, quas plauſtro alligabant retentis earum vitulis. 11. Huic plauſtro imponebant arcam Jovae cum ciſta murium aureorum et ſimulacrorum ſuarum mariſcarum. 12. Juvencae recta via ad Bethſemeſum contendebant, unam

viam

viam tenentes, inter eundum continuo mugientes, nec tamen vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectentes; ſequebantur eas Philiſtaeorum principes usque ad Bethſemeſi terminos. 13. Bethſemenſes, qui tunc meſſem triticeam in valle faciebant, cum arcam eminus conſpicarentur, magnopere de ea laetabantur. 14. Veniebat plauſtrum in agrum Joſuae Bethſemenſis et ſubſiſtebat. Ibi erat lapis magnus. Fiſſis plauſtri lignis juvencas in holocauſtum immolabant. 15. Nam [b]) Levitae arcam Jovae, una cum ciſta, in qua aurea illa donaria erant, depoſuerant ſuper lapide iſto magno. Etiam Bethſemenſes holocauſta et alia ſacrificia eo die obtulerunt. 16. Quinque autem Philiſtaeorum principes, poſtquam haec omnia viderant, Ekronem redierunt. 17. *Numerus* mariſcarum aurearum, quas Philiſtaei mulctae loco Jovae penderunt, fuit hic: unam pro Aſchdode, unam pro Gaza, unam pro Aſchkalone, unam pro Gatha, unam pro Ekrone. 18. Numerus murium aureorum fuit pro numero oppidorum Philiſtaeorum ſecundum quinque praefecturas, cum oppidorum munitorum, tum pagorum. Atque hujus rei monumentum eſt lapis ille magnus, [c]) ſuper quo ar-

---

b) Sic Vau explicandum eſt, non per *et* ſ. *autem*. Nam hoc prius factum eſſe quam praecedens, facile intelligitur.

c) In textu eſt: וְעַד אָבֵל הַגְּדֹלָה *et usque ad Abel magnum*. Quae verba non admittunt explicationem. Sed primo pro אבל *οἱ ὁ* et Chaldaeus legerunt אֶבֶן. Illi vertunt: *ἕως λίθου τοῦ μεγάλου, οὗ ἐπέθηκαν ἐπ' αὐτοῦ τὴν κιβωτόν*. Hic ועד אבנא רבתא et tres codd. a *Kennicotto* citati, 96., 562., 602. Deinde pro עַד legendum eſt עֵד *teſtis*, quod etiam pro *monu-*

arcam Jovae depoſuerunt, qui etiamnum exſiſtit in agro Joſuae Bethſemenſis. 19. E Bethſemenſibus autem, quoniam arcam minus reverenter [d]) inſpexerant, Jova occidit ſeptuaginta homines, quinquaginta millia hominum. [e]) Ob quam tantam cladem a Jova illatam lugebant

---

numento dicitur, v. c. Geneſ. 31, 52. Illa quidem emendatio auctoritate verſſ. antiquarum et codd. Hebr., in quibus vera ſcriptio ſervata eſt, ſatis defenditur. Haec vero, quae ad punctum vocale tantum vocabuli עד pertinet, tam plana eſt et facilis, et ſequentibus verbis tam conveniens et neceſſaria, ut mirum ſit, neminem interpretum antiquiorum ſic vocem pronunciaſſe.

d) Vel *nimis curioſe.* רָאָה ſequente ב.

e) Lectionem hujus numeri mendoſam eſſe, tum ipſa verborum ſtructura, tum diſſenſus interpretum antiquiorum, tum virorum doctorum, qui eam defendere ſtuduerunt, explicationes nimis quaeſitae ſatis probant. Quod primum attinet, numerus major deberet minorem praecedere, וַחֲמִשִּׁים אֶלֶף וְשִׁבְעִים אִישׁ, aut חמשים Vau deberet habere praefixum. Deinde Syrus et Arabs longe minorem numerum exhibent 5070, et *Joſephus* (lib. VI. c. 2.) tantum ſeptuaginta, omiſſo numero majori. *Kennicottus* tres codd. citavit ſub num. 84., 216., 418., in quibus numerus major non legitur. Longum foret et a meo inſtituto quoque alienum, recenſere vel recentiorum tantum interpretum explicationes, quibus lectionem receptam defendere allaborarunt. Infra citabo libros, in quibus hoc factum eſt. Jam vero ſi meam qualemcunque ſententiam profiteri debeam, fateor, mihi maxime probabile videri eorum ſententiam, qui numerum minorem veram lectionem putant, majorem vero numerum (50000) ex nota marginali, quaecunque ejus origo fuerit, textui eſſe illatum. Quam ſententiam praeter argumenta ſupra poſita hoc quoque mihi perſuaſit. Si illa quinquaginta millia hominum, qui perierunt, non unius oppidi Bethſemeſi fuerunt, (quod recte negant, qui, quam parum probabile ſit, vident, oppidulum Levitarum tot incolas continuiſſe,) ſed totius illius regionis, h. e. oppidorum vicinorum, qui

bant Bethſemenſes, 20. et dicebant: Quis poteſt conſiſtere coram Jova Deo adeo ſancto? Ad quem a nobis transferatur? 21. Miſerunt igitur ad incolas Kiriathjearimi nuncios, qui eis indicarent, Philiſtaeos arcam Jovae remiſiſſe, venirent, eamque ad ſe transferrent.

CAPUT VII.

Iſraëlitae auctore et ſuaſore Samuele remotis idolis unum Jovam colunt 2—6. Philiſtaei, qui Iſraëlitas aggreſſi erant, tempeſtate perterriti ab his magna clade afficiuntur 7—14. Samuel judex perpetuus conſtituitur 15—17.

1. Venerunt igitur Kiriathjearimenſes atque translatam a ſe arcam Jovae depoſuerunt in aedibus Abinadabi in colle. Eleaſarem autem, ejus filium, conſecrarunt ad eam cuſtodiendam. [a]) — 2. Poſtquam arca ſa-

---

qui tempore meſſis in campis confluxerant: qui factum eſt, ut Kiriathjearimenſes, Bethſemenſibus vicini, rerum iſtarum omnium eſſent ignari? Nihil eis innotuerat de arca a Philiſtaeis remiſſa; atque hujus rei certiores facti non recuſant, arcam excipere, cf. v. 21. et cap. ſeq. 1. — Vid. remarques critiques ſur 1 Sam. VI, 19. par B. *Kennicott*, à Londres 1768. Cujus libelli argumentum indicatur in *Erneſti* biblioth. theol. nova p. IX. p. 587. *Haſſencampii* contra illas Kennicotti obſervationes criticas libellus una cum nova loci vexati explicatione, et *Bohnii* disquiſitio in Bocharti et Kennicotti ſententiam, recenſentur in *Erneſti* biblioth. theol. noviſſima p. I. p. 278. *Hufnagelii* diſſert. ſuper loco 1 Sam. VI, 19., Erlangae 1778., in qua inprimis Rabbinorum explicatio h. l. ab Italo illo doctiſſimo *de Roſſi* recocta impugnatur, a *Michaele* recenſetur in bibliotheca orient. p. XIV. p. 1. et hujus ipſius ſententia in notis ad verſionem bibliorum Germ. et in appendice ad p. XII. bibliothecae orientalis.

a) Male hic verſus novum caput incipit. Debebat finire caput praecedens.

ſatis diu, viginti nimirum annos, Kiriathjearimi ſuerat, omnes Iſraëlitae in loco Jovae ſacro convenerunt. 3. Hic Samuel eos cohortatus eſt, ut, ſi ex animo vellent ad Jovam redire, omnes peregrinos Deos, inprimis Aſtaroth, a ſe removerent, atque ad unum Jovam colendum mentes ſuas converterent, tunc quoque futurum eſſe, ut eos a Philiſtaeis defenderet. 4. Igitur Iſraëlitae remotis Baalibus et Aſtaroth unum Jovam coluerunt. 5. Tunc Samuel eis ſolennem conventum Mizpae habendum indixit, ubi vellet pro eis apud Jovam intercedere. 6. Poſtquam ibi convenerant et aquam hauſtam coram Jova effuderant, jejunarunt eo die, et ſe in Jovam peccaſſe confeſſi ſunt. Simul Samuel judicis munus ibi capeſſivit. 7. Cum Philiſtaei audirent, Iſraëlitas Mizpae conveniſſe, eorum principes bellum intulerunt Iſraëlitis, qui hac de re certiores facti vehementer ſibi ab illis timuerunt, 8. atque Samuelem rogarunt, ne deſiſteret, Jovam, Deum ſuum, invocare, ut ſe a Philiſtaeis defenderet. 9. Tunc Samuel agnum lactentem Jovae in holocauſtum obtulit, atque apud eum precibus pro Iſraëlitis interceſſit, quas etiam Jova ratas habuit. 10. Nam cum adhuc ſacrificaret, Philiſtaei proceſſerant ad proelium Iſraëlitis committendum. Sed Jova ingenti tonitruum tempeſtate eos perterruit, ut ab Iſraëlitis profligarentur. 11. Tunc illi, qui Mizpae erant, etiam Philiſtaeos perſecuti ſunt et conciderunt usque ad Bethcarem. 12. Quibus confectis Samuel lapidem collocavit inter Mizpam et rupem prominentem, quem Ebeneſerum (*lapidem auxilii*) voca-

cavit; huc usque enim, inquiebat, Jova nobis est auxiliatus. 13. Tunc Philistaei ita sunt debilitati, ut non amplius auderent Israëlitarum terminos invadere, atque etiam, quamdiu Samuel vixit, Jova eos coërcuit. 14. Oppida quoque a Philistaeis Israëlitis erepta recuperata sunt ab Ekrone usque ad Gatham, quibus Israëlitae ut et eorum confiniis potiti sunt, pace inter eos et Amoritas intercedente. 15. Judicis munere functus est Samuel, quamdiu vixit. 16. Quotannis iter fecit Bethelem, Gilgalem et Mizpam, ibique jus dixit Israëlitis. 17. Quo facto rediit Ramam, ubi habitabat et de jure respondebat. Ibi quoque aram Jovae exstruxit.

CAPUT VIII.

Filii Samuelis a patre judices populi substituti munere suo non recte funguntur 1., 2., 3.; propterea Israëlitae regem ab eo postulant. Samuel hoc valde improbat, et, quae sint eis incommoda inde metuenda, demonstrat 4—18. Sed persistunt in sententia sua 19—22.

1. Cum Samuel consenuisset, filios suos judices dedit Israëlitis. 2. Primogeniti nomen fuit Joel, alterius Abija. Jus dixerunt Bersabae. 3. Enimvero patris sui mores non imitabantur, sed lucro inhiabant et muneribus corrupti jus pervertebant. 4. Propterea Israëlitarum principes congregati Samuelem Ramae adierunt, 5. eique demonstrarunt: quoniam ipse jam senex esset, et filii ejus ei valde dissimiles, velle se, ut regem sibi praeficeret, qui se omnium gentium more gubernaret. 6. Samueli vero hoc eorum desiderium valde displicuit. Sed cum propterea Jovam precaretur,

tur, 7. hic ei respondit: Obtempera Israëlitis in omnibus, quae a te postularunt. Non tam te, quam me repudiarunt, quo minus eorum rex essem. 8. Idem prorsus tibi faciunt, quod fecerunt inde ab eo tempore, quo eos ex Aegypto eduxi, usque in hunc diem, ut me relicto alios Deos colant. 9. Igitur obtempera eis, verum antea demonstra et expone eis mores [a]) regis in eos regnaturi. 10. Tum Samuel, quae Jova responderat, retulit ad *legatos* populi regem ab eo postulantis. 11. Hi erunt mores, inquiebat, regis in vos regnaturi: filios vestros ut aurigas aut equites adhibebit, aut ut praecursores currus sui. 12. Alios chiliarchos et pentecontarchos constituet, aliis utetur ut aratoribus, messoribus et instrumenti bellici aut curruum suorum fabricatoribus. 13. Filias vestras tanquam unguentarias, coquas et pistrices usurpabit. 14. Agrorum vestrorum, vinearum et olivetorum optima distribuet ministris suis. 15. Fructuum et vinearum vestrarum decimas exiget atque aulicis suis dabit. 16. Servos vestros, ancillas, juvenes lectissimos, itemque asinos ad sua negotia curanda adhibebit. 17. Oves vestras decimabit, omnino vos servi ejus eritis. 18. Tunc conqueremini propter illum regem vestrum, quem vobis

a) Vocabulum Hebr. מִשְׁפָּט, quod h. l. legitur, non potest *jus* significare, quod regi propter dignitatem ei collatam competat. Nam nonnulla eorum, quae in v. 11. et sqq. commemorantur, ita sunt comparata, ut ab iis rex probus et aequus lubenter abstineat. Igitur משפט h. l. *mores* et *consuetudinem* notat, quam utique reges orientales plerique eorum temporum sequebantur. Sic alias quoque dicitur, v. c. 1 Sam. 27, 11. 2 Reg. 11, 14. Genes. 40, 13. Jud. 13, 12.

bis elegiſtis, Jova vero vos non exaudiet. — 19. Nolebant autem populi *legati* conſilium Samuelis admittere, ſed inſiſtebant ſententiae ſuae, ut regem ſibi praeficeret. 20. Sic enim ſimiles erimus, inquiebant, aliis gentibus, jus nobis dicet rex noſter, et ducem ſeſe praebebit in bellis noſtris gerendis. 21. Cum hanc populi ſententiam Samuel Jovae renunciaſſet, 22. hic juſſit eum facere, quod populus vellet, et regem eis dare. Sic Samuel Iſraëlitarum delegatos ad ſua oppida dimiſit.

CAPUT IX.

Saulus patris ſui amiſſas aſinas quaerens venit ad Samuelem 1—14., a quo benigne excipitur, in convivium arceſſitur 15—24., et discedens ad privatum colloquium retinetur 25—27.

1. Fuit vir quidam ex Benjaminitis, nomine Cis, filius Abielis, nepos Seroris, pronepos Bechorathi, abnepos Aphichae, Benjaminita, homo fortis. 2. Is habebat filium, nomine Saulum, juvenem admodum formoſum, cui nullus ex Iſraëlitis poterat praeferri, humeris excedebat omnes ex populo. 3. Huic pater Cis mandaverat, ut aſſumto ſervo iret ad quaerendas aſinas, quae tum perditae erant. 4. Igitur Saulus peragrabat regionem montanam Ephraimiticam, pergebat deinde ad regionem Saliſam. Cum ibi *aſinas* non inveniret, progrediebatur ad regionem Saalim, ſed fruſtra, hinc in terram Benjaminiticam, nec ibi eas inveniebat. 5. Cum in regionem Suph veniſſent, Saulus ſervo eum comitanti dixit: Revertamur, ne pater miſſa cura aſinorum de nobis ſit ſollicitus. 6. Reſpondit ſer-

vus: En! propheta eſt in hoc oppido, vir magnae auctoritatis, futura, quae praedicit, eveniunt; nunc, age, adeamus, fortaſſe nobis indicat viam, qua eundum nobis ſit. 7. Reſpondit Saulus ſervo: Quodſi imus, quid viro offeremus? Nam panis ex pera noſtra conſumtus eſt, nec aliud munus, quod prophetae offerre poſſemus, habemus. Nonne? 8. Mecum habeo, pergebat ſervus, quartam ſicli argentei partem, hanc dabo prophetae, ut nobis viam monſtret. (9. Olim ſi Iſraëlitae Deum volebant conſulere, dicere ſolebant: Eamus ad *videntem*, nam qui jam *propheta*, is olim *videns* vocabatur.) 10. Tum Saulus ſervo: Bene eſt, inquit, eamus. Igitur perrexerunt ad oppidum, in quo vates erat. 11. Ad quod cum aſcenderent, offenderunt puellas, quae aquatum exierant. Has interrogant, num videns adſit? 12. Reſpondent: Adeſt, vobis obviam venturus, modo properetis, nam hodie ad oppidum venit, quoniam populus epulas ſacrificiales in ſacello peragit. 13. Simulac ad oppidum perveneritis, eum offendetis, antequam ad ſacellum aſcendit ad convivium. Nam non ſolent convivari invitati ante adventum ejus, quoniam antea preces facit. Igitur modo aſcendite, nam hodie eum invenietis. 14. Quod cum feciſſent oppidumque eſſent ingreſſi, obviam eis venit Samuel aſcenſurus ad ſacellum. 15. Jova autem praemonuerat Samuelem pridie antequam Saulus veniret: 16. ſe miſſurum eſſe ad eum cras virum Benjaminiticum, hunc ungeret principem populi Iſraëlitici, eum defenſurum eſſe populum ſibi ſacrum a Philiſtaeis, cujus jam rationem habere vellet, quod ejus clamores ad ſe perver-

veniſſent. 17. Cum igitur Samuel Saulum videret, Jova eum monuit, hunc eſſe virum, quem populi ſui imperatorem futurum eſſe praedixiſſet. 18. Saulus ad Samuelem in ipſa porta accedens ei dixit: Indica, quaeſo, mihi, ubinam ſit domus videntis? 19. Reſpondit Samuel: Ego ſum videns, aſcende ante me ad ſacellum. Vos enim hodie mecum epulabimini, cras te demittam tibique omnia indicabo, quae ſcire cupis. 20. Quod ad aſinas attinet ante hos tres dies deperditas, noli eſſe ſollicitus; ſunt repertae. Et omnino cujus erit ſumma fortuna in Iſraële? Nonne tibi et domui paternae? 21. Reſpondit Saulus: Ego ſum Benjaminita ex minima tribuum Iſraëliticarum ortus, atque etiam gentilitas mea omnium tribus [a]) Benjaminiticae minima, quomodo igitur haec mihi dicis? 22. At Samuel Saulum et ſervum ejus introduxit in conclave, et primum eis locum inter invitatos, quorum fere triginta fuerunt, aſſignavit. 23. Tum Samuel juſſit coquum afferre portionem, quam ei ſervandam tradidiſſet. 24. Coquus igitur femur cum jure [b]) attulit et Saulo appoſuit. Samuel [c]) autem dixit: En reliquias! cape tibi et ede, nam ad hoc ipſum tempus tibi ſervatae ſunt, cum dicerem, me quosdam invitaſſe. Poſtquam Saulus cum Samuele convivatus erat, 25. deſcenderunt e ſacello

a) Pro שִׁבְטֵי בִנְיָמִן haud dubie eſt legendum שֵׁבֶט. Sic quoque omnes verſiones antiquae.

b) Hebr. הַשּׁוֹק וְהָעֶלְיָה. Vulgo: *femur et quod ſuper illo*, ſc. *armus*. Non recte, uti arbitror, ſed *jus*, quocum caro edebatur. Vid. *Faber* ad Harmarum, p. I. p. 312.

c) Nomen Samuelis h. l. ſupplendum videtur. Hoſpitis haec verba ſunt, non coqui, ut multi volunt.

in oppidum, et hic cum eo in tecto est collocutus. 26. Postridie mane sub aurorae ortum Samuel Saulum in tecto *dormientem* excitavit, Surge, inquiens, te dimittam. Hic cum surrexisset, ambo egressi sunt ex oppido. 27. Ad cujus extremum cum pervenissent, postulavit Samuel a Saulo, ut juberet servum praecedere, ipse vero paulisper subsisteret, velle se ei mandata divina exponere.

CAPUT X.

Samuel primo privatim Saulum regem ungit, eique novi muneris varia omina praedicit 1 — 12., mox in conventu omnium tribuum solenni rex sorte eligitur, aliis approbantibus, aliis contemnentibus 17 — 27.

1. Hic Samuel prolata olei ampulla perfudit caput Sauli, eumque osculatus, En, inquit, Jova te principem populi tui ungit. 2. Jam cum a me discesseris, offendes duos homines ad sepulcrum Rachelis in confiniis Benjaminiticis Selsachae. Hi dibi dicent: repertas esse asinas, ad quas quaerendas profectus es, patremque tuum omissa cura asinorum de te esse sollicitum et incertum, unde te requirat. 3. Hinc progressus ulterius venies ad terebinthum Tabor, ubi tres homines tibi occurrent, qui sacrorum causa Bethelem proficiscuntur. Quorum unus tres hoedos, alter tres panes et tertius utrem vini portat. 4. Hi te salutabunt et duos panes offerent, quos etiam ab eis accipies. 5. Posthaec venies ad collem Dei, ubi sunt Philistaeorum praesidia. Oppidum ingressus occurres choro prophetarum, qui de sacello descendentes praeeunte nablio, tympano,

ti-

tibia et cithara carmina ſacra canunt. [a]) 6. Hic furore divino correptus et ipſe una cum illis carmina dices, in alium prorſus mutatus. 7. Quae ſigna quando tibi evenerint, [b]) fac, quod lubet, Deus tibi adeſt. 8. Abibis autem ante me Gilgalem, quo ego quoque ad te venturus ſum ad holocauſta et ſacrificia eucharistica ibi facienda. Septem dies me ibi exſpectato, tunc tibi ulterius dicam, quae facere debeas. — 9. Vix tergum obverterat a Samuele discedens, Deus mentem ejus prorſus immutavit. Signa vero iſta eo die omnia evene-

---

a) Hebr. מִתְנַבְּאִים. Verbum נבא, ſi de inſtitutis prophetarum uſurpatur, equidem minime de praedictione rerum divinarum intelligo, neque ideo per *vaticinari* explicandum putem. Sed fuit hoc unum ex praecipuis harum ſocietatum, quae in libris Samuelis et Regum ſcholae prophetarum vocantur, officium, ut hymnos religioſos adhibitis inſtrumentis muſicis canerent, (vid. S. R. *Niemeyer* characteriſt. bibl. p. V. p. 254.) quod verbo נבא indicatur. Chaldaeus explicavit per מְשַׁבְּחִין et 1 Chron. 25, 1. de Aſapho ejusque ſociis adhibetur. — Miror igitur, *Michaelem* vertere: und beim Schall dieſer muſikaliſchen Inſtrumente (haec in textu non leguntur) eine Weiſſagung abſingen.

b) In textu legitur תבאינה, quod nota marginalis ſine Jod legendum eſſe obſervat. Sic ex regulis grammaticis. Sed Ill. *Michaelis* (in appendice ad p. XII. bibl. or. p. 191.) lectionem textualem defendit, quae explicanda ſit ex Arab. באה, quod ſignificat *ſuperbivit*, *glorioſum ſe praebuit*. (*Golius* p. 213.) Hinc legit תַּבְאֵינָה, et vertit: dieſe Zeichen ſollen dir Muth machen. — Fortaſſe Jod illud eſt mater lectionis. Eadem ſcriptio exſtat quoque Pſ. 45, 16. et Eſth. 4, 4., quibus locis illa Arabica ſignificatio ſubjici non poteſt. Verſiones antiquae omnes explicant per *evenire*, et *Kennicottus* 36 codd. citavit, in quibus Jod illud deeſt. Textualis lectio pronuncianda eſt תַּבְאֵינָה, altera ſine י תַּבְאֹנָה.

nerunt. 10. Cum ad collem istum venisset, [c]) occurrit ei chorus prophetarum. Hic furore divino correptus inter eos sacra carmina canit. 11. Quod cum viderent, qui eum antea noverant, alter alteri dicit: Quid filio Cisi accidit? Num Saulus quoque est inter prophetas? 12. Et alius ibi obvius interrogat: Quemnam magistrum [d]) habuit? Hinc est illud proverbium: Num Saulus quoque inter prophetas? 13. Postquam furor ille propheticus resederat, venit ad sacellum. 14. Hic patruus ejus ex eo et servo quaerit: ubi fuerint? Respondit Saulus: Asinas quaesivimus, et cum eas nullibi reperiremus, Samuelem adiimus. 15. Quid, quaeso, dicebat vobis Samuel? inquit patruus Sauli. 16. Hic ei respondit: Indicavit nobis, asinas esse repertas. Sed de regno *Saulus* nihil patruo suo dixit, uti Samuel ei praeceperat. — 17. Deinde convocavit Samuel populum ad sacra Jovae faciunda Mizpam, 18. atque hunc ad Israëlitas sermonem habuit: Haec dicit Jova, Israëlitarum Deus: Ego vos ex Aegypto eductos cum ab Aegyptiorum tyrannide, tum ab omnibus gentibus vos opprimentibus liberavi. 19. Vos vero jam repudiastis Deum vestrum, qui in tot malis et calamitatibus vos ser-

---

c) Pro וַיָּבֹא legendum videtur וַיָּבֹא, quia singularis praecedit. Sic quoque omnes vers. antiquae et codex 70. et 150. *Kennicotti.* Potest tamen lectio recepta sic explicari, ut Saulus cum servo, quem secum habebat, venisse dicatur.

d) Pro אֲבִיהֶם *oi ó*, Syrus, Arabs legerunt אָבִיו, quae lectio praeferenda videtur, quia de Saulo tantum sermo est, quanquam numerus pluralis de toto prophetarum coetu possit explicari, sed minus apte. Caeterum אָב *pater* h. l. dicitur pro *doctore et magistro*, uti alias, v. c. Jud. 17, 10. 2 Reg. 2, 12. Sic quoque Chaldaeus explicavit אַבָּא רַבּוּתָא.

ſervavit, atque ab eo regem flagitaſtis. Igitur ſecedite jam in tribus et familias distribute. 20. Tunc accedere juſſit Samuel ſingulas tribus, et ſorte ſignata eſt tribus Benjamin. 21. Poſtea evocatae ſunt ſingulae hujus tribus familiae, atque ſors deſignavit familiam Matri atque in hac Saulum, filium Ciſi, quem cum quaererent, non invenerunt. 22. Igitur Jovam denuo conſuluerunt: num homo e) huc veniſſet? Cum Jova reſponderet, eum inter impedimenta latere, 23. eo currunt atque inde Saulum arceſſunt, qui ſtans in media concione omnes humeris ſupereminebat. 24. En! inquiebat Samuel univerſo coetui, videte quem Jova elegit. Non eſt ei ſimilis in toto populo. Tunc omnes exclamarunt: Vivat rex! 25. Quo facto Samuel populo jura regis expoſuit, atque litteris conſignata in loco ſacro depoſuit, tandemque univerſam concionem dimiſit. 26. Saulus quoque domum ſuam Gibeam diſceſſit comitantibus eum viris bonis, f) quorum animos Deus excitaverat. 27. Verum alii quidam, homines malevoli, dixerunt: Quomodo hic nos defendet? eumque contemſerunt, nec munera obtulerunt. Sed Saulus ſe haec reſciviſſe diſſimulavit.

CA-

e) Hebr. אִישׁ, h. e. Saulus, quod ex reſponſo Dei apparet.

f) *Οἱ ὁ* legerunt בְּנֵי חַיִל, verterunt enim *υἱοὶ δυνάμεων*.

CAPUT XI.

Saulus Jabenſes Gileaditas ab Ammonitarum rege eos obſidente liberat 1—11., et propter illam victoriam ab univerſo populo in regno confirmatur 12—15.

1. Poſtea [a]) Nachas, Ammonitarum rex, oppugnavit Jabeſum in Gileaditica regione. Oppidani egerunt cum eo de deditione, ſeque ſervos ejus futuros eſſe promiſerunt. 2. At Nachas hac tantum conditione eos in deditionem dixit accepturum eſſe, ſi omnibus oculum dextrum effodiſſet, atque ſic omnes Iſraëlitas affeciſſet opprobrio. 3. Principes Jabenſium eum rogarunt, ut ſibi ſeptem dies concederet, quibus legatos mitterent ad univerſos Iſraëlitas, ſi non auxilium mitteretur, ſeſe ei eſſe dedituros. 4. Venerunt legati Gibeam, ubi Saulus habitabat, atque negotium ſuum univerſo coetui expoſuerunt. Qua de re omnes ſublata voce plorant. 5. Saulus tum forte rure veniens bovesque agens; quid populo factum ſit, quaeſivit, quod fleret? Narrarunt ei, quo in ſtatu eſſent Jabenſes. 6. Hoc nuncio audito fervore divino impulſus, gravique ira commotus, 7. cepit par boum eosque disſectos miſit per nuncios in omnes Iſraëlitarum fines cum hoc edicto, ut, qui non Saulum et Samuelem ſecutus eſſet, ejus bubus idem fieret. Tunc tantus terror invaſit univerſum populum, ut omnes venirent. 8. Cum eos Beſeki recenſeret, Iſraëlitarum fuerunt trecenta millia, Judaeorum triginta millia. 9. Tum legatis, qui venerant, mandatum eſt, ut renun-

a) *Oi ὁ* habent: *καὶ ἐγενήθη ὡς μετὰ μῆνα*, et Vulgatus: *et factum eſt quaſi poſt menſem.*

nunciarent Jabenſibus Gileaditis, cras eis auxilium eſſe affuturum, cum ſol incaluiſſet. Quod cum legati ad Jabenſes retuliſſent, hi gaviſi ſunt 10. atque *Ammonitis* reſponderunt: cras ſe deditionem eſſe facturos, poſſe eos cum ipſis pro arbitrio agere. 11. Poſtridie autem Saulus tripartito exercitu caſtra hoſtilia vigilia matutina invaſit, atque Ammonitas usque ad meridiem concidit, reliqui ita diſperſi ſunt, ut non duo una ſupereſſent. 12. Tunc populus a Samuele poſtulavit, ut iſti, qui Saulum regem repudiaſſent, ad ſupplicium traderentur. 13. Sed negavit Saulus, eo die ſupplicium ab ullo ſumi debere, quo Jova tantam ſalutem Iſraëlitis praeſtitiſſet. 14. Samuel autem populum hortatus eſt, ut Gilgale convenirent, ibique regis electionem renovarent. 15. Fecerunt hoc omnes, atque Gilgale Saulum regem crearunt ritibus ſacris adhibitis. Sacrificia nempe euchariſtica Jovae ibi obtulerunt, et Saulus et omnes Iſraëlitae vehementer ſunt laetati.

CAPUT XII.

In illo ſolenni populi conventu Samuel judicis munere ſe abdicat, commemorat innocentiam ſuam 1—5., populi ingratitudinem erga ſumma Dei beneficia reprehendit 6—14., et ad conſtantiam in cultu Jovae adhortatur 15—25.

1. Tunc Samuel ad Iſraëlitas hunc ſermonem habuit: Obtemperavi vobis in omnibus, quae a me poſtulaſtis. Dedi vobis regem. 2. Hic adeſt rex ille, qui vobis praeſit. Equidem ſenex ſum et canus, at filii mei inter vos verſantur. Cum vero inde a puerí-

ritia mea usque in hunc diem vobis praefuerim, 3. respondete jam mihi coram Jova et coram uncto ejus, cujus bovem, aut asinum surripuerim? quem oppressserim? aut cui vim fecerim? a quo munus acceperim, ut ei conniverem? id vobis restituam. 4. Responderunt: Minime nos oppressisti, aut affecisti injuria, nec ab ullo aliquid accepisti. 5. Igitur Jova testis est, inquit Samuel, et unctus ejus testis est, vos nihil omnino, *quod culpandum sit*, in me deprehendisse. — Responderunt: [a]) Testes sumus. 6. Tunc Samuel hunc in modum pergebat ad populum: *Testis* [b]) est Jova, qui Mosen et Aaronem constituit, et majores vestros ex Aegypto eduxit. 7. Adeste igitur, disceptabo vobiscum, praesente Jova, de summis ejus beneficiis, quae in vos et majores vestros contulit. 8. Postquam Jacobus in Aegyptum migraverat et majores vestri ad Jovam clamaverant, misit Mosen et Aaronem, qui eos ex Aegypto eduxerunt et hanc terram eis habitandam dederunt. 9. Sed mox Jovae, Dei sui, sunt obliti, qui eos propterea tradidit Siserae, duci exercitus regis Chazorensis, Philistaeis et Moabitis, qui eos bellis infestarunt. 10. Tunc clamarunt ad Jovam, culpamque suam sunt con-

a) In textu est: וַיֹּאמֶר עֵד. Masora observat, recte ita legi, quanquam videri posset, legendum esse וַיֹּאמְרוּ. Sed pluralem legerunt omnes versiones antiquae, *οἱ ὁ*, Vulg., Chald., Syrus, Arabs et 12 codd. *Kennicotti*. Igitur hanc lectionem per regulas criticas praeferendam judicavi.

b) Hoc suppleo ex versione Graeca, quae habet *μάρτυς κύριος*. Excidisse videtur עֵד, alias sententia imperfecta est. Sic vero repetit Samuel hanc vocem, ut transitum faciat ad sequentia. — Sed nihil desinio. Syrus et Arabs vertunt: *Deus solus est Dominus*; quasi אֶחָד legerint.

ıfeſſi, quod eo relicto Baales et Aſtarothum coluiſt, jam vero rogare ſe, ut ſe ab hoſtibus ſuis dederet, velle ſe in poſterum eum colere. 11. Miſit ıur Jova Jerubbaalem, Barakum, [c]) Jephtam et Simıem, vosque ab omnibus hoſtibus veſtris vindicatos, nquillos et ſecuros reddidit. 12. Cum vero videre-, Nachaſum, Ammonitarum regem, bellum in vos ıare, [d]) regem a me flagitaſtis, cum tamen Jova, ıus veſter, rex quoque veſter eſſet. 13. Habetis igihic regem, quem elegiſtis, quem praeoptaſtis. Devobis Jova regem. 14. Si Jovam reveremini, eum- colitis; ſi ei obtemperatis, neque contra eum relatis: felices eritis [e]) tum vos, tum rex veſter, qui vos regnat poſt Jovam, Deum veſtrum. 15. Quodſi ıae dicto non audientes eſtis, ſed contra eum rebel-

la-

c) In textu Hebr. legitur וְאֶת־בְּדָן, ſed in hiſtoria judicum nullus hujus nominis invenitur. Multi dicunt, intelligi Simſonem, qui *Bedan* vocetur pro *Bendan*, quoniam e tribu Dan ortus erat. Sic Chaldaeus interpres: *miſit Gideonem et Simſonem.* Sed *οἱ ὁ* et Syrus nominant *Barakum*, et hic addit etiam Deboram et loco Samuelis nominat Simſonem. Quae nomina, quoniam cum hiſtoria melius conſentiunt, in verſione expreſſi.

d) Hanc cauſam, cur Iſraëlitae regem poſtularant, auctor ſupra cap. 8, 5. commemorare omiſit.

e) Sic verto ex lectione Chaldaei interpretis, qui pro וְהֵיתֶם *et eritis*, legit וחיתם *et vivetis*, h. e. felices eritis. Mirum tamen eſt, *τοὺς ὁ*, Vulg., Syrum et Arabem lectionem receptam exprimere: *eritis poſt Jovam*, phraſi alias nullibi obvia, pro *Jovae deditum eſſe*, quod alias eſt: *ire poſt Jovam.* Neque ſenſus contextui aptus eſt, nam *praemium obedientiae* promittitur, uti in ſequenti verſu *poenu inobedientiae*, quae futura ſit, oſtenditur. — In ultimis verbis ſecundum hanc lectionem tunc gravis eſt reprehenſio, quod populus, Jova, rege ſuo, repudiato, jam alium regem haberet.

latis: manus Jovae erit in vos, quemadmodum fuit in majores vestros. f) 16. Accedite jam, et videte rem miram, quam Jova faciet vobis videntibus. 17. Messis tritici jam est. Sed invocabo Jovam, et tonabit et depluet, ex quo poteritis intelligere, quantopere Jovae displiceat, quod regem postulastis. 18. Tunc preces fecit Samuel ad Jovam, et hic tonitrua et pluviam dedit. Qua de re universus populus magno Jovae et Samuelis timore est perculsus, 19. et dixit: Intercede, quaesumus, pro nobis apud Jovam, Deum tuum, ne moriamur: nam utique auximus peccata nostra eo, quod regem nobis expetiimus. 20. Ad haec Samuel populo respondit: Nolite timere, vos quidem grave malum admisistis, verum ne recedatis a Jova, sed eum sincere colatis. 21. Nolite deflectere g) ad idola vana, quae nihil prosunt, neque defendere possunt, quoniam vana sunt. 22. Non destituet Jova populum suum propter sui

---

f) Verba textus sunt: בָּכֶם וּבַאֲבֹתֵיכֶם. Verum LXX interpretes legerunt וּבְמַלְכְּכֶם, vertunt enim ἐφ' ὑμᾶς καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν. Quae lectio placuit *Hubigantio* et *Michaeli*. Sed Chaldaeus et Syrus vertunt: *sicuti fuit in patres vestros*, quo receptam lectionem omni ex parte videntur expressisse. Nam literam Vau saepe habere vim comparandi, ex multis exemplis constat. (Vid. *Glassius* p. 603.) Igitur nulla mutatione h. l. opus videtur, nisi malis ex illa τῶν ὁ et recepta lectione novam componere, quod fecit *Hubigantius*: *erit manus Jovae in vos et regem vestrum, quemadmodum fuit in vos et patres vestros.*

g) Prius כִּי non commodam admittit explicationem. Nullus interpretum antiquiorum illud expressit. Igitur quoque illud omisi. *Michaelis* repetit תָּסוּרוּ: *Denn wohin würdet ihr euch anders wenden, als zu Unding* etc. Addit in versionem verba, quae in textu non sunt.

ſui ipſius honorem et gloriam, cum ei placuerit, vos populum ſibi ſacrum conſtituere. 23. Abſit quoque a me, ut ita in Jovam peccem, ut deſiſtam, pro vobis intercedere, aut monſtrare vobis viam bonam et rectam. 24. Modo vos quoque timete Jovam, eumque vere atque ex animo colite, nam vidiſtis, quanta inter vos fecerit. 25. Quodſi male feceritis, tum vos, tum rex veſter peribitis.

CAPUT XIII.

Saulus in bello contra Philiſtaeos ab initio feliciter geſto deſtituitur ab exercitu 1—7. Samuelis adventum promiſſum non exſpectat, et contra mandatum ipſe ſacrificat. Quam ejus temeritatem Samuel reprehendit, regnumque ejus non perpetuum futurum eſſe praedicit 8—14. Saulus cum reliquiis exercitus Gibeae caſtra ponit. Iſraëlitae arte Philiſtaeorum fere inermes 15—23.

1. Annos natus erat Saulus unum et [a]) — — cum regnum capeſſeret. Poſtquam duos annos regnarat in Iſraëlitas, 2. ex eis delegit tria millia, quorum duo millia cum ipſo erant Michmaſe et in montibus Bethelis.

a) Quoniam priora verba hujus verſus בֶּן־שָׁנָה שָׁאוּל בְּמָלְכוֹ non commodam admittunt explicationem, jam *Caſtellio* ſuſpicatus eſt, excidiſſe numerum, quot annos natus Saulus regnum inierit. Hunc reſtituere temerarium foret. Sed conjecturam dicere quid vetat? Ill. *Michaelis*, poſtquam difficultates in hoc verſu obvias diligenter explicavit, (in notis ad verſ. Germ.) tandem conjectat, excidiſſe numerum שמנה עשרה *duodeviginti annorum*, et ante ושתי addendum eſſe ועשרים *viginti et duos annos* regnarat Saulus, cum eligeret etc. Equidem minime mihi ſumo, nodum adeo intricatum explicare. In numero poſteriori ab Ill. *Michaele* inſerto id modo dubium mihi videtur, non probabile eſſe, Saulum, regem adeo bellicoſum, tam ſero de milite perpetuo alendo cogitaſſe.

elis. Mille vero ſub ductu Jonathanis Gibeae Benjaminitarum. Reliquos domum dimiſit. 3. Jonathan profligaverat ſtationes Philiſtaeorum, qui collem tenebant. Philiſtaei hoc audierunt. Tum Saulus tuba clangi juſſit per omnem terram, eo conſilio, ut et transfluviales [b]) hujus rei certiores fierent. 4. Iſraëlitae cum audiiſſent, caeſa eſſe a Saulo Philiſtaeorum praeſidia, ſibique hos admodum infenſos factos eſſe, omnes apud Saulum Gilgale convenerunt. 5. Philiſtaei vero ad bellum hoc cum Iſraëlitis gerendum coëgerant tria millia [c]) curruum, ſex millia equitum, peditum autem tantam multitudinem, quae arenae in littore maris aequaret; caſtraque poſuerunt Michmaſe e regione Bethaven. 6. Iſraëlitae viderunt, ſe ab exercitu *hoſtili* appropinquante [d]) urgeri; igitur ſeſe abdiderunt in ſpeluncis, in locis circumſeptis, in petris, turribus et ciſternis, 7. et transfluviales Jordanum transierunt regionem Gadenſem et Gileaditicam, *repetentes*. Saulus quidem manſit adhuc Gilgale, omnibus, qui cum

---

b) הָעִבְרִים videtur hoc loco non eſſe nomen gentilitium, ſed appellativum, eos notans, qui trans Jordanum erant, qui quoque ad Saulum convenire debebant. Venerunt quoque, ſed ſecundum verſ. 7. prae timore mox revertebantur.

c) In textu ſunt *triginta millia* curruum, quam incredibilem curruum multitudinem recte, uti arbitror, *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. II. cap. IX. in dubium vocavit, atque Syri et Arabis lectionem, qui 3000 habent, defendit; et tamen οἱ ὁ, Vulg. et Chald. receptam lectionem exprimunt. *Kennicottus* citavit cod. 584., in quo שְׁלֹשִׁים omittitur. Sic ſupereſſent tantum *mille currus*, qui numerus utroque illo probabilior.

d) Pro כָּבַשׁ *coëgit* lege כָּבַשׁ *acceſſit*. Sic οἱ ὁ. Sed Syrus et Arabs omittunt haec verba ſane difficilia.

cum eo erant, trepidantibus. 8. Cum ſeptem dies exſpectaſſet, quod tempus ei erat a Samuele definitum, neque hic veniret, populus autem ab eo dilaberetur, 9. juſſit holocauſta et ſacrificia eucharistica adduci, quae immolavit. 10. Quibus peractis venit Samuel. Saulus ei obviam proceſſit ſalutandi cauſa. 11. Tum ille, Quid feciſti? inquit. Reſpondit Saulus: Cum viderem, populum a me dilabi, te vero ad diem dictum non adeſſe, et Philiſtaeos Michmaſe conveniſſe, 12. verebar, eos me Gilgale eſſe aggreſſuros, antequam Jovae auxilium imploraſſem, propterea auſus ſum ſacrificium offerre. 13. Temere feciſti, inquit Samuel. Non obtemperaſti dictis Jovae, Dei tui. Jam vero regnum tuum in Iſraëlitas, quod Jova tibi in perpetuum confirmaſſet, 14. non perſiſtet. Quaeſivit ſibi Jova virum ex animi ſui ſententia, quem principem populi ſui conſtituet, quoniam tu voluntati ejus non es obſecutus. 15. Cum haec Samuel dixiſſet, Gilgale Gibeam Benjaminitarum disceſſit. Saulus autem recenſuit milites, qui reſtabant, quorum circiter ſexcenti fuerunt. 16. Cum his et Jonathane, filio ſuo, Gibeae Benjaminitarum conſedit. Philiſtaei autem caſtra habebant Michmaſe, 17. e quibus tria depopulatorum agmina emiſerunt. Quorum unum ſe vertebat verſus Ophram in tractu Sual, 18. alterum verſus Bethchoronem, et tertium ad eam regionem, quae ſpectat vallem Seboim ad ſolitudinem. — 19. Tunc in tota terra Iſraëlitica faber ferrarius non exſtitit. Quod a Philiſtaeis propterea edictum eſt, ne Hebraei ſibi gladios aut haſtas facerent. 20. Propterea Iſraëlitis

ſem-

ſemper ad Philiſtaeos fuit discedendum, ſi quis vomerem ſuum, aut ligonem, aut ſecurim, aut rutrum acuere volebat. 21. Igitur *tunc* obtuſa erant rutra, ligones, tridentes, furcae, ſecures, et infigendi erant ſtimuli. 22. Cum proelium jam eſſet committendum, nemo militum, qui cum Saulo et Jonathane erant, gladio aut haſta fuit inſtructus. — 23. Progreſſi ſunt Philiſtaei ad aditum Michmaſae.

CAPUT XIV.

Jonathan cum armigero ſuo Philiſtaeos aggreditur et caedit 1—15. Saulus hoſtes perſecuturus jurejurando cogit milites, a cibis abſtinere 16—24. Jonathan ejus ignarus mel guſtat, et in vitae periculum propterea venit, ſed a militibus vindicatur 25—45. Alia Sauli bella et familia 46—52.

1. Aliquando Jonathan, Sauli filius, armigero ſuo dixit: Age, transeamus ad ſtationem illam Philiſtaeorum, quae nobis eſt ex adverſo. (Patri autem ſuo nihil de eo dixerat. 2. Is tunc erat ad extremum Gibeae ſub malo Punica, quae eſt apud Migronem, et ſecum habebat circiter ſexcentos milites. 3. Achija, filius Achitubi, frater Icabodi, filius Pineaſi, nepos Elaei, ſacerdotis Jovae Silunte,[a]) *tum* ephodum geſtabat. Milites quoque ignorabant, Jonathanem disceſſiſſe. 4. Inter locum illum, per quem Jonathan transire volebat ad ſtationem Philiſtaeorum, ſcopulus erat praeruptus ab utraque parte, nomen alterius erat Boſes, et nomen alterius Sena. 5. Alter ſpectabat ſeptentrionem e regione Mich-

a) Haec jungo propterea, quia conſtat ex cap. 6, 21., arcam Siluntem non eſſe reportatam, poſtquam a Philiſtaeis fuerat remiſſa.

Michmaſae, alter meridiem e regione Gibeae.) 6. Jonathan igitur armigero ſuo dixit: Age, transeamus ad ſtationem iſtorum praeputiatorum. Fortaſſe Jova nos adjuvat, neque enim ei difficilius eſt, per complures, quam per paucos ſervare. 7. Reſpondit armiger: Fac, quod lubet, perge modo, ego te ſequar, ut voles. 8. Tum Jonathan, Quando eos aggrediemur, inquit, et illi nobis conſpectis 9. dixerint: Exſpectate modo, donec ad vos pervenerimus; ſubſiſtemus, neque ad eos aſcendemus. 10. Quodſi vero dixerint: Aſcendite ad nos; aſcendemus; Jova nobis eos haud dubie tradidit, idque nobis ſignum erit. 11. Cum eos Philiſtaei, qui in ſtatione erant, viderent, dixerunt: Hebraei prodeunt ex cavernis, in quibus ſe abdiderunt. 12. Jonathani autem ejusque armigero acclamarunt: Aſcendite ad nos, habemus, quod vobis dicamus. Hic Jonathanus armigerum ſuum juſſit poſt ſe aſcendere, quod Jova eos Iſraëlitis tradidiſſet, 13. et ſimul ipſe manibus pedibusque ſcandit ſequente armigero. Jonathan nonnullos interfecit, itemque ejus armiger poſt eum; 14. atque prima hac ſtrage ab illis occiſi ſunt circiter viginti homines in agri ſpatio dimidii fere jugeri. 15. Qua re tantus terror caſtra, agros, omnem exercitum, milites ſtationarios et populatores invaſit, ut omnes contremiſcerent. Terror erat divinitus immiſſus. 16. Sauli ſpeculatores Gibeae Benjaminitarum viderunt tumultum exſiſtere, qui ſerperet et magis magisque creſceret. 17. Tum Saulus eos, qui aderant, juſſit diſpicere, quis ab ipſis disceſſiſſet. Quod cum feciſſent, Jonathan ejusque armiger deſiderati ſunt. 18. Deinde Achijam juſſit ar-

cam [b]) Dei admovere, quam tum secum habebant Israëlitae. 19. Sed eo adhuc cum sacerdote colloquente tumultus in castris Philistaeorum magis magisque auctus est. Propterea illud sacerdoti rursus interdixit, 20. et convocatis omnibus, quae cum eo erant, copiis ad locum pugnae abiit. Ibi vero alius in alium ferro saeviebat, et maxima erat omnium perturbatio. 21. Tum Hebraei, [c]) qui antea servi Philistaeorum fuerant atque ab

---

b) LXX interpretes haec verba sic verterunt: *ὅτι αὐτὸς ἦρεν τὸ ἐφοὺδ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐνώπιον Ἰσραήλ.* In qua versione probo lectionem vocis אֵפוֹד loco אֲרוֹן, partim quoniam in versu tertio de illo Achija narratur, cum cum ephodo adfuisse, partim quoniam ad Deum consulendum non arca, sed ephodus adhibebatur. Nam Sauli consilium non videtur fuisse, ut arcam Dei secum in proelium educeret, quod nonnulli interpretes opinantur, sed ut quaereret, quaenam causa esset tanti apud hostes tumultus, et quid sibi faciendum esset. Illius enim mandati revocandi causa non erat Saulo, quoniam contra hostem egrediebatur; sed nolebat Deo non consulto proelium committere. Jam vero, cum de fuga hostium non amplius dubitaret, non erat, cur Deum consuleret. — Attamen nullus interpretum reliquorum ex antiquis legit אפוד pro ארון, igitur vulgarem lectionem retinui. In reliquis versio Graeca nimis recedit a textu, quem nos legimus, quam ut hunc ex illa emendare audeam, quod fieri debere auctor est Celeb. *Koehlerus* in repertorio p. II. p. 256. Praeterea de uno illo Achija dici non poterat, eum *ferre arcam Dei* ante Israëlitas, sed *ephodum* eum tulisse, h. e. secum habuisse, ut eum, si opus esset, indueret, supra vers. 8. jam erat dictum. — Litteram Vau in voce ובנו pro multiplici ejus significatione putem explicari posse per *cum* s. *apud* (*Glassius* p. 602.) sine mutatione in עִם vel ב, quam *Hubigantius* suadet.

c) Pro הָעִבְרִים *οἱ ὁ* legerunt הָעֲבָדִים et pro סָבִיב, quod sequitur, *οἱ ὁ*, Vulg., Syrus: יָסֹפּוּ גַם הֵמָּה, vertunt enim *ἐπεστράφησαν καὶ αὐτοί.* Quas lectiones receptae praeferendas esse, ne-

ab eis ad castra deducti, junxerunt se Israëlitis pugnantibus, Saulo et Jonathane ducibus; 22. itemque Israëlitae, qui se in montibus Ephraïmiticis abdiderant, cum audirent de fuga Philistaeorum, eos quoque persequebantur. 23. Hoc die Jova insignem dedit Israëlitis victoriam, proelium enim usque ad Bethaven se extendit. — 24. Sed vi coacti sunt *ad hostes persequendos*, nam Saulus eos jurejurando obstrinxerat, mala imprecatus ei, qui ante vesperam cibum sumeret, quo vindictam sumeret ab hostibus suis. Sic quidem omnis populus a cibo abstinuit, 25. adeo, ut, cum in silvam venirent, et mel in terrae solo flueret, 26. nemo tamen manum ori admoveret; tanta erat apud omnes jurisjurandi religio. 27. Jonathan autem, qui nesciebat, patrem suum populum adjurasse, intinxit baculum suum melli isti silvestri. De quo cum aliquid ori suo admovisset, collustrati sunt ejus oculi. 28. Tum aliquis ex populo ei dixit: Jurejurando obstrinxit pater tuus omnes, ne quis hodie cibum caperet; hinc omnes fame fere sunt confecti. 29. Sic pater meus, inquit Jonathan, perturbavit omnia, videte modo, quam splendeant mihi oculi, quod mellis paullulum gustavi. 30. Sed quoniam populo non licuit, hostium suorum praeda frui, clades non adeo magna Philistaeis est illata. 31. Conciderunt autem eos inde a Michmasa usque ad Ajjalonem; sed milites fame vehementer erant defatigati. 32. Hinc

nemo neget. Quoad primam vocem assentior *Michaeli*, qui utramque, tum quae in textu Hebraeo legitur, tum quam *oi ó* substituerunt, junxit העברים *Hebraei*, *qui Philistaeorum servi fuerant*. Cf. appendix ad p. XII. biblioth. orient. p. 193. et *Hubigantius* ad h. l.

omnes in praedam irruebant, oves, boves et vitulos humi mactabant et cum ſanguine comedebant. 33. Cum Saulo indicatum eſſet, populum peccare in Jovam, dum ſanguinem comederent, redarguebat eum propterea, et jubebat, ut ſtatim ad ſe ſaxum praegrande advolveretur, 34. omnibusque ediceretur, ut ſuos quisque boves et oves ad ſe adduceret, ibique mactarent et ederent, ne ſanguine veſcendo contra Jovam peccarent. Igitur quisque bovem ſuum adducebat atque hac ipſa nocte ibi mactabat. 35. Tunc Saulus quoque aram Jovae exſtruxit, quae quidem prima fuit ab eo conſtructa. 36. Deinde ſuos cohortatus eſt, ut hac ipſa nocte Philiſtaeos perſequerentur, eosque usque in ſequentem diem caederent, [d]) nec quenquam ex iis ſuperſtitem relinquerent. Milites quidem, faceret quod luberet, reſponderunt, verum ſacerdos ſuaſit, ut antea Deum adirent. 37. Igitur Saulus Deum conſuluit: num deberet Philiſtaeos perſequi? num vellet eos Iſraëlitis tradere? Sed nullum tum quidem reſponſum tulit. 38. Tunc Saulus juſſit omnes exercitus ordines accedere atque accurate inquirere, a quo peccatum ſit admiſſum. 39. Nam per Jovam immortalem, inquit, qui Iſraëlitis victoriam dedit, ſi vel Jonathan, filius meus, in culpa eſt, morietur. Sed nemo ei reſpondit. 40. Tunc Iſraëlitas allocutus, Vos, inquit, ab una parte eritis, ego vero et Jonathan, filius meus, erimus ab altera parte. Reſponderunt omnes, faceret, quod placeret. 41. Quo facto Saulus Jovam,

Deum

d) In Hebraeo textu eſt, *diripérent*; ſed ponitur etiam pro *interficere*, ſicut ſaepe apud Homerum ἐναρίζειν. *Caſtellio.*

Deum Iſraëlitarum, allocutus eſt et dixit: Profer veritatem. Tunc Jonathan et Saulus ſorte deſignati ſunt, ceteris elapſis. 42. Etiam inter me et Jonathanem, filium meum, inquit Saulus, ſortem jacite. Hic igitur cum ſignatus eſſet, 43. juſſit eum Saulus confiteri, quid feciſſet. Tunc faſſus eſt Jonathan, ſe paullulum mellis extremo baculi ſui deguſtaſſe, num propterea ſibi moriendum ſit? 44. Reſpondit Saulus: Deus me perdat! moriendum tibi eſt, Jonathan. 45. At milites Saulo dicunt: Num Jonathan morietur, qui tam praeclarae Iſraëlitis victoriae auctor eſt? Minime vero, per Jovam immortalem! non pilum capitis perdet, Deo juvante hanc ſalutem hodie praeſtitit. Sic milites Jonathanem a morte vindicarunt. 46. Saulus vero a perſequendis Philiſtaeis deſtitit, qui propterea ad loca ſua redierunt. — 47. Regno Iſraëlitico potitus bella geſſit Saulus circumquaque cum hoſtibus ſuis, cum Moabitis, Ammonitis, Edomitis, cum regibus Sobenſibus et cum Philiſtaeis, de quibus omnibus ſuperior disceſſit. 48. Fortiter quoque ſe geſſit adverſus Amalekitas, quos concidit, et liberavit Iſraëlitas ab eorum direptoribus. 49. Filios habuit Jonathanem, Jiſvaeum et Malchiſuam, atque filias duas, quarum altera Merob natu major, altera natu minor Michal vocabatur. 50. Nomen uxoris fuit Achinoama, filia Achimaaſi. Dux exercitus fuit Abner, filius Neri, patrui Sauli. 51. Nam Kis, pater Sauli, et Ner, pater Abneri, filii e) erant Abielis. 52. Bellum

e) Pro בֵּן legendum videtur בְּנֵי, quanquam nullus interpretum antiquiorum hanc lectionem prodit. Nam quoniam ſcriptor do-

lum cum Philiſtaeis grave fuit, quamdiu Saulus vixit. Si quem vero vidit virum fortem et ſtrenuum, eum ſuis militibus addidit.

CAPUT XV.

Saulus a Deo juſſus Amalekitas delere, parcit eorum regi et praedae optimae 1—9. Quam ejus inobedientiam Samuel nomine Dei graviter reprehendit atque dignitatem regiam in alium translatum iri praedicit 10—35.

1. Poſthaec Samuel Saulum hunc in modum eſt allocutus: Miſit me Jova, ut te, regem populi ſui Iſraëlitici, ungerem; jam igitur ejus voluntati obtempera. 2. Haec enim dicit Jova omnipotens: Memor ſum eorum, quae Amalekitae Iſraëlitis fecerunt, cum eis in itinere inſidiabantur, poſtquam ex Aegypto emigrarant. 3. Jam igitur concide Amalekitas, devove eos cum ſuis omnibus ſine ulla miſericordia, viros et feminas, pueros et lactentes, boves, oves, camelos et aſinos debes trucidare. 4. Igitur Saulus, coactis militibus, eos ad Telaim recenſuit, ducenta millia peditum et decem millia de tribu Juda, 5. et progreſſus ad oppidum Amalekitarum, inſidias in valle ſtruxit. [a]) 6. Kenitas autem praemonuerat, ut ſeſe ab Ama-

---

docere vult, Nerum patruum Sauli fuiſſe, neceſſario ei dicendum fuit, Kisum et Nerum filios fuiſſe Abielis. Cf. cap. 9, 2. Sic quoque verterunt *Clericus* et *Hubigantius*, qui tamen de mutanda lectione lectores non admonuerunt. Quod vero fecit *Michaelis* l. c.

a) Lectio recepta וַיָּרֶב בַּגַּיְא *contendit in valle* neque apta eſt contextui, nam de contentione ſ. proelio cum hoſtibus in ſequen-

Amalekitis ſepararent, ne una cum eis perderentur, quoniam ſe benignos praebuiſſent Iſraëlitis, cum ex Aegypto eſſent egreſſi. Quod cum Kenitae feciſſent, 7. percuſſit Saulus Amalekitas a Chavila usque ad Schurum, quod eſt verſus Aegyptum. 8. Agagum, eorum regem, vivum cepit, reliquos omnes ferro trucidavit. 9. Neque ſolum Agago Saulus et populus pepercerunt, ſed etiam optimo pecori et armento, camelis robuſtiſſimis [b]) et pilentis camelinis et omnino rebus pretioſis, quas noluerunt perdere, vilia autem et jam corrupta, ea devoverunt. — 10. Tum Jova Samueli indicavit, 11. ſe jam poenitere, quod Saulum regem crearit, nam eum a ſe defeciſſe, neque mandata eſſe exſecutum. Qua re Samuel vehementer commotus tota illa nocte ad Jovam eſt precatus. 12. Poſtridie obviam ivit Saulo. Nam audierat, eum veniſſe Carmelum, ibique ſibi tropaeum erexiſſe, hinc converſum Gilgalem deſcendere. 13. Cum Saulum conveniret, hic eum his verbis excepit: Plurimam tibi ſa-

quentibus ſermo eſt, neque uſui loquendi, quo verbum רִיב nunquam de contentione, quae armis fit, ſ. de bello dicitur. Sed *oi ὁ* aptiſſimam lectionem ſervarunt: *καὶ ἐνήδρευσεν ἐν τῷ χειμαῤῥόῳ*: et Vulgatus: *tetendit inſidias.* Littera א igitur inſerta legerunt יָאֹרֵב. Singularem lectionem exhibet cod. III. *Kennicotti* וַיֵּרֶד *deſcendit*, aptam quoque, ſi pluribus teſtibus confirmaretur.

b) מִשְׁנִים ſunt cameli optimi et robuſtiſſimi. Neque opus eſt criſi *Hubigantii*, qui mutat in שְׁמָנִים pinguia. — Sequens vocabulum בָּרִים alias quidem *arietes* notat, ſed h. l. non, quia jam ſub צֹאן comprehenduntur, ſed ſunt *ſellae* ſ. *pilenta* camelorum. De his pluribus egit *Scheid* in obſervatt. adjectis commentatt. in Canticum Hiskiae p. 59. Cf. noſtram obſervationem de בָּר ad Geneſ. 31. 34.

ſalutem a Jova precor! Exſecutus ſum mandata Jovae. 14. Ecquis autem, inquit Samuel, balatus ovium venit ad aures meas? et quem ego boum mugitum audio? 15. Reſpondit Saulus: Ceperunt ea ab Amalekitis, ſiquidem populus pepercit optimis de pecore et armento ad ſacrificandum Jovae, Deo tuo, reliqua vero devovimus. 16. Jam ſatis eſt, inquit Samuel, indicabo tibi, quae Jova mihi hac nocte dixit. Loquere, inquit ille. 17. Tum Samuel: Nonne, cum parvus tibi viderere, caput tribuum Iſraëliticarum factus es, teque regem populi Iſraëlitici Jova conſtituit? 18. Jam te idem ille Jova miſerat, juſſeratque, ut peſſimos iſtos Amalekitas devoveres et bello ad internecionem usque perderes. 19. Cur igitur ejus voluntati non obtemperaſti, ſed praedae inhians eum offendiſti? 20. Reſpondit Saulus Samueli: Utique ego morem geſſi Jovae, expeditionem, ad quam me miſerat, feci, adduxi Agagum, Amalekitarum regem, reliquos devovi. 21. Milites vero de praeda nonnulla ceperunt, oves, boves atque optima rerum devotarum ad ſacrificia Jovae, Deo tuo, Gilgale celebranda. 22. At Samuel: Suntne, inquit, Jovae ſacrificia et holocauſta aeque grata ac obedientia? Scito, melius eſſe, morem gerere, quam ſacrificare, et obtemperare, quam adipem arietum *offerre*. 23. Nam rebellare tam grave peccatum eſt, quam artes magicas exercere, et contumacem eſſe, quam idola colere; hinc quoniam tu voluntatem Dei contemſiſti, te quoque contemnit et regno privat. c) 24. Ad haec Saulus Samu-

c) Sc. in poſteris. Nam Saulus ipſe rex fuit usque ad mortem.

mueli respondit: Peccavi, qui contra jussa Jovae et tua mandata fecerim, sed populum veritus ejus voluntati volebam satisfacere. 25. Jam vero condona, quaeso, mihi peccatum meum, revertere mecum, adorabo Jovam. 26. At Samuel, Non tecum revertar, inquit. Nam sprevisti mandatum Jovae, ideo Jova quoque te repudiavit, quo minus rex sis Israëlitarum. 27. Quibus dictis conversus voluit discedere. Sed prehendit oram pallii ejus, quae abscissa est. 28. Sic Jova regnum Israëliticum a te hodie abscidit, inquit Samuel, deditque hoc alii te meliori. 29. Neque enim verissimus Israëlitarum Deus mentitur, neque eum facti poenitet. Nam non homo est, ut eum possit consilii poenitere. 30. Peccavi, inquit Saulus, sed praebe mihi hunc honorem coram principibus populi mei et ipso Israële, ut mecum revertare, nam sacra faciam Jovae, Deo tuo. 31. Tunc comitatus est Samuel Saulum, cum Jovam adoraret. 32. Quo facto jussit adduci ad se Agagum, Amalekitarum regem. Hic laete accessit, et dixit: Profecto abest mortis amaritudo. 33. At Samuel eum sic allocutus est: Quemadmodum orbavit mulieres gladius tuus, sic mater tua orba fiat prae aliis mulieribus: et tunc concidit eum in loco Jovae sacro Gilgale. 34. Quibus confectis Samuel Ramam discessit, et Saulus quoque domum suam repetiit Gibeae. 35. Ille vero postea nunquam Saulum vidit [d]) per omnem vitam su-

d) Haec non repugnant iis, quae infra cap. 19, 24. narrantur, quod Saulus Samuelem Ramae viderit. Sensus est, Samuelem Saulum non convenisse visendi causa. Neque particula עוד h. l. ter-

ſuam, nam dolebat vicem ejus, quod Jova eum a regno Iſraëlitico removerat.

CAPUT XVI.

Samuel Dei juſſu Bethlehemum abit, ibique Davidem, filium Iſaei natu minimum, regem ungit 1—12. Saulus melancholico morbo affectus Davidem arceſſi jubet, ut arte muſica animum ſuum triſtem exhilaret 13—23.

1. Tandem Jova Samuelem hunc in modum eſt allocutus: Quousque lugebis Saulum, quem ego repudiavi, quo minus in Iſraëlitas regnet? Imple vasculum tuum oleo, mitto te ad Iſaeum Bethlehemitam; nam ex ejus filiis regem mihi elegi. 2. At quomodo audeam, inquit Samuel, eo abire? Nam Saulus, ſi hoc audierit, me interficiet. Reſpondit Jova: Sume tecum vitulum bovinum, teque ad ſacrificium mihi faciendum veniſſe perhibe. 3. Ad hoc ſacrificium invita Iſaeum. Reliqua, quae facere debes, tibi *tunc* indicabo, ut et quem regem mihi ungeas. 4. Samuel igitur, uti a Jova juſſus erat, venit Bethlehemum. Senatores oppidi perterriti ei occurrunt, et quaerunt: num grata ſit adventus ejus cauſa? 5. Grata, reſpondet, ego veni ad ſacrificandum Jovae; luſtrate vos et venite mecum ad ſacrificium. Idem illud inprimis Iſaeum ejusque filios jubet, quos quoque ad epulas ſacrificiales invitat. 6. Cum venirent, *Samuel* Eliabum intuens, ſecum cogitat, hunc eſſe Jovae unctum. 7. Sed Jo-

terminum notat, quaſi hoc in ejus morte factum eſſet, ſed continuitatem et perpetuitatem. *Glaſſius* p. 382.

Jova eum admonet, ne ſpectet formam ejus externam et ſtaturae proceritatem, non hunc ſibi probari. Non quae homines ſpectant, *ego ſpectare ſoleo.* [a]) Homines enim externa ſolent ſpectare, ego vero animum intueor. 8. Poſtea Iſaeus Abinadabum ſiſtit coram Samuele. Sed hic, Neque hunc Jova eligit, inquit. 9. Tum Sammam Iſaeus adducit, at negat Samuel, hunc a Jova eſſe electum. 10. Cum vero ſeptem ſuos filios Iſaeus in conſpectum Samuelis produxiſſet, atque hic nullum eorum a Jova electum eſſe confirmaſſet; 11. interrogat Iſaeum: num hi omnes ejus eſſent filii? Reſpondet: Supereſt natu minimus, qui gregem paſcit. Mitte, inquit Samuel, ut arceſſatur, nam non accumbemus, donec venerit. 12. Igitur pater mittit eumque adducit. (Erat autem rufus, pulcra facie et forma eleganti.) Tunc Jova jubet Samuelem, ut hunc ungat, hunc eum eſſe. 13. Ille igitur ſumto olei vaſe ungit eum inter fratres ſuos; a quo die David eximiis animi dotibus a Deo eſt inſtructus. [b]) Quibus peractis Samuel Ramam rediit. 14. Saulus vero amiſſa animi indole praeclara, qua hactenus divino beneficio ornatus fuerat, perturbatus eſt morbo melancholico a Deo inflicto. [c]) 15. Tunc aulici ejus ei ſuaſerunt, quod malum iſtud eum vehementius vexa-

a) Haec ſupplenda eſſe, contextus docet. Nec opus eſt, ut cum *Hubigantio* haec excidiſſe ſtatuatur. Supplent *oi ó*: *ὄψεται ὁ Θεός*. Vulgatus: *ego judico.*

b) De forma loquendi Hebr. תִּצְלַח רוּחַ יְהוָה *venit ſpiritus Jovae in eum* cf. obſervat. ad Jud. 3, 10.

c) Ex hoc verſu plane apparet, quam late dixerint Hebraei רוּחַ יהוה *ſpiritum Jovae.* Nam ſub hoc ſpiritu non daemonem ali-

xaret, 16. ut mandaret famulis ſuis, requirere aliquem citharae tangendae peritum, qui, quando malum iſtud eum invaſiſſet, pulſandis fidibus eum exhilararet. 17. Juſſit igitur Saulus ſuis, ut ſibi circumſpicerent virum artis muſicae peritum, quem ad ſe adducerent. 18. Tum unus de famulis dixit: Equidem vidi filium Iſaei Bethlehemitae fidium tractandarum bene peritum eſſe, qui praeterea vir fortis eſt, bellicoſus, prudens, formoſus, cui Deus ſavet. 19. Miſit igitur Saulus ad Iſaeum nuncios, juſſitque, ut Davidem filium ſuum paſtorem ad ſe mitteret. 20. Iſaeus aſinum panibus, utre vini et caprino hoedo onuſtum miſit per Davidem, filium ſuum, ad Saulum. 21. Cum David ad Saulum veniſſet, eique aliquandiu miniſtraſſet, hic eum vehementer amavit, eoque ut armigero uſus eſt. 22. Miſit quoque ad Iſaeum, atque ab eo petiit, ut David ſibi miniſtraret, quod ſibi valde probaretur. 23. Quando igitur Saulus a morbo illo divinitus immiſſo impetebatur, David citharam pulſavit, tunc ille reſpiravit, melius ſe habere coepit et malum remiſit.

CA-

aliquem, qui Saulum obſederit, eſſe intelligendum, docet remedium, quod aulici ſuadent adhibendum. Muſica non expellitur daemon, ſed animus triſtis ea adhibita poteſt exhilarari. Excantatione quadam, quae hymnorum recitatione facta fit, expulſos eſſe daemones, qui Saulum vexaſſent, figmentum eſt *Joſephi* (antiquitt. Jud. lib. VI. c. 9.) ex opinione Judaeorum ſui temporis de magna daemonum vi in homines. Hymnos a Davide hunc in finem adhibitos eſſe, nullum eſt in textu indicium. — Sed non eſt, quod hanc opinionem pluribus refutemus. Conſentiunt interpretes in allata explicatione. Cf. Ill. *Michaelis* in notis ad h. l. S. R. *Niemeyer* in characteriſt. bibl. p. V. p. 297. et p. IV. p. 97.

CAPUT XVII.

In bello Iſraëlitarum cum Philiſtaeis David Goliathum ad ſingulare certamen Iſraëlitas provocantem funda occidit. Hinc Philiſtaei perterriti fugiunt.

1. Philiſtaei coactis copiis ſuis ad bellum convenerunt Sochone regionis Judaeae, et caſtra poſuerunt inter Sochonem et Aſekam prope Ephesdammim. 2. Idem igitur fecerunt Saulus et Iſraëlitae, et poſitis caſtris in valle terebinthorum aciem contra Philiſtaeos inſtruxerunt. 3. Philiſtaei montem tenebant ulteriorem, Iſraëlitae citeriorem valle interjecta. 4. Tunc prodiit vir quidam immanis e. caſtris Philiſtaeorum, nomine Goliathus, ex Gatha, ſex cubitos et ſpithamam longus. 5. Galeam aeneam in capite geſtabat et lorica aenea ſquamata erat indutus quinque millia ſiclorum pendente. 6. Ocreis item aeneis in pedibus *erat munitus* et telum brevius aeneum ei inter humeros pendebat. 7. Lignum haſtae erat inſtar ligni textorii et mucro haſtae ferreus pondere ſexcentorum ſiclorum. Eum praecedebat, qui ſcutum ferret. 8. Hic *Goliathus*, ubi conſtitit, clamavit ad aciem Iſraëlitarum: Quid prodiiſtis ad proelium committendum? Ego Philiſtaeus ſum, vos ſervi Sauli. Eligite e vobis aliquem, qui ad me veniat. 9. Si me in certamine ſuperaverit et interfecerit, nos erimus ſervi veſtri; ſin ego eum vicero, vos nobis ſervietis. 10. Jam ego, pergebat Philiſtaeus, opprobrio affeci Iſraëlitarum aciem. Siſtite mihi aliquem, qui mecum decertare audeat. 11. Ad haec Philiſtaei verba Saulus omnesque Iſraëlitae magno timore ſunt perculſi.

12.

12. a) David filius erat Ephratitae, nempe Bethlehemitae tribus Judae, cujus nomen erat Iſaeus. Is octo habebat filios. Sauli temporibus jam ſenex et aetate provecta. 13. Tres ejus filii natu majores ſub Saulo militabant, quorum nomina erant: Eliabus primogenitus, ſecundus Abinadabus, et tertius Samma. 14. David autem natu minimus, interea dum tres illi bello Saulo duce intererant, 15. a Saulo redierat ad oves patris ſui Bethlehemi paſcendas. 16. Accedebat vero iſte Philiſtaeus mane et veſpere, atque per quadraginta dies ſeſe *ad certamen* fiſtebat. 17. Tum Iſaeus Davidi, filio ſuo, dixit: Accipe hanc epham frumenti toſti et hos decem panes fratribus tuis, et curre ad

a) Pericopa, quae ſequitur inde ab hoc verſu usque ad verſum 32, tam parum cohaeret cum eis, quae de Davide ſub finem praecedentis capitis narrata ſunt, ut quivis lector facile intelligat, haec cum illis nullo modo poſſe conciliari. Quis non miretur, armigerum Sauli belli tempore domum rediiſſe ad gregem paſcendum? Nihil in antecedentibus dictum eſt de praemiis a Saulo propoſitis ei, qui cum Goliatho certamen inierit; et Goliatho a Davide interfecto hic nullum horum praemiorum accipit. Fratres Davidis eum reprehendunt, quod non domi manſerit et proelii ſpectator eſſe voluerit; quaſi vero armiger regis gregem potius paſcere quam proelio intereſſe debeat: et quam mira eſt Davidis humanitas, qui reprehenſiones tam iniquas aequo animo fert. Tandem, qui fit, ut David, qui antea Saulo tam familiaris fuerat, non eum ipſe adeat et de ſpe ei propoſita, qui cum Goliatho pugnare velit, interroget? Quibus argumentis ex rebus, quae narrantur, deſumtis accedunt alia, quae fere extra omnem dubitationem ponunt, totam hanc pericopam eſſe interpolatam. Omiſſis his verſibus undecimus cum tricesimo ſecundo optime cohaeret, quod fieri vix poſſet, ſi partem hiſtoriae verae conſtituerent. Nihil dico de otioſa repetitione filiorum Iſaei, qui jam antea fuerant nominati cap. 16, 9., neque de ſtili diverſitate, quam alii urgent. Id vero in quaeſtione critica maximi eſt momenti, quod deſit haec pericopa tota in codice Vaticano, et, quod valde probabile fit, eam quoque in codice Alexandrino defuiſſe. Incipit enim ille locus in cod. Alex. v. 12. *Καὶ εἶπε Δαυὶδ υἱὸς ἀνθρώπου Ἐφραθαίου*, cum tamen verba textus tantum habent: ודוד בן איש אפרתי. Unde igitur illud; *Καὶ εἶπε*? Nimirum

ad eos in castra. 18. Decem autem hos caseos trade tribuno, vide, num valeant fratres tui et quibus sorte indigeant. 19. Saulo igitur et illis omnibusque Israëlitis in valle terebinthi cum Philistaeis pugnantibus, 20. mane David reliquit oves custodi et sublatis *illis rebus* abiit, uti a patre Isaeo jussus erat, et venit ad plaustrorum munitiones, cum exercitus in aciem prodiret clamore ad proelium committendum sublato. 21. Sic Israëlitarum et Philistaeorum acie sibi ex adverso instructa 22. David deposuit ea, quae ferebat, apud custodem impedimentorum, cucurrit ad aciem, venit et salutavit fratres suos. 23. Eo cum his colloquente prodiit ille gigas Philistaeus, nomine Goliathus, e castris Philistaeorum, atque eadem illa *antea memorata* dixit an-

---

rum ab initio, uti in cod. Vat., legebantur post vers. 11. verba versus 32. *Καὶ εἶπε Δαυὶδ πρὸς Σαούλ.* Sed scriba, postquam scripserat *Καὶ εἶπε*, vidit vel in margine, vel in alio codice pericopam illam, quae incipit: *Καὶ Δαυὶδ υἱὸς ἀνθρώπου Ἐφραθαίου.* Igitur hanc quoque inseruit, relictis illis verbis: *Καὶ εἶπε*, quae haud obscure produnt, in illo codice, quem describebat, hanc pericopam lectam non fuisse. — Quid mirum igitur, viros doctos jam dudum de ejus *αὐθεντίᾳ* dubitasse? In his inprimis est *Kennicottus*, qui in disert. II. super ratione textus Hebr. p. 402. popularem suum *Pilkingtonum* citavit, qui prolixe probarit, h. l. esse interpolatum. Idem de eo judicarunt *Hubigantius* et *Michaelis* in notis ad vers. Germ. et *Eichhorn* in introduct. ad Vet. Test. p. II. p. 464. Neque vero solum hic locus paulo longior, sed etiam in sequentibus nonnulli breviores similem suspicionem praebent, de quibus ad singulos breviter lectores nostros admonebimus. Unum tantum addo de origine harum interpolationum. Assentior nimirum Cl. *Eichhornio*, qui (l. c. p. 494.) existimat, eas non esse ex libris scriptis, sed ex traditionibus, quae varia et vario modo de certamine illo Davidis cum Goliatho et satis ejus in aula Sauli referebant, quae deinceps ab alio margini fortasse fuerunt adscriptae et tandem textui insertae. Antiquissimas tamen esse has interpolationes, apparet ex eo, quod jam Josephus eas in versione Graeca legit; hinc mirum non est, eos in omnibus codd. Hebr. nostrorum temporum reperiri. Ut vero eo melius intelligatur, eas salvo reliquo contextu abesse posse, litteris minoribus eas curavi imprimendas, atque si in lectione omittantur, nemo haesitabit, manifesto indicio eas ab alia manu esse insertas.

audiente Davide. 24. Ad conſpectum autem iſtius hominis omnes Iſraëlitae fugiebant, timidique 25. alius alium interrogabant, num vidiſſet virum illum, qui conviciis Iſraëlitas provocaret? regem magnas promiſiſſe divitias ei, qui illum interfecerit, velle ſe filiam ſuam ei dare in matrimonium et familiae ejus immunitatem concedere. 26. Tum David eos, qui adſtabant, interrogavit: Quid fiet iſti, qui iſtum Philiſtaeum occiderit atque opprobrium ab Iſraëlitis amoverit? (nam quis eſt iſte Philiſtaeus praeputiatus, qui aciem Dei vivi conviciis laceſſat?) 27. Reſponderunt ei eadem confirmantes, praemia illa manere ei, qui gigantem iſtum interfecerit. 28. Cum autem Eliabus, frater Davidis natu major, audiret, quae cum aliis loqueretur, ira commotus, Cur huc veniſti, inquit, cur deſeruiſti gregem illum exiguum in deſerto? Equidem bene novi tuam audaciam animique tui levitatem; ad ſpectandum proelium modo veniſti. 29. David autem reſpondit: Quid igitur commiſi? Quaero modo. 30. Et ſic ab eo ad alios converſus eadem interrogavit, a quibus eadem tulit reſponſa. 31. Cum vero hi Davidis ſermones *a pluribus* audirentur, indicarunt eos quoque Saulo, qui eum ad ſe arceſſi juſſit. 32. Tum David Saulo dixit: Nemo propterea animum deſpondeat, ego abibo et cum Philiſtaeo iſto pugnabo. 33. Reſpondit Saulus Davidi: Non potes cum eo manum conferere, quippe qui puer modo ſis, ille vero in armis exercitatus inde a pueritia ſua. 34. Cum oves paſcerem apud patrem meum, inquit David, accidit, ut leo aut urſus veniret et auferret oviculam e grege; 35. tum ego eum perſecutus occidi et *praedam* ejus faucibus eripui. Quodſi me aggrediebatur, comprehenſa ejus barba eum percuſſi et interfeci. 36. Sic de leone et urſo victor ego disceſſi, ad inſtar eorum erit Philiſtaeus iſte praeputiatus, qui conviciis proſcidit aciem Dei vivi. 37. Ille Jova, addebat David, qui me a leone et urſo defendit, me quoque a Philiſtaeo iſto defendet. Tum Saulus ei dixit: Vade, Jova tibi adſit. 38. Simul armis

ſuis

ſuis eum induit, galeam aeneam capiti ejus impoſuit et lorica eum veſtivit. 39. Tandem et gladium ſuper hac armatura David accinxit et tentavit incedere; quoniam nondum expertus fuerat. Sed negavit; ſe ſic incedere poſſe, quoniam iſtarum rerum uſum non haberet. Igitur his omnibus ſepoſitis 40. prehendit pedum ſuum, ſelegitque ſibi quinque lapides laeves e valle, quos in pera paſtoritia poſuit et fundam manu tenens ſic procedit ad Philiſtaeum. 41. Hic quoque ad Davidem appropinquat, praeeunte eo, qui clypeum ferebat. b) 42. Cum vero Philiſtaeus Davidem videret, eum contemſit, (puer enim adhuc erat, rufus et adſpectu pulcher,) 43. et dixit: Num canis ego ſum, qui me baculo aggrediare; ſimul ei male precatus eſt per Deum ſuum. 44. Accede ad me, pergebat, dabo carnem tuam avibus et feris agreſtibus *devorandam*. 45. Ad haec David Philiſtaeo reſpondit: Tu quidem ad me venis gladio, haſta et telo munitus, ego vero ad te venio nomine Jovae, omnipotentis Dei exercitus Iſraëlitici, quem conviciis laceſſiſti. 46. Hic Jova jam te mihi tradet interficiendum, et capite tibi detruncato cadavera exercitus Philiſtaeorum avibus rapa-

b) Deeſt hic verſus in cod. Vat.; et poteſt ſane ſalvo contextu abeſſe. Sed poteſt etiam ex meo quidem ſenſu defendi, quoniam non prorſus otioſam aut ſuperfluam rei geſtae circumſtantiam narrat, ſed id, quod in verſione expreſſi: nempe Philiſtaeum, cum videret, Davidem ad ſe accedere, non ſubſtitiſſe in loco ſuo, ſed etiam Davidi obviam proceſſiſſe. Quod quin factum ſit, vix dubitari poteſt. De ipſa aggreſſione, finito illo colloquio, ſermo eſt in verſ. 48.

pacibus et feris animalibus objiciam: ex quo omnes intelligent, Deum pugnare pro Iſraëlitis. 47. Univerſus vero hic coetus cognoſcet, non gladio aut haſta Jovae opus eſſe ad deſendendum. Omnis belli eventus ab eo dependet, et tradet vos manibus noſtris. 48. Cum vero Philiſtaeus jam in eo eſſet, ut Davidem propius aggrederetur, hic quoque properavit et accurrit verſus Philiſtaeum, 49. et manu in peram immiſſa depromtum inde lapidem funda ejecit in frontem Philiſtaei *tanta vi*, ut ei lapis infigeretur et hic pronus in terram concideret. 50. Sic David vicit Philiſtaeum fundae lapide eumque percuſſum interfecit, nec gladium manu tenuit. c) 51. Quo facto accurrit eique inſiliit et ſtricto ejus gladio occidit capite amputato. Cum autem Philiſtaei viderent ſuorum fortiſſimum periiſſe, fugerunt. 52. Tunc Iſraëlitae et Judaei clamore ſublato eos perſecuti ſunt usque in vallem et portas Ecronis, multique in via Saaraimi conſoſſi perierunt usque ad Gatham et Ecronem. 53. Deinde cum Iſraëlitae a perſecutione Philiſtaeorum rediiſſent, eorum caſtra diripuerunt. 54. David caput Philiſtaei Hieroſolymam detulit, arma vero ejus depoſuit in ſuo tentorio. d) 55. Cum Saulus Davidem videret exeuntem adverſus Philiſtaeum, quaeſivit ex Abnero, duce exer-

c) Hic verſus interrumpit ſeriem narrationis et aliis verbis modo dicit, quod in verſu antecedenti jam dictum erat. Non legitur in cod. Vat.

d) Hic verſus legitur quidem in cod. Vat., ſed repugnat illorum temporum hiſtoriae. Hieroſolymam tunc Jebuſitae tenebant, et quem in finem David caput Goliathi in hanc urbem detuliſſet? *Joſephus* (antiquitt. lib. VI. cap. 9. ſect. 5.) ad evitandam illam repugnantiam rem ſic narrat: Davidem caput Goliathi in tentorium ſuum reportaſſe, gladium autem Deo conſecraſſe.

ercitus, cujusnam filius esset ille juvenis? Hic vero per vitam regis juravit, se hoc nescire. 56. Tunc jussit, eum rex hac de re interrogare. 57. Deinde, cum David a caede Philistaei rediret, deduxit eum Abnerus ad Saulum, (caput Philistaei manu tenebat). 58. Hic eum interrogavit: Cujusnam filius es, adolescens? Respondit David: Filius Isaei Bethlehemitae. e)

CAPUT XVIII.

Jonathan fit amicus Davidis, quem propter virtutem suam et milites et aulici Sauli amant 1—5. Laudes publice ei datae invidiam Sauli in eum concitant, qui propterea vitae ejus insidiatur 6—19. Quod periculum cum evitavit, aliud ei struit ex matrimonio cum Michala, filia sua, sed hoc quoque virtute superat 20—30.

1. Postquam David cum Saulo collocutus erat, tantum in eum amorem Jonathan concepit, ut eum tanquam se ipsum diligeret. 2. Saulus autem inde ab hoc die eum apud se retinuit, neque ei ad paternam domum redire concessit. 3. Jonathan quidem intimam cum eo amicitiam iniit, quoniam eum tanquam se ipsum amabat. 4. Donavit ei pallium, quod ipse gestabat, nec non arma sua, gladium, arcum et balteum. 5. In expeditionibus, ad quas cum Saulus miserat, prudenter se gessit, igitur quoque ab eo parti copiarum a) est praefectus, omnino omnibus atque etiam aulicis Sauli placuit. 6. Accidit autem, cum redirent, postquam David Philistaeum interfecerat, ut mu-

e) Quis non haereat in his versibus? Saulus Davidem, armigerum suum, qui saepe eum cithara sua exhilaravit, non agnoscit; Abnero quoque, homini aulico, ignotus est. — Perquam ingeniosus sit, qui hujus ignorantiae causam probabilem (modo non ineptam, quam vulgo dari non ignoro) potest indicare. Non leguntur hi versus in cod. Vat.

a) Hebr. *viris belli.* Quod, nisi locus suspectus esset, de parte tantum exercitus esset explicandum. Nam Abner dux erat exercitus. Sed infra vers. 13. in loco genuino narratur, ducem mille militum Davidem a Saulo esse constitutum.

mulieres [b]) ex urbibus Iſraëliticis canentes et ſaltantes obviam venirent Saulo cum tympanis et triangulis laetitiae teſtandae cauſa 7. et alternatim canerent: Saulus mille, David decem millia percuſſit. 8. Qua de re Saulus vehementer iratus eſt, et valde ei carmen illud displicuit. Davidi, inquit, decem millia dederunt, mihi vero mille: modo regnum ei ſupereſt. [c]) 9. Inde ab hoc die Saulus Davidem limis oculis adſpiciebat. 10. Poſtridie morbo ſuo melancholico vexatus furebat in aedibus ſuis, tunc David pro more citharam pulſabat. Saulus haſtam manu tenens 11. abjiciebat eam in Davidem eo conſilio, ut eum parieti affigeret. Sed David iterata converſione jactum declinabat. 12. Hinc Saulus Davidem metuebat, cui Deus favebat, cum ipſe gratia divina excidiſſet. 13. Propterea quoque eum a ſe removit et praefectum mille militum fecit, quorum dux fuit in variis expeditionibus. 14. Sed in omnibus, Deo juvante, prudenter ſe geſſit. 15. Quod cum Saulus videret, eo magis eum timuit. 16. Omnes autem Iſraëlitae et Judaei Davidem amarunt, quoniam ducem eis ſeſe praebuit.

---

b) Cod. Vat. incipit ab his verbis: ותצאנה הנשים. Recte. Nam quae inde ab initio hujus capitis usque ad haec verba leguntur, pugnant cum his, quae ſequuntur. Si Saulus ipſe illo die, quo ex pugna redibant, invidiam erga Davidem concepiſſet, non tot in eum favoris et benevolentiae ſigna ostendiſſet.

c) Aeque ſuſpecta ſunt, quae inde ab his verbis ועוד לו אך המלוכה usque ad finem verſus 11. leguntur. Impetus Sauli in Davidem telo in eum projecto ſummum vitae periculum Davidi haud obſcure prodebat, propter quod etiam ſaluti ſuae proſpicit ex narratione genuina, quae infra cap. 19, 9. legitur. Sed ſecundum hiſtoriam hujus loci David haec non curat, manet in aula Sauli, tanquam ſi nihil ſibi ab ejus odio eſſet metuendum. — Sed omiſſis his verſibus, qui quoque in cod. Vat. non leguntur, ſequentia optime cohaerent.

buit. 17. Tunc Saulus Davidi dixit: Filiam meam natu majorem Merabam tibi dabo in matrimonium, modo virum fortem te praebe, et gere bella Jovae; verebatur enim ipse ei manum inferre, sed per Philistaeos eum casurum sperabat. 18. Respondit ei David: Quis ego, aut quae vitae meae est conditio, aut quae familia mea patria est inter Israelitas, ut gener fiam regis? 19. Sed cum tempus veniret, quo Davidi Meraba, Sauli filia, collocari debebat, data est Adrieli Mecholalitae in matrimonium. d) 20. Michal quoque, Sauli filia, amabat Davidem, quod cum Saulo esset indicatum, placuit ei res, 21. statuitque eam ei collocare, sed in ejus perniciem, ut nempe per Philistaeos caderet. et ei dixit: Jam in duabus fies meus gener. e) 22. Igitur mandavit *quibusdam* de aulicis suis, ut Davidi tecte demonstrarent, eum et regi carum esse, et amari ab aulicis omnibus. Quid? si gener regis fieret? 23. Illi, quibus hoc a Saulo mandatum erat, egerunt cum Davide hac de re. Sed hic eis respondit, num rem putarent adeo facilem, regis generum fieri? se quidem pauperem esse et humilioris conditionis. 24. Quae cum Saulo renunciassent,

d) Hi tres versus non solum, quoniam in cod. Vat. omittuntur, suspecti sunt, sed etiam propter factum ipsum, quod narratur. Offert nempe ex fide hujus scriptoris Saulus filiam suam Merabam Davidi ipse sine ambagibus et in versu 20. genuinae historiae alteram filiam Michalam per certos homines a se subornatos offert dubia adhuc conditione. De Meraba obtinenda David non dubitat, sed de Michala petenda vix audet spem concipere. Quis haec conciliet?

e) Haec verba non admittunt sanam explicationem. Nam בשתים quid sibi velit, nemo dixerit. *In duabus*, sc. filiabus meis, gener meus eris? Sed unam modo accipere poterat, altera jam elocata. Aut, *in duabus*, sc. conditionibus? Sed quaenam illae erant? — Quid multa? Non cohaerent haec neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus. Cod. Vat. quoque ea non habet.

ſent; 25. hic iterum eos juſſit ſic Davidi reſpondere: regem dotem aliam nullam cupere, niſi [f]) centum Philiſtaeorum praeputia, ut ultionem ſumat de hoſtibus ſuis. Sperabat autem, Davidem per Philiſtaeos caſurum eſſe. 26. Aulici Sauli cum rem ad Davidem retuliſſent, hic conditionem, qua regis gener fieret, lubenter accepit et ante terminum conſtitutum 27. abiit cum hominibus ſuis et occidit ducentos Philiſtaeos, quorum praeputia reportavit. Conditione ſic adimpleta dedit ei Saulus Michalam, filiam ſuam, in matrimonium. 28. Cum autem videret, Jovam ei adeſſe et Michalam, filiam ſuam, eum adamare, 29. magis adhuc ſibi ab eo timere coepit et per omnem vitam averſatus eſt. 30. David vero in omnibus bellis cum Philiſtaeis aliis Sauli ducibus prudentius ſe geſſit, ita ut magnam nominis famam conſequeretur.

CAPUT XIX.

Jonathan Davidem patri ſuo reconciliat 1—7., qui tamen mox denuo invidia impulſus ejus vitae inſidiatur, cui periculo fide conjugis ſuae Michalae effugit 8—17. Latet ad tempus apud Samuelem. Quo cum Saulus nuntios mitteret ad eum capiendum, primo hi furore prophetico agitantur, deinde ipſe quoque Saulus, cum ad eundem locum veniſſet. Quo facto David evadendi occaſionem conſequitur 18—24.

1. Tunc Saulus Jonathani, filio ſuo, et aulicis ſuis omnibus declaravit, velle ſe mortem Davidis. 2. Jonathan autem, qui Davidem valde amabat, hunc de hoc

f) Pro כִּי legendum eſt haud dubie כִּי אִם *niſi*, quod contextus h. l. requirit, et כִּי ſimpliciter poſitum alias non ſignificat. Sic quoque codd. orientales Judaeorum legunt, (*Cappellus* in crit. ſ. lib. III. cap. 17. n. 18.) et ſeptem codd. a *Kennicotto* citati.

hoc patris ſui conſilio certiorem fecit, ſuaſitque, ut ſibi caveret et ſequenti die ſe in campo abderet, 3. velle ſe cum patre ſuo ad eundem locum, in quo lateret, exire, ejusque cauſam apud patrem agere, et quid effeciſſet ei deinde indicare. 4. Igitur Jonathan cum Saulo, patre ſuo, bonam in partem de Davide locutus eſt: Noli, rex, inquit, culpam committere in Davide tibi dedito, qui non ſolum nihil contra te deliquit, ſed cujus opera quoque tibi admodum utilis fuit. 5. Siquidem cum praeſentiſſimo vitae ſuae periculo Philiſtaeum occidit, et inſignem Jova tunc victoriam Iſraëlitis conceſſit, quod ipſe vidiſti et de eo laetatus es; cur igitur caede temeraria, quam in Davide admitteres, peccares? 6. Saulus annuit Jonathanis precibus, et jurejurando per Deum immortalem *Davidis* ſecuritatem promiſit. 7. Tunc Jonathan Davidem advocavit et quae acta eſſent indicavit; poſtea eum ad Saulum introduxit, et ſic uti antea apud eum verſatus eſt. 8. Orto deinde iterum bello cum Philiſtaeis David eos magna clade affecit et in fugam convertit. 9. Tunc Saulus morbo ſuo melancholico vexatus domi ſuae ſedens et haſtam manu tenens, cum David citharam pulſaret, 10. voluit eum haſta parieti affigere. Sed hic ab eo declinavit, ut haſta parieti infigeretur, atque hac ipſa nocte fuga evaſit. 11. Miſit quidem Saulus homines quosdam, qui domum ejus obſervarent, ut ſequenti die ſupplicio afficeretur. Sed Michala, ejus conjux, eum certiorem fecit de praeſentiſſimo mortis periculo, in quo verſaretur, propter quod ei hac ipſa nocte fugiendum

eſ-

eſſet, 12. eumque demiſit per feneſtram. Sic fuga evaſit. 13. Michala vero penates poſuit in lecto, quorum capiti pilos caprinos applicavit, et pallio obtexit. 14. *Mane* Saulus miſit quosdam, qui Davidem caperent. Reſpondit Michala: eum aegrotare. 15. Tunc Saulus iterum miſit cum mandato, ut Davidem ipſi viderent, et, ſi *aegrotaret*, eum in lecto afferrent, ut eum interficeret. 16. Cum igitur nuncii venirent, viderunt ſimulacrum in lecto, cujus caput pilis caprinis erat obvelatum. 17. Saulus quidem Michalam reprehendit, quod ſe decepiſſet, hoſtique ſuo evadendi occaſionem dediſſet. Sed Michala ſe excuſavit, eum mortem ſibi eſſe minatum, niſi eum dimitteret. 18. David autem fuga elapſus venit ad Samuelem Ramam, eique narravit omnia, quae ſibi Saulus feciſſet. Tunc utrique ad tuguria [a]) *prophetarum*, quae prope Ramam erant, ſeſe receperunt. 19. Quod cum Saulo eſſet indicatum, 20. miſit nuncios, qui Davidem caperent. Sed hi cum viderent coetum prophetarum carmina ſacra canentium, quibus Samuel praeerat, ipſi quoque impetu extraordinario correpti canebant. 21. Saulus

a) Sub his נוות ſ. ניות, quae *οἱ ὁ* et Vulgatus male ut nomen proprium loci verterunt, nam alias de caſis paſtoritiis dicuntur, tuguria intelligo, in quibus prophetae illi, qui Samuelis diſciplina utebantur, conjunctim habitabant. Nam diſcipulos illos prophetarum una habitaſſe, plane apparet ex 2 Reg. 6, 1. ſqq., ubi de Eliſae diſcipulis idem narratur. — Caeterum placet conjectura *Michaelis*, Samuelem et Davidem ſe propterea ad haec loca recepiſſe, quod ſe in his tanquam in aſylo quodam tutos putarint a perſecutionibus Sauli. Nam ratio probabilis non apparet, cur Samuel Davidem non potius in aedibus ſuis, quas Ramae habebat, exceperit.

lus hac de re certior factus, misit alios nuncios, sed idem eis evenit, itemque tertiis, quos miserat. 22. Tunc ipse Ramam profectus est. Cum ad puteum magnum, qui Sechone est, venisset, interrogavit, ubi Samuel et David essent? Respondetur: eos esse in *prophetarum* tuguriis Ramae. 23. Quo cum abiret, in ipsa via statim furore illo prophetico est correptus, ut carmina sacra diceret, usque dum ad illa tuguria veniret, 24. quod etiam ibi praesente Samuele deposita veste superiore [b]) et humi prolapsus toto illo die totaque nocte continuavit. Tunc proverbium illud repetitum est: Num Saulus quoque inter prophetas? [c])

CAPUT XX.

Jonathan frustra tentat, Davidem patri suo reconciliare. Hinc pacto cum eo foedere perpetuae inter se et posteros suos amicitiae cum dimittit.

1. *Interea* [a]) David ex tuguriis *prophetarum*, quae Ramae erant, fugit et venit ad Jonathanem, apud quem his verbis conqueritur: Quid commisi? Cujus delicti aut sceleris in patrem tuum reus sum, quod vitae meae in-

---

b) Hebr. ערום *nudus* dicitur etiam de eo, qui vestem superiorem deposuit, Jes. 20, 2. Mich. 1, 8. Sic in N. T. γυμνός Matth. 25, 36. — Ceterum in his non miraculum subesse puto. Coetus hominum carmina adhibitis instrumentis musicis cantantium (cf. obs. ad cap. 10, 5.) facile hanc vim in aliorum animos habere potuit, ut missis omnibus aliis in similes affectus abriperentur. Vid. S. R. *Niemeyer* in characterist. p. IV. p. 104.

c) Cf. cap. 10, 12.

a) Nempe cum Saulus per integrum diem Ramae esset.

insidiatur? 2. Absit, inquit ille, ut moriaris. Nihil omnino neque magni neque parvi momenti facere solet pater meus, quod non mihi indicet, cur igitur hoc me celaret? Non est ita. 3. Tunc David insuper juravit et dixit: Novit pater tuus, te mihi favere; igitur non vult, ut tu hoc resciscas et doleas. At enimvero per Jovam immortalem et per vitam tuam! a morte vix unum passum aberam. 4. Quid igitur vis, inquiebat Jonathan, ut faciam? 5. Respondit David: Cras est novilunium, quo ego soleo regis epulis interesse. Patiare igitur me abesse: latebo in agro usque ad vesperam tertii abhinc diei. 6. Si me requiret pater tuus, dices, me a te veniam petiisse abeundi Bethlehemum, civitatem patriam, ibi enim sacrificium esse anniversarium totius cognationis. 7. Si approbabit, securus esse possum. Quodsi irascitur, scito, malum ab eo mihi esse decretum. 8. Tunc vero favorem tuum in me ostendas, rogo. [b]) Nam foedus mecum pepigisti, cujus testem Jovam invocavimus. Si quid vero in me delicti est, tu ipse me interfice, modo patri tuo ne me tradas. 9. Absit, inquit Jonathan, si certo cognovero, patrem meum intendere tuum interitum, quin te de eo faciam certiorem. 10. Quis vero, inquit David, mihi indicabit, si quid duri tibi responderit pater tuus? 11. Tunc Jonathan Davidi dixit: Exeamus in campum. Quo cum exiissent, 12. ille sic

b) Scilicet, ut eum de periculo certiorem faceret et salvum dimitteret, quod ex promissione Jonathanis, se hoc facere velle, apparet.

ſic infit: Jovam, Deum Iſraëlis, teſtor: [c]) me cras aut perendie exploraturum eſſe patrem meum, et ſi intellexero, eum bene erga te eſſe animatum, me miſſurum eſſe, qui te de eo faciat certiorem. 13. Sed eundem Jovam teſtor, ſi malum tibi intendat pater meus, id quoque me velle tibi indicare, teque ſecure eſſe dimiſſurum. Adſit tibi Jova, quemadmodum patri meo adfuit. 14. *Tunc* ſi in vivis adhuc fuero, favorem ex jurejurando mihi exhibebis. [d]) Si vero mortuus fuero, 15. non ſubtrahes benevolentiam tuam meis unquam, ne tunc quidem, quando Jova omnes hoſtes tuos e medio ſustulerit. 16. Sic foedus pepigit Jonathan cum familia Davidis, poenas repetat Jova, *inquiens*, ab omnibus Davidis hoſtibus. [e]) — 17. Deinde denuo jurejurando Davidi confirmavit, [f]) pro magno ſuo in eum amo-

---

c) *Οἱ ὁ* ſupplent *οἶδεν*, et Syrus: *teſtis eſt.*

d) In hoc verſu videtur errore ſcribarum וְלֹא irrepſiſſe. Non legerunt hoc Graeci interpretes et Vulgatus. Syrus legit: וְלוּ *o utinam!* Sed ſic ſequentia non bene cohaerent. Manifeſta eſt oppoſitio in עֹדֶנִּי חַי et אָמוּת et Jonathan dixiſſe videtur: Si vivam, mihi parces; ſi moriar, parces meae familiae. Cf. *Hubigantius.*

e) Hunc verſum non intelligo. Locus haud dubie corruptus, ut alia in tota hac pericopa, ex verſionibus tam parum tuto, quam ex conjectura reſtituenda.

f) Neque hujus verſus verba priora ſana videntur. Pro infinitivo Hiphil לְהַשְׁבִּיעַ *adjurare* puto legendum eſſe infinitivum in Niphal הִשָּׁבֵעַ, partim, quoniam praecedit וַיֹּסֶף *addidit*, h.e. iterum Jonathan jurejurando affirmavit, ſc. ſe facturum eſſe, quod Davidi antea promiſerat; partim propter ſequentia: *pro amore ſuo in eum amabat eum ut ſe ipſum.* Quae ſane non cohaerent cum priore membro, ſi hoc vertatur: Jonathan jurejurando

amore; amabat enim eum tanquam se ipsum, 18. eique dixit: Cras est novilunium, et tu desideraberis sede tua vacante, 19. idque multo magis tertio die. [g]) Eo igitur die; quo res peragetur, veni in hunc locum, ibique te abde et morare prope istum lapidem. [h]) 20. Tunc ego tres sagittas jaculabor versus istud latus, quasi eas ad scopum emitterem, 21. et mittam puerum ad eas colligendas. Cui si dixero: Sagittae sunt citra te horsum, tolle eas; tu veni, nam res tua salva est, nec ullum est periculum, Jovam immortalem testor. 22. Sed si puero dixero: Sagittae sunt ultra te; abito, Deus ita decrevit. 23. At quae inter nos acta sunt, horum testis erit Jova in perpetuum. — 24. Latuit igitur David in agro. Novilunio rex consedit ad epulas 25. in loco suo consueto ad parietem, [i]) deinde [k]) Jonathan ei ad

rando obstrinxit Davidem, ut illa, quae ab eo petierat, promitteret *pro amore suo in eum*, etc. Quis enim ab altero jusjurandum exiget amore in eum permotus?

g) Pro תֵּרֵד מְאֹד *descendes valde*, Chaldaeus; Syrus et Arabs legerunt תִּפָּקֵד מְאֹד *multum desideraberis*. Quorum lectionem in versione expressi.

h) Hebr. אֶצֶל הָאֶבֶן הָאֵזֶל. LXX et Syrus vertunt tanquam si legissent הַלָּז *παρὰ τῷ λίθῳ ἐκείνῳ*. Alii ut nomen proprium. Sic Vulgatus: *juxta lapidem, cui nomen est Ezel.*

i) Ut in loco honoratiori, ex more orientalium; cf. *Harmari* observatt. orient. p. II. p. 66.

k) Pro וַיָּקָם legendum est וַיֵּשֶׁב, aut saltim hoc supplendum est contextu sic postulante, cum non probabile sit, filium regis stetisse, sedente Abnero. Sic quoque *Josephus* narrat lib. IV. cap. 14., Jonathanem Saulo ad dextram, Abnerum ad sinistram sedisse. Syrus refert illud וַיֵּשֶׁב, quod in textu habemus, ad Jonatha-

ad dextram, Abner *ad ſiniſtram* accubuerunt. Sic ſedes Davidis vacabat. 26. Saulus tamen hoc die nihil dixit, exiſtimans, eum caſu fortuito impurum eſſe. 27. Sed poſtridie ſecundo menſis die, cum iterum Davidis ſedes vacaret, interrogavit Jonathanem: Cur filius Iſaei neque heri neque hodie convivio intereſt? 28. Reſpondit Jonathan: Petiit a me, ut ipſi concederem Bethlehemum abire, 29. peragi ibi ſacrificium familiae ſuae, cui ut intereſſet fratrem juſſiſſe. Enixe me rogavit, ut ſibi discedendi fratresque inviſendi poteſtatem facerem. Propterea non venit ad menſam regiam. 30. Tum Saulus ira in Jonathanem incenſus dixit: O peſſime et perverſae indolis fili! num ego ignorem, te filium Iſaei amare in tuam et in ſummam matris tuae ignominiam? 31. Quamdiu enim filius Iſaei in vivis eſt, neque tu, neque regnum tuum ſtabilietur. Mitte igitur, qui eum arceſſant, nam mortem commeruit. 32. Reſpondit Jonathan Saulo, patri ſuo: Cur morietur? Quid commiſit? 33. Hic Saulus haſtam ad eum percutiendum projecit, ex quo Jonathan intellexit, patrem ſuum mortem Davidis certo decreviſſe. 34. Propterea gravi ira commotus a menſa ſurrexit, neque illo ſecundo menſis die cibum ſumſit, tum quod Davidis vicem doleret, tum quod a patre ſuo eſſet ignominia affectus. 35. Mane egreſſus eſt in agrum ad locum Davidi di-

---

thanem: *et ſurrexit Jonathan et accubuit, et Abner ad latus Sauli*, ſc. accubuit. Is igitur legit וְאַבְנֵר. Aliam lectionem exhibent *οἱ ὁ, καὶ προέφθασεν τὸν Ἰωνάθαν*, ſc. Saulus. Legerunt וַיַּקְדֵּם pro וַיָּקָם ſenſu quoque aptiſſimo. Sic enim diceretur: Saulum tantum anteceſſiſſe Jonathanem, ſive hunc proxime poſt eum conſediſſe.

dictum; et secum sumsit puerum parvum. 36. Hunc jussit currere et colligere sagittas, quas sit jaculaturus. Currit igitur puer et ille ultra eum sagittas jaculatus est. 37. Cum vero ad dimidium [1]) illius loci, ad quem Jonathan jaculatus fuerat, venisset, hic ei acclamavit: Sagittae sunt ultra te, 38. iterumque addidit: Festina celeriter, ne subsiste. Collegit igitur puer sagittas et venit ad herum suum, 39. totius rei prorsus ignarus, Jonathane tantum et Davide ejus consciis. 40. Tum dedit Jonathan arma sua puero, jussitque ea in urbem referre. 41. Quo cum puer abiisset, David e loco meridionali prodiit, se in terram abjecit et ter submisse *Jonathanem* veneratus est. Uterque alterum deosculati collacrimarunt, sed David vehementius. 42. Tandem Jonathan Davidi dixit: Abi in pace; quae nos mutuo nobis per Jovam juravimus, hunc testem esse debere aeternum inter me et te, inter meos et tuos posteros, haec rata sunto.

CAPUT XXI.

David fugit Nobam ad Achimelechum sacerdotem, a quo per mendacium panes sacros et gladium Goliathi accipit 1—10., hinc ad Achisum, Gathae regem. Ibi cum se parum tutum arbitretur, amentiam simulat, propter quam dimittitur 11—16.

1. Jonathan rediit in urbem, 2. et David Nobam venit ad Achimelechum sacerdotem. Hic perterritus ei oc-

1) Pro חֲצִי recte, uti arbitror, *Michaelis* conjectavit, legendum esse חָצִי *dimidium*. Nam si puer jam ad locum, ubi sagittae erant, pervenisset, Jonathan ei acclamare non potuisset, sagittas ultra eum esse.

urrit; et dicit: Quid tu solus sine comite? 3. Rendet David: Rex mihi negotium quoddam manda-, et simul praecepit, ne quis, cujus causa aut quo us essem, resciret. Igitur famulis meis certum uem locum assignavi. [a]) 4. Jam vero si habes panes uot, forte quinque, da mihi, aut si qua alia tibi supınt. 5. Non habeo mecum, inquit sacerdos, panem sanum, sed tantum sacrum, si modo famuli a muibus se abstinuerint. 6. Tum David sacerdoti, Imo o, inquit, a mulieribus tribus diebus antequam proscerer, separati fuimus, impedimenta quoque salorum sacra sunt, etsi quoque iter ipsum profanum [b]) tamen per illa sanctificatur. 7. Igitur dedit ei sados panes sanctos, quoniam tum quidem alii non adnt, quam panes illi appofititii sublati e loco sacro ipso die, ut pro eis recentes imponerentur. (8. Ibi c forte sacrorum causa degebat aliquis de aulicis Saunomine Doëg, Edomita, princeps pastorum.) 9. Por-David Achimelecho dixit: Habesne hic hastam aut glam? Nam neque gladium meum, neque *reliqua* armecum sumere poteram, adeo urgebat mandatum is. 10. Respondit sacerdos: Gladius Goliathi, Phiei filius, quem tu in valle terebinthorum interfei, panno involutus est inter vestes sacras, hunc si ere vis; capias. Alius enim praeter hanc hic quidem

---

) Sc. ubi me exspectent. Pro יוֹדַעְתִּי fortasse legendum est יוֹצַוְתִּי. Sic Vulgatus legisse videtur, qui vertit *condixi*. Etiam *οἱ ὁ* Ain ante Daleth legisse videntur, sed ab עוד derivasse; habent enim *διαμεμαρτύρημαι*.

) H. e. profani negotii causa susceptum est, tamen omnia vasa s. impedimenta, in quibus panes servantur, sancta sunt.

dem non adeſt. Similis ei non eſt, inquit David, da mihi eum. 11. Hinc David in fuga a Saulo venit ad Achiſum, regem Gathenſem. 12. Aulici ejus ei dicebant: Hic eſt David, rex terrae *Iſraëliticae*; hic eſt is, de quo alternis choris canebant: Saulus mille, David decem millia percuſſit. 13. Hos ſermones David ſecum perpendens, ſibi ab Achiſo, Gathenſi rege, valde metuit. 14. Propterea geſtum ſuum illis praeſentibus mutavit, et ſe inſanire ſimulavit, dum januas characteribus ſignabat et ſalivam in barbam emittebat. 15. Hic Achiſus aulicis ſuis dixit: Videtis, hominem mente captum eſſe, quid eum ad me introduxiſtis? 16. Num deſunt mihi inſani, ut hunc inducatis, qui apud me deliret? Non debuiſſet hic admitti.

CAPUT XXII.

David fugit in ſpeluncam Adullam, quo tum familia ejus, tum quadringenti alii adverſa fortuna preſſi conveniunt, quibus ſe ducem praebet 1—5. Doëg Saulo narrat, Achimelechum dediſſe Davidi panes et gladium Goliathi. Propterea ille hunc et octoginta alios ſacerdotes ut conjurationis reos trucidari jubet oppidumque Nobam funditus everti 6—19. Unus Achimelechi filius, Abjathar, fuga evadit ad Davidem 20—23.

1. David igitur hinc discedens evaſit in ſpeluncam Adullam. Quod cum propinqui ejus et tota domus paterna audiiſſent, eo ſe quoque contulerunt. 2. Praeterea multi adverſa fortuna preſſi, aut obaerati, aut male affecti ad eum confluxerunt, quibus ſe ducem praebuit. Quorum fuerunt circiter quadringenti. 3. Hinc disceſſit Mizpam regionis Moabiticae, atque a rege Moabi-

abitarum petiit, [a]) ut parentibus ſuis permitteret, apud eos commorari, donec videret, quo Deus res ſuas converteret. 4. Igitur cum eos apud regem introduxiſſet, vixerunt apud eum, quamdiu David in illa *Mizpa* munitione erat. 5. Deinde vero propheta Gad eum admonuit, ne diutius ibi maneret, ſed rediret in terram Judaicam. Igitur David ſe contulit in ſilvam Chereth. 6. Saulus, ubi audivit, Davidem cum hominibus ſuis viſum eſſe, ſedebat ſub tamariſco in loco edito, haſtam manu tenens, et aulicorum ſuorum omnium comitatu ſtipatus. 7. Tunc his verbis eos allocutus eſt: Audite me, Benjaminitae! num Iſaei filius vobis agros dabit et vineas? Num vos tribunos et centuriones conſtituet? 8. Cur igitur omnes contra me conſpiraſtis? Nec quisquam mihi indicavit, filium meum cum Iſaei filio foedus pepigiſſe. Non eſt, qui vicem meam doleat, aut me certiorem faciat de eo, quod filius meus ſubditum meum incitet, mihi inſidiari, quod eſt manifeſtum. 9. Hic Doëg Edomita, qui et ipſe tunc inter alios Sauli aulicos aderat, reſpondit: Equidem vidi Iſaei filium Nobam venire ad Achimelechum, filium Achitubi. 10. Hic pro eo Jovam conſuluit, dedit ei viaticum et gladium Goliathi Philiſtaei. 11. Tum miſit rex, qui arceſſerent Achimelechum, Achitubi ſacerdotis filium, omnemque ejus familiam paternam, ſacerdotes Nobae degentes. Qui cum adeſſent, Saulus eos hunc in modum eſt allocutus:

a) Quoniam ipſe David Moabiticae erat originis, ex Rutha Moabitide. Cf. Ruth 4, 17. ſqq.

tus: 12. Audi, fili Achitubi. Audio, inquit hic, domine. 13. Cur, pergebat ille, conjuraſtis contra me, tu et filius Iſaei? Dediſti ei panes et gladium, et conſuluiſti pro eo Deum, ut mihi inſidiaretur, quod eſt certiſſimum. 14. Reſpondit Achimelechus regi: Quis vero omnium tuorum tam fidelis eſt, quam David? Praeterea gener tuus, ex mandato tuo profectus, et magni habitus a tuis. 15. Num hodie demum incepi pro eo Deum conſulere? Abſit hoc a me. Noli mihi, rex, aut paternae familiae quidquam imputare, nam nihil omnino de tota re, ne minimum quidem mihi cognitum fuit. 16. At rex, Moriendum tibi eſt, inquit, Achimeleche, tibi omnibusque, qui ſunt domus tuae paternae. 17. Simul jubet ſatellites, qui adſtabant, interficere ſacerdotes Jovae, quod hi quoque cum Davide facerent, et, quanquam noviſſent, eum fugere, tamen hoc ſibi non indicaſſent. Sed recuſarunt ſatellites regii, manum inferre Jovae ſacerdotibus. 18. Tum rex Doëgum juſſit eos aggredi atque occidere, quod hic etiam fecit atque illo die quinque et octoginta ſacerdotes trucidavit, omnes veſtitu lineo indutos. 19. Praeterea Nobam oppidum ſacerdotale gladio evertit, occiſis in eo viris et feminis, pueris et lactentibus, bubus, aſinis et ovibus. 20. Evaſit tamen unus ex filiis Achimelechi, filii Achitubi, nomine Ebjathar, ad Davidem, 21. eique narravit, Saulum Jovae ſacerdotes interfeciſſe. 22. Reſpondit David Ebjathari: Noveram, Doëgum Edomitam adeſſe, idque Saulo eſſe renunciaturum; equidem cauſa ſum mortis familiae tuae paternae. 23. Mane apud me,

nec

nec quidquam metue. Tuae ſaluti aeque ac meae proſpiciam, tuique curam geram.

CAPUT XXIII.

David Kegilam a Philiſtaeis obſeſſam liberat, ſed a Deo admonitus, oppidanos ipſum Saulo eſſe prodituros, hinc migrat in deſertum Siph 1—15. Hic Jonathan eum convenit et veterem amicitiam renovat 16—18. Incolae iſtius deſerti prodere volunt Davidem Saulo. Sed hic, cum fere in eo eſt, ut Davidem capiat, avocatur 19—28.

1. Cum Davidi nunciatum eſſet, Philiſtaeos Kegilam oppugnare atque horrea diripere, 2. interrogavit Jovam, num deberet eos aggredi et profligare? Reſpondit Jova: iret, fore enim, ut Philiſtaeos vinceret et Kegilam liberaret. 3. Sed copiae Davidis dicebant, ſe hic in Judaea ſibi metuere, multo minus ſe Kegilam poſſe adire et caſtra Philiſtaeorum aggredi. 4. David iterum Jovam conſuluit, qui tum juſſit eum Kegilam proficiſci, quod ei Philiſtaeos ſit traditurus. 5. Igitur profectus eſt cum exercitu ſuo Kegilam, et manum conſeruit cum Philiſtaeis. Quos magna clade affecit, pecus eorum abegit, atque Kegilanos liberavit. (6. Cum Ebjathar, Achimelechi filius, ad Davidem confugiſſet, eum Kegilam quoque comitatus eſt, [a]) atque

a) Secutus ſum interpretes Graecos qui veram lectionem nobis ſervaſſe videntur. Nam textus Hebraeus habet: *cum fugiſſet Ebjathar, Achimelechi filius,* אֶבְיָתָר בֶּן־אֲחִימֶלֶךְ בָּרַח אֶל־דָּוִד קְעִילָה אֵפוֹד יָרַד בְּיָדוֹ *ad Davidem Kegilam ephodum ſecum ſumſerat.* Quae repugnant antecedentibus. Nam Ebjathar ad Davidem confugerat, antequam hic Kegilae liberationem ſuſciperet. Sed *oi é* ſup-

que ephodum secum sumserat.) 7. Saulo indicatur, Davidem Kegilam venisse. Tum ille existimavit, Deum ipsum eum sibi tradidisse, quod oppidum esset ingressus portis et repagulis clausum. 8. Atque omnes copias coëgit, ipse Kegilam profecturus, et Davidem cum hominibus suis obsessurus. 9. Sed David intellexit, Saulum mala sibi machinari, propterea jussit Ebjatharem sacerdotem ephodum adhibere, 10. atque in hunc modum interrogavit: O Jova, Israëlitarum Deus, audio, Saulum Kegilam velle aggredi atque oppidum mea causa destruere. 11. Num me tradent oppidani Saulo? Num veniet, quemadmodum ego audivi? O Jova, Deus Israëlitarum, indica, quaeso, hoc mihi. Respondit Jova: Veniet. 12. Tum iterum David: Num tradent oppidani me meosque Saulo? Respondit Jova: Tradent. 13. Tum David et milites ejus, quorum erant circiter sexcenti, oppido egressi discesserunt, quo forte eos fortuna ferebat. Quod cum Saulo esset nunciatum, expeditionem omisit. 14. David vero commoratus est in locis inaccessis deserti, inprimis in tractu montano deserti Siph. Saulus quidem eum perpetuo persequebatur, sed Deus nunquam eum tradidit. 15. Propter has Sauli persecutiones cum David in silva solitudinis Siphensis degeret, 16. Jonathan, Sauli filius, eum in illa silva invisit, atque ad fiduciam in Deo ponendam cohortatus est. 17. Noli timere, inquiebat, non venies in

supplent, quae desunt, et lectionem exhibent praecedenti historiae convenientem: *Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ φεύγειν Ἀβιάθαρ, υἱὸν Ἀχιμέλεχ, πρὸς Δαυὶδ, καὶ αὐτὸς μετὰ Δαυὶδ εἰς Κεῖλὰ, κατέβη ἔχων ἐφοὺδ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.* Miror, reliquos interpretes cum lectione recepta consentire.

in potestatem Sauli, patris mei. Rex fies Israëlitarum, tum ego secundus a te ero, idque pater meus bene novit. 18. Tum uterque foedus, jurejurando per Jovam interposito, inierunt. Quo facto, Jonathan domum rediit, David autem mansit in silva. 19. Siphenses vero venerunt ad Saulum Gibeam, eique indicaruut, Davidem apud se latitare in locis inaccessis silvae, in colle Chachila, qui sit ad dextram solitudinis *Arabicae*. 20. Jam posse regem pro lubitu venire, se quidem promittere, eum regi tradere. 21. Respondit Saulus: Jova vobis faveat, quod mei misereamini. 22. Ite modo atque instruite rem amplius, diligenter explorate loca, ubi sit, et quis eum ibi viderit, (nam audio, hominem esse admodum callidum,) 23. investigate studiose omnia ejus latibula, in quibus sese solet abscondere, et re comperta ad me revertimini, tunc vobiscum proficiscar, et si modo in hac regione est, ego eum per omnes Judaeae praefecturas investigabo. 24. Illi igitur Sipham ante Saulum discesserunt, (David autem cum hominibus suis erat in deserto Maone in planitie ad dextram solitudinis Arabicae,) 25. qui deinde ipse cum copiis ad Davidem persequendum profectus est. Hic de adventu Sauli certior factus descendit ad rupem, seque ad desertum Maonem recepit. Quod cum Saulus audisset, eo quoque Davidem persecutus est. 26. Saulus unum montis latus obibat, et David cum suis hominibus alterum. Hic quidem festinabat, ut Saulo effugeret, sed milites Sauli eum cingebant, et jam in eo erat, ut cum hominibus suis caperetur, 27. cum nuncius veniret ad Saulum, sine mora redeun-

eundum esse, quod Philistaei terram irrupissent. 28. Igitur Saulus a persequendo Davide conversus obviam ivit Philistaeis. Hinc locus ille vocatus est petra evasionis. b)

CAPUT XXIV.

Saulus a Philistaeis reversus denuo Davidem persequitur. In spelunca quadam, in qua hic latebat, venit in vitae periculum. Sed David ei parcit 1—8. Quem Davidis in se amorem miratur et jusjurandum ab eo exigit, ut posteris suis aliquando parcat. Quo praestito pacatus redit 9—23.

1. David illinc digressus commoratus est in locis inaccessis deserti Engeddi. 2. Quod cum Saulo, qui ab expeditione in Philistaeos redierat, nunciatum esset: 3. coëgit tria millia lectissimorum hominum ex omnibus Israëlitis, quibus Davidem comitesque ejus persequeretur per rupes ibicum. 4. Cum ad caulas ovium, quae sunt in illa via, venisset, ingressus est speluncam illius loci, ut dormiret. a) David vero cum comitibus suis in interioribus partibus ejusdem speluncae erat. 5. Hi eum hortabantur, ut uteretur opportunitate, quam ipse Jova ostenderet, cum hostem ei traderet, cui, quod luberet, faceret. Tunc David subrepit, et oram penulae Sauli clam abscidit. 6. Verum et propter id ipsum animo anxius fuit David, 7. atque comitibus suis dixit: Avertat hoc a me Jova, ut hoc committam in dominum meum,

b) Hebr. סֶלַע הַמַּחְלְקוֹת a חלק *glaber fuit*, hinc *effugere*, *sese subtrahere*. Ex hac significatione verbi rariori explicandus quoque est locus Jerem. 37, 12.

a) Hebr. *ut pedes suos tegeret*. Cf. observ. ad Jud. 3, 24.

meum, unctum Jovae, ut manum ei inferam. 8. Hujusmodi verbis David suos coribuit, neque eis permisit, ut Saulum invaderent. Hic deinde e spelunca discessit viam suam continuaturus. 9. Sed tunc David quoque prodiit, et Saulum clamore est insecutus: Mi domine rex! Cum Saulus respiceret, David eum prono ad terram vultu submisse salutavit, 10. et dixit: Cur credis dictis quorundam, qui tibi persuadent, me malum tuum machinari? 11. En! hoc ipso die potes plane intelligere, Jovam te in manus meas tradidisse in ista spelunca. Nec defuerunt, qui mortem tuam suaderent. Sed ego tibi peperci, et negavi, me manum immissurum esse domino meo, qui sit unctus Jovae. 12. Adspice, mi pater, adspice oram penulae tuae in manu mea. Quam cum absciderim, neque te interfecerim, potes certo intelligere, me ab omni malo esse alienum, me non esse in te rebellem, nec aliud scelus admisisse, et tamen tu vitam meam insectaris. 13. Judicet Jova inter me et te, meque in te ulciscatur. Ego quidem tibi manum non inferam. 14. Secundum id, quod in proverbio antiquo dicitur: a fontibus prodit scelus, ego nunquam tibi manum inferam. 15. Cui tandem Israëlitarum rex bellum infert? Quem persequeris? Canem mortuum, pulicem unum. 16. Sit Jova judex inter me et te, is litem meam cognoscat et dirimat, meque a te defendat. 17. Quae cum David dixisset, Nonne haec tua vox est, mi fili David, inquit Saulus, et flere coepit. 18. Tu justior es me, qui mihi bonum rependeris, cum ego malum tibi repénderem. 19. Tu quidem hodie probasti, te mihi favere, quod me non occi-

di-

difti, licet Jova me tibi tradidiffet. 20. Quis enim hofte fuo potitus eum falvum dimittet? Jova tibi remuneretur beneficium, quo me hodie affecifti. 21. Equidem novi, te regem futurum, regnumque in Ifraëlitas obtenturum. 22. Jura igitur mihi per Jovam, te pofteros meos non effe exftirpaturum, nec nomen meum e familia paterna deleturum. 23. Juravit David Saulo, quo facto hic domum rediit, ille vero cum hominibus fuis ad loca montuofa fe recepit.

CAPUT XXV.

Samuel moritur. David in deferto Parane degens Nabalis inhumanitate offenfus vindictam contra eum parat 1—13.; fed prudentia Abigailae, uxoris Nabalis, placatur 14—35. Nabale mortuo David Abigailam uxorem ducit, et praeter eam quoque Achinoamam in locum Michalae 36—44.

1. *Eodem circiter tempore* [a]) mortuus eft Samuel. Ifraëlitae omnes congregati eum luxerunt et fepelierunt in aedibus fuis Ramae. — David autem in defertum Paran discefferat. 2. Tunc vir quidam vixit Maone, cujus res tamen potiffimum erant Carmeli. [b]) Fuit autem admodum dives. Habuit ovium tria millia et mille caprarum. 3. Nomen hujus viri fuit Nabal, conjugis vero Abigail, quae tam prudens erat quam pulcra. Vir autem erat durus et malis moribus, e genere Calebi. 4. David in deferto audierat, Nabalem oves fuas tonde-

a) Quod ex ordine chronologico, quo liber fcriptus eft, fit probabile.

b) Carmel h. l. non eft nomen montis, qui fuit in tribu Afer, fed urbis in tribu Juda. Cf. cap. 15, 12. Jof. 15, 55.

dere. 5. Misit igitur decem famulos, quos jussit Carmelum proficisci et Nabalem suo nomine salutare, 6. et dicere: Tu, familia tua tuaque omnia semper sitis felices! 7. Audivi, te tonsores habere. Jam pastores tuos, qui nobiscum versati sunt, nunquam injuria affecimus, neque quidquam illis amissum est, quamdiu Carmeli fuerunt. 8. Quaere modo ex famulis tuis, qui id ipsum fatebuntur. Igitur praebe te meis benignum, nam fausto die venimus. Largiare, quaesumus, nobis et Davidi, amico tuo, quidquid tibi commodum fuerit. 9. Venerunt famuli Davidis ad Nabalem, et postquam mandata sua apud eum exposuerant, 10. hunc in modum eis respondit: Quis est David, et quis est filius Isaei? Jam quidem multi sunt servi fugitivi a dominis suis. 11. Scilicet ego panem meum, aquam et quae tonsoribus meis mactavi, dabo hominibus mihi prorsus ignotis. 12. Sic discesserunt famuli Davidis, atque ad eum reversi narrarunt omnia. 13. Tum David jussit milites, ut se gladiis accingerent. Quod postquam cum illi tum ipse fecerat, profecti sunt cum eo circiter quadringenti, ducenti manserunt apud impedimenta. 14. Interea Abigailae, conjugi Nabalis, servorum aliquis indicavit, Davidem misisse nuncios ex deserto, qui gratularentur hero suo, sed hunc vehementer in eos esse invectum; 15. et tamen homines illos sibi valde utiles fuisse, nunquam se ab eis laesos esse, nec quidquam sibi defuisse, quamdiu cum eis vixissent; 16. instar muri sibi fuisse diu noctuque, quamdiu cum illis oves pavissent. 17. Igitur ipsa consideraret et videret, quid faciendum esset, certissimam perni-

niciem imminere hero ſuo et toti ejus familiae; eum vero nimis eſſe ferocem, quam ut admonitionem admitteret. 18. Tum Abigail ſumſit ducentos panes, duos vini utres, quinque oves paratas, quinque ſata fabarum toſtarum, centum uvas paſſas et ducentas palathas ficuum. Quae omnia aſinis impoſuit, 19. juſſitque famulos ſuos praecedere, ſe eſſe ſecuturam. Marito vero ſuo Nabali nihil dixerat. 20. Illi igitur aſino vectae, cum per latera montis deſcenderet, David cum militibus ſuis obviam venit. (21. David autem [c]) dixerat: Itane ego fruſtra ſervavi omnia, quae iſte in deſerto habebat, ita ut nihil omnino perdiderit de ſuis, et jam mihi malum pro bono rependat? 22. Sic puniat Deus inimicos meos; uti ego iſti ne canem quidem relinquam in craſtinum.) 23. Cum Abigail Davidem videret, propere de aſino deſcendit et coram eo prono ad terram vultu ſe abjecit, 24. et ſic ad pedes ejus prolapſa inſit: In me, domine, omnis culpa ſit. Permitte, ut apud te loquar, mihique aures praebe benignas. 25. Noli animum advertere, domine, ad peſſimum iſtum hominem, ad Nabalem, nomini ſuo plane reſpondentem. Stultus vocatur, et eſt quoque ſtultiſſimus. Ego vero non vidi famulos tuos, quos miſiſti. 26. Jam vero, domine, per vitam Jovae et per vitam tuam, ipſe Jova te prohibuit, quo minus caedem committeres, aut te ipſum ulciſcerere. Sint omnes hoſtes tui et qui malum tibi intendunt ſimiles Nabali. [d]) 27. Permitte, ut munusculum, quod tibi hic offero, distributatur

c) Vel domi, vel in itinere.

d) H. e. a te non timendi, ſ. ira tua indigni.

tur inter juvenes, qui te ſequuntur. Condona, quaeſo, mihi hoc peccatum. 28. Si Jova fortunam tuam, ſtabilierit, tunc ſi bella Jovae geres, immunis eris ab omni culpa unquam commiſſa. 29. Si quis te perſequatur aut vitae tuae inſidietur, ſit anima tua colligata faſciculo viventium apud Jovam, Deum tuum; hoſtium autem tuorum animae fundae impoſitae ex eo projiciantur. 30. Quodſi tandem Jova, mi domine, tibi praeſtiterit bona promiſſa, teque principem Iſraëlitarum conſtituerit, 31. non te inquietabit aut offendet memoria ſanguinis a te effuſi aut ultionis ſumtae. Jova tibi beneſaciet et tu *horum, quae dixi,* recordaberis. 32. Ad haec David Abigailae reſpondit: Gratias ago Jovae, Iſraëlitarum Deo, qui te hodie mihi obviam miſerit. 33. Laudo tuam prudentiam, tibique gratias perſolvo, quae me prohibuiſti, ne caedem patrarem, aut memet ipſum ulciſcerer. 34. Nam Jovam, Deum Iſraëlitarum immortalem, teſtor, qui me cohibuit, ne tibi damnum inferrem, niſi mihi propere obviam veniſſes, non canis relictus eſſet Nabali ad lucem matutinam. 35. Tunc accepit David ab ea, quae obtulerat, eique dixit: Abi in pace domum tuam, conceſſi precibus tuis, tuique rationem habui. — 36. Rediit igitur Abigaila ad Nabalem, qui in aedibus ſuis convivium paraverat plane regale, animo erat laeto et valde ebrius. Propterea nihil prorſus ei ante ſequentem diem dixit. 37. Poſtridie autem, poſtquam vinum exhalarat, indicavit ei omnia, quae accidiſſent. Tunc ille obſtupuit et lapidis inſtar diriguit, 38. decimoque circiter die poſt judicio divino ſublatus mor-

mortuus eſt. 39. Quod cum David audiret, Gratias ago, inquit, Jovae, qui cauſam meam egit et opprobrium a Nabale mihi illatum vindicavit, eique malum, quod commeruerat, rependit, me vero a ſcelere prohibuit. Deinde miſit quosdam ex famulis ſuis, qui cum Abigaila de matrimonio cum ea conciliando agerent. 40. Poſtquam illi ad eam Carmelum venerant et mandata ſua expoſuerant, 41. humi ſeſe abjecit et reſpondit: ſe paratam eſſe veluti ancillam lavare pedes ſervorum domini ſui. 42. Neque diu morata eſt, ſed aſino vecta cum quinque pediſſequis eam comitantibus nuncios Davidis eſt ſubſecuta, eique matrimonio juncta. 43. *Praeter eam* David quoque Achinoamam ex Jesreele duxerat, quas ambas habuit uxores. 44. Nam Saulus Michalam, ſuam filiam, Davidis conjugem, collocaverat Phaltaeo, Laiſi filio, e Gallimo.

CAPUT XXVI.

Siphenſes iterum Davidem Saulo produnt. Hic contra Davidem in colle caſtra ponit, quae David noctu ingreditur et ablata haſta Sauli et patera redit, parcens ejus vitae 1—12. Quo facto ex loco oppoſito exprobrat Saulo ſuſpicionem in ſe injuſtam, quam Saulus etiam agnoſcit et pacatus redit 13—25.

1. Deinde Siphenſes *iterum* [a]) venerunt ad Saulum Gibeam, eique indicarunt, Davidem latere in colle Chakila e regione deſerti Arabici. 2. Tunc Saulus profectus eſt cum tribus millibus lectiſſimorum militum ad Davidem in ſolitudine Siphenſi perveſtigan-

a) Cf. cap. 23, 19.

gandum, 3. castraque in colle Chakila posuit, qui est e regione viae ad desertum Arabicum. David confederat in solitudine, et vidit, Saulum se eo insequi. 4. Ex exploratoribus etiam cognovit, Saulum haud dubie venisse. 5. Tunc ipse contendit ad locum, ubi Saulus castra habebat, et observavit Saulum et Abnerum, Neri filium, ducem exercitus, cubantes. [b]) Saulus intra munitiones cubabat, cinctus circumquaque a militibus. 6. Hic David ex Achimelecho Hethita et Abisaeo, Serujae filio, Joabi fratre, quaesivit: uter secum descendere vellet ad Sauli castra. Abisaeus respondit, se velle cum eo descendere. 7. Igitur utrique ad exercitum noctu venerunt, et viderunt Saulum cubantem et dormientem intra munitiones, hasta ejus terrae infixa erat ad caput. Abner autem cum militibus circa ipsum etiam cubantes. 8. Tunc Abisaeus Davidi dixit: Jam quidem Deus hostem tuum tibi tradidit. Si vis, hasta eum terrae affigam uno ictu non iterando. 9. At David respondit Abisaeo: Noli eum perimere, nam quis impune uncto Jovae manum intulerit? 10. Per Deum immortalem! pergebat David, nisi Jova eum auferat, [c]) aut diem suum obeat et moriatur, aut in proelio cadat, 11. absit a me, ut Jovae uncto manum inferam. Jam igitur cape hastam juxta caput ejus positam et pateram, et discedamus. 12. Sic sumta hasta et patera a capite Sauli discesserunt nemine eos videntе, aut animadvertente, aut expergefacto, quod gravem soporem Jova omnibus immiserat. 13. Quo facto David in fastigio mon-

b) Noctu haec David eminus ex ignibus accensis videre poterat.

c) Sc. morte praematura aut inexspectata.

montis oppositi e longinquo substitit, magno spatio interjecto, 14. et clamavit ad milites et Abnerum, Neri filium: Heus tu, Abnere! non respondes? Quis tu, respondit ille, qui clamas ad regem? 15. Tum David Abnero: Nonne tu vir es, cui nemo Israëlitarum comparatur? Cur igitur dominum tuum, regem, non custodiisti? Transiit aliquis *ad vos* ad eum interficiendum. 16. Pessime sane egisti. Per Jovam immortalem! morte digni estis, qui dominum vestrum, unctum Jovae, non custodiistis. Vide modo, ubi sit hasta regis et patera ad caput ejus posita. 17. Tum Saulus agnovit vocem Davidis et dixit: Nonne haec tua vox est, mi fili David? Est, inquit hic, mi domine rex! 18. Cur tu me, servum tuum, persequeris? Num quid feci? aut quod crimen commisi? 19. Jam vero attende, mi domine rex, ad ea, quae servus tuus dicit: Si Jova te contra me incitat, placa eum sacrificio; sin homines, Jova eos perdat, nam me expellunt, quo minus junctus sim populo Jovae, et perinde faciunt, ac si dicerent: Abi ad alienos Deos. 20. Jam vero non impunitam esse sinet Jova caedem in me commissam. Rex enim Israëlitarum pulicem perveſtigat, uti solent perdicem in montibus persequi. 21. Ad haec Saulus, Peccavi, inquit, redi, mi fili David, non te amplius infestabo, quoniam vita mea hodie tibi cara fuit. Sane ego admodum imprudenter egi. 22. Respondit David: En! hastam regis, accedat aliquis famulorum, eamque capiat. 23. Deus vero rependat cuique pro merito et integritate. Siquidem te hodie mihi tradiderat, ast nolui manum inferre uncto Jovae. 24. Quemadmodum autem tua vita mihi ho-

hodie cara fuit, fic meae vitae Deus rationem habebit, meque ex omnibus periculis eripiet. 25. Tum Saulus dixit: Tu quidem, mi fili, felix eris, tu omnia perficies et obtinebis. Sic David disceffit, et Saulus quoque, unde venerat, reverfus eft.

CAPUT XXVII.

David ad Achifum, regem Philiftaeorum, fugit, qui ei oppidum Ziklagam habitandum affignat 1 — 6., ex quo in regiones gentium fipitimarum eruptiones facit, Achifo vero perfuadet, fe terram Ifraëliticam infeftare 7 — 10.

1. At David fecum reputabat, fieri poffe, ut tamen aliquando manu Sauli periret, nihil fibi fatius effe, quam fi ad Philiftaeos confugeret, tunc enim Saulum omnem effe fpem abjecturum de fe in terra Ifraëlitica inveftigando, et fic manibus ejus fe effe evafurum. 2. Igitur fe contulit una cum fexcentis viris, quos fecum habebat, ad Achifum, Maochi filium, regem Gathenfem. 3. Atque apud eum Gathae commoratus eft una cum militum fuorum familiis, nec non duabus fuis uxoribus, Achinoama Jesreelenfi et Abigaila, Nabalis Carmelitae conjuge. 4. Quod cum Saulo effet nunciatum, defiit eum ulterius perfequi. 5. At David petiit ab Achifo, ut pro fummo ejus in fe favore oppidum aliquod campeftre fibi affignaret, non decere, fe eandem cum illo regiam inhabitare. 6. Igitur Achifus ei Ziklagam affignavit. Hinc eft, quod reges Judae etiamnum Ziklagam tenent. 7. David autem apud Philiftaeos commoratus eft annum unum et quatuor men-

menſes. 8. Iſtinc vero invaſit cum militibus ſuis Geſuraeos, Girgeſaeos et Amalekitas, qui has regiones inde ab antiquiſſimis temporibus usque ad Peluſium et Aegyptum incolebant. 9. Homines interfecit omnes, nec viros nec feminas ſuperſtites eſſe ſivit. Praedam tantum abegit pecoris et armenti, aſinorum, camelorum et veſtium. Quando ſic ad Achiſum revertebatur, 10. atque hic eum interrogabat, quam in partem irrupiſſent? reſpondebat David: Ad tractum meridionalem Judaeae, Jerachmeelitarum et Kenitarum. 11. Neque viros neque feminas conſervavit Gatham deducendos, ne nempe, quid feciſſet, proderent. [a]) Atque haec fuit vitae ſuae ratio, quamdiu in Philiſtaeorum terra vixit. 12. Achiſus vero credebat Davidi, atque ſibi perſuadebat, eum adeo inviſum factum eſſe Iſraëlitis, ut perpetuo ſibi addictus eſſe deberet.

CAPUT XXVIII.

Achiſus jubet Davidem ſe in bello, quod Philiſtaei adverſus Iſraëlitas parabant, comitari, quod etiam promittit 1—2. Saulus trepidus pythoniſſam conſulit, quae ei Samuelem ex mortuis excitat 3—15. Hic ei cladem Iſraëlitarum et mortem ipſius et filiorum praedicit. Quo nuncio ſummo terrore perculſus ad ſuos redit 16—24.

1. Illo tempore [a]) Philiſtaei exercitum coëgerunt ad bellum inferendum Iſraëlitis. Tunc Achiſus Davidi

a) Accentus h. l. male poſitos et verba minus accurate diſtincta arbitror. Verba enim וְכֹה מִשְׁפְּטוֹ וג non poſſunt eſſe eorum, qui Davidem prodere potuiſſent, ſed ſunt verba ſcriptoris. Igitur Athnachus poni debebat poſt verba: *ſic fecit David.*

a) Sc. poſt unum annum et quatuor menſes, coll. cap. 27, 7.

vidi dixit: Scito, te cum hominibus tuis me ad castra esse secuturum. 2. Respondit ei David: Sane, videbis, quid facturus sim. Profecto, inquit ille, vitae meae custodiam tibi concrederem. [b]) — 3. Samuel mortuus erat et cum solenni omnium Israëlitarum luctu sepultus Ramae in urbe patria. [c]) Saulus vero omnes necromantas et hariolos e terra expulerat. 4. Philistaei coacto exercitu castra posuerant Sunemi. Igitur Saulus quoque coactis Israëlitis omnibus in *montibus* Gilboae castramentatus est. 5. Cum vero Philistaeorum castra videret, sibi vehementer timere incepit. 6. Consuluit Jovam, sed hic ei non respondit, neque per somnia, neque per urim, [d]) neque per prophetas. 7. Tunc Saulus jussit famulos suos investigare necromantidem, quam consultum iret. Illi respon-

de-

b) Sic *Clericus* haec verba explicat. Non, quod Achisus hoc facere promittat, sed quod dicat, quantopere verbis Davidis confidat.

c) In Hebr. וּבְעִירוֹ littera Vau videtur redundare. Nullus interpretum antiquiorum eam expressit, et *Kennicottus* tres codices citat, 168., 198., 182., in quibus deest. Potest tamen locum suum obtinere, si explicatur per *id est*, quam significationem saepe habet. Vid. *Glassius* p. 604.

d) Non levis est difficultas, quomodo haec sint intelligenda, cum cap. 23, 6. narretur, Ebjatharem ephodum cum urim et tumim secum abstulisse, cum ad Davidem fugeret. — Quoniam Saulus ipse v. 15. duorum tantum mediorum mentionem facit, per quae Deum consuluerit, omisso tertio illo h. l. commemorato fortasse scriptor tantum indicare voluit, Saulum per urim Deum consulere non potuisse, quoniam illud non habuerit. Sed durus est loquendi modus. Antiqui interpretes haerent quoque in eo explicando, videntur tamen vocabulum ipsum legisse.

derunt: esse hujus artis peritam mulierem Endore. 8. Igitur Saulus, ut se alium simularet, vestes mutavit, atque cum duobus comitibus venit ad mulierem noctu. Hanc rogavit, ut arte necromantica adhibita sibi excitaret, quem vellet. 9. Respondit mulier: Nosti, Saulum omnes necromantas et hariolos e terra ejecisse, cur igitur me vitae periculo tam certo exponis? 10. Sed jurejurando per Jovam immortalem interposito Saulus ei promisit, nihil mali ei propterea metuendum esse. 11. Tunc mulier interrogavit: Quemnam vis, ut eliciam? Samuelem, inquit ille. 12. Cum vero mulier Samuelem videret, magno clamore sublato dixit: Cur me decepisti? Tu es Saulus. 13. Respondit rex: Ne metuas, quid vides? Video, inquit mulier, divinam speciem e terra adscendentem. 14. Tum ille: Quaenam est ejus forma? Senex adscendit, inquit illa, pallio amictus. Ex eo Saulus intellexit, hunc esse Samuelem, et capite inclinato eum submisse salutavit. 15. Tunc Samuel Saulum his verbis est allocutus: Cur me evocando perturbasti? Vehementer angor, respondit Saulus. Philistaei bello me impetunt, Deus me destituit, nec mihi respondet neque per prophetas neque per somnia, igitur te advocavi, ut mihi, quid faciendum sit, indices. 16. Cur ergo me consulis, inquit Samuel, si Jova de deseruit atque aemulo tuo favet? *) 17. Faciet Jova, quod per me

*) Lectio recepta וַיְהִי עָרֵךְ, quae vulgo vertitur: *et factus est tuus adversarius*, non convenit constructioni verbi הָיָה saepe obviae, si qualitatem indicat, sequenti Lamed. Ex qua esse de-

me dixit. Eripiet tibi regnum, idque dabit aemulo tuo, Davidi. 18. Quoniam ei non obtemperasti, neque ultionem sumsisti ab Amalekitis ei infensis: propterea haud dubie tibi ita faciet. 19. Praeterea Israëlitas, populum tuum, tradet Jova Philistaeis. Cras tu et filii tui mecum eritis, castra quoque Israëlitarum addicet Philistaeis. 20. Sic Saulus repente tota mole sua ad terram concidit prae summo timore propter haec, quae Samuel dixerat, praeterea viribus erat destitutus, quoniam toto illo die totaque nocte ci-

deberet: וַיְהִי לְעֵרֶךָ. At enimvero neutram lectionem interpretes antiqui expresserunt, sed *oi ó*, Syrus et Arabs legerunt וַיְהִי עִם רֵעֶךָ *et est cum proximo tuo.* Verba *τῶν ó* sunt: *καὶ γέγονε μετὰ τοῦ πλησίον σου.* Syri: ܘܗܘܐ ܥܡ ܩܪܝܒܟ. Arabs παραφράζει: *cur me interrogas, cum Dominus bonum a te averterit, et gratiam suam a te amoverit, et, quod est in manu tua,* (h. e. regnum) *ad alium transtulerit.* Atque etiam Vulgatus haud dubie legit עִם, sed quoad alteram vocem videri potest consentire cum recepta lectione עֵר, quanquam etiam רֵעַ sic explicare potuit, uti ego in versione: *et transierit ad aemulum tuum.* Sic quoque Chaldaeus: וְהַוְדֵּ הָכַעֲרֵיהּ דְּגַבְרָא דִי אַתְּ בְּעֵיל דְּבָבֵיהּ *et erit in auxilium viri, cujus tu inimicitiam obtines*, h. e. cum inimico tuo. Equidem non dubito, quin h. l. praeferenda sit lectio *τῶν ó*, Syri et Arabis, hac quoque de causa, quoniam ea verbis sequentis versus convenit, nec non iis, quae supra jam cap. 15. 28. Samuel Saulo dixerat. — *Michaelis* sequitur quidem in versione lectionem et explicationem vulgarem: *et factus est tuus adversarius*; dubitat tamen in notis, annon haec antiquiorum interpretum praeferenda sit. In appendice ad p. XII. biblioth. orient. p. 200. dissensus hujus antiquarum versionum mentionem facit, verum parum accurate. Dicit enim: Pro עֵרֶךָ *legunt LXX, Syrus et Vulgata* עִם רֵעֶךָ *cum adversario tuo.* — Quae quomodo emendanda sint, ex inductione horum interpretum apparet.

cibum non sumserat. f) 21. Cum deinde mulier ad eum intraret, videretque, quantopere esset perturbatus, dixit ei: Vide, tibi morem gessi et cum summo vitae periculo voluntati tuae satisfeci. 22. Jam igitur tu quoque me audi, et comede paullulum de eo, quod tibi apponam, ut vires recipias ad viam tuam prosequendam. 23. Ille vero renuens negavit, se cibum esse

f) Quanquam non ignoro, interpretes plerosque recentiorum temporum existimare, apparitionem hanc Samuelis fictam fuisse et ementitam, neque ego diffiteor, ex hac hypothesi complures difficultates in hac historia obvias optime posse removeri: tamen aliae remanent, quibus solvendis illa hypothesis non sufficit, et quae tam graves mihi videntur, ut assensum meum retineant. Primo non apparet, cur mulier tam durum responsum dederit Saulo, cur ei eventum belli adeo tristem et infelicem praedixerit. Quod utrumque contra morem est istius generis hominum, qui artibus suis fallere student. Quae placent, quae optantur, solent respondere, non quae displicent, aut quae terrorem excitant. Neque periculi quidquam ei timendum fuisset, si illud fecisset. Deinde, (quod gravius adhuc est) quomodo mulier ista, si vel maxime astuta et callida fuerit, illum proelii eventum divinare potuit? Non quidem illum infelicem, s. cladem a Philistaeis inferendam, nam hanc fortasse ex timore Sauli praesagierit; sed *mortem Sauli* in ipso proelio, neque hujus tantum, sed *etiam filiorum ejus*. — Has difficultates nullus istorum interpretum, qui hanc hypothesin defendunt, tangere solet, multo minus removere, atque tamen non contemnendae videntur. Sed removet eas hypothesis, quae ipsum Samuelem, non quidem artibus mulieris, sed ex judicio Dei singulari apparuisse statuit. Mulieris artes haud dubie inanes et deceptrices erant, ut omnes hujus generis, quas igitur more suo hac quoque occasione exercere volebat. Sed en! praeter spem atque opinionem suam apparet Samuel e mortuis excitatus. Hinc clamoris a muliere editi ratio reddi potest vers. 12., cujus nullam video probabilem, si personatum aliquem Samuelem vidisset, nam sistere Samuelem promiserat et sperabat per artes suas fraudulentas, sed alium videbat sibi in-

esse capturum. Cum vero famuli ejus et mulier instarent, tandem eis obtemperavit, surrexit ex terra et in lecto resedit. 24. Tunc mulier vitulum saginatum, quem domi habebat, mactavit, et subacta farina panes azymos coxit, 25. obtulitque Saulo ejusque famulis, qui, postquam comederant, hac ipsa nocte abierunt.

CA-

inexspectatum. Hunc ipsum quoque vidit Saulus, quanquam hoc nonnulli interpretes negant. Nam vers. 14. narratur, Saulum visum istud (quidquid fuerit) salutasse more orientali. Num probabile est, eum hoc fecisse, si nihil vidisset? Neque in terram prostratus locutus est cum Samuele, sed erectus. Nam secundum v. 20. finito demum Samuelis sermone sese humi abjecit. — Ex hac hypothesi non est, quod mirentur, hunc Samuelem tam severe Saulum reprehendisse, eique repetiisse, quae antea jam ei dixerat, (quae quoque mulier ista non tam accurate scire poterat, quoniam nemo interfuit illi Samuelis cum Saulo colloquio cap. 15.) et praedixisse mortem ipsius regis et filiorum. — Non ignoro etiam, contra hanc hypothesin posse dubia moveri, sed non tam gravia videntur, quin, quantum in quaestione adeo perplexa fieri potest, solvi satis probabiliter possint. 1) Non credibile esse, ajunt, Deum, qui antea Saulo respondere noluerit, mirae hujus apparitionis auctorem fuisse. At quis audeat determinare, quid Deo placuerit, quid non? Quis reprehendet, si hunc modum Sauli redarguendi elegerit? Nihil certe Deo indignum in facto ipso video, neque ab ejus ratione agendi cum illorum temporum hominibus alienum. 2) Idem fere respondeo ad objectionem a reditu mortuorum in hanc vitam non sperando desumtam. Posse tamen Deum mortuos suscitare, conceditur, atque factum quoque ab eo esse, exempla probant. Unde igitur constat, hac quidem occasione id Deo non visum fuisse? — Sed, quod ab initio hujus disputationis dixi, nihil definio. Hypothesin hypothesi oppono, et, qui difficultates supra allatas satis mihi removerit, is me in defendenda hac sententia minime pertinacem experietur.

CAPUT XXIX.

Philiſtaeorum duces Davidem, qui Achiſum in caſtra ſecutus erat, nolunt admittere. Igitur ab Achiſo dimiſſus redit Ziklagam.

1. Philiſtaei copias ſuas coëgerant Aphekam. Iſraëlitae vero caſtra fecerant ad fontem, qui eſt prope Jeſreelem. 2. Cum igitur illorum duces exercitum in centurias et chiliadas distributum recenſerent, David quoque cum militibus poſtremo cum Achiſo venit. 3. Quid ſibi volunt iſti Hebraei? interrogabant Philiſtaeorum duces. Reſpondit eis Achiſus: Hic eſt ille David, Sauli, regis Iſraëlitarum, ſervus, qui jam tot dies ſive potius annos apud me verſatur: neque ego in eo quidquam, quod eum ſuſpectum redderet, deprehendi inde ab eo tempore, quo ad me transfugit. 4. At illi indignantes reſponderunt: Dimitte hominem, ut redeat in locum, cui tu eum praefeciſti. Non poteſt nobiscum ad proelium egredi. Verendum eſt, ne in ipſa pugna ſeſe in nos convertat; qua enim ratione poſſet melius domino ſuo reconciliari, quam capitibus horum virorum? 5. Nonne hic eſt ille David, de quo alternis canebant: Saulus mille, decem millia percuſſit David? 6. Tum Achiſus vocavit ad ſe Davidem, eique dixit: Deum immortalem teſtor, perplacere mihi, quod me ad caſtra es ſecutus, neque quidquam in te deprehendi, quod reprehenſione dignum eſſet, ex quo apud me degis, at enimvero non places principibus. 7. Igitur redi in pace, ne eos offendas. 8. Reſpondit David Achiſo: Quid vero feci? Quid deprehendiſti in me inde ab eo tempore, quo apud te verſor, quod mihi non concedatur, pugnare cum hoſtibus domi-

mini mei, regis? 9. Tum Achiſus, Verum eſt, inquit, places mihi ut angelus Dei, ſed principes negant, tibi concedi poſſe, ut nobiscum ad proelium egrediare. 10. Igitur poſtridie mane cum ſervis domini tui prima luce revertare. 11. Rediit ergo David cum militibus ſuis mane in terram Philiſtaeorum. Horum vero exercitus progreſſus eſt Jeſreelem.

CAPUT XXX.

David Ziklagam invenit ab Amalekitis combuſtam, bona omnia direpta et abacta. Hoſtes perſequitur eosque aſſecutus caedit et magna praeda potitur.

1. Tertio die venit David cum ſuis Ziklagam. 2. *Interea* vero Amalekitae irruptionem fecerant in tractum meridionalem, et Ziklagam deſtruxerant et combuſſerant. Mulieres [a]) et omnes homines parvos et magnos captivos abduxerant, nemine tamen occiſo. Sic praedam abigentes disceſſerant. 3. Cum igitur David et milites ejus ad oppidum venirent, viderunt hoc combuſtum, mulieres et liberos abactos. 4. Tum omnes ſublato clamore tantum ploratum ediderunt, ut jam vires deficerent ad plorandum. 5. Duae Davidis uxores, Achinoama Jeſreelenſis et Abigaila, conjux Nabalis Carmelitae, quoque erant captivae. 6. Tunc graviter angebatur David, milites enim mina-

---

a) Poſt הַנָּשִׁים *οἱ ὁ* legerunt וְכֹל *καὶ τὰς γυναῖκας καὶ πάντα τὰ ἐ κύτῃ*. Syrus pro illo legit אֲנָשִׁים. Vertit enim: *captivos fecerant* ܐܢܫܐ *in illis*. Illud placet. Sed Vulg et Chald conſentiunt cum recepta lectione.

nabantur, eum lapidare, quoniam omnes propter liberos ſuos vehementer erant commoti. Aſt ille Jovae, Deo ſuo, confiſus 7. juſſit Ebjatharem ſacerdotem, Achimelechi filium, ephodum afferre. Quod cum factum eſſet, 8. interrogavit Jovam: num, ſi agmen illud perſequeretur, id eſſet aſſecuturus? et reſponſum tulit: ſi hoſtes perſequeretur, non ſolum eos aſſecuturum eſſe, ſed etiam omnia recuperaturum. 9. Igitur David cum ſexcentis ſuis militibus profectus venit in vallem Beſorem, 10. in qua ducenti relicti ſunt, qui prae laſſitudine vallem transire non poterant. Ipſe vero cum quadringentis hoſtem eſt perſecutus. 11. In campo inciderunt in hominem Aegyptium. Cui ad Davidem deducto panis et aqua datur, 12. itemque fruſtum maſſae ficuum et duae uvae paſſae. Poſtquam comederat, vires recuperavit, nam per tres dies totidemque noctes neque cibum neque potum ſumſerat. 13. Hunc David interrogavit, cujas eſſet? unde veniret? Reſpondit: Ego ſum Aegyptius, ſervus Amalekitae cujusdam. Reliquit me dominus meus, quoniam aegrotabam, tertio abhinc die. 14. Invaſionem fecimus in tractum meridionalem Cretaeorum, Judae et Calebi, et Ziklagam combuſſimus. 15. Visne, inquit David, me ad agmen illud deducere? Volo, reſpondit, ſed jura mihi per Deum, te neque me occiſurum eſſe, neque domino meo traditurum. 16. *Accepto jurejurando a Davide* eum deduxit, ubi *Amalekitae* humi paſſim jacebant epulantes et potantes, et tripudiantes pro magna illa praeda, quam ex terra Philiſtaeorum et Judaea ceperant. 17. Caedit eos David

vid a diluculo usque ad vesperam sequentis diei, b) ita ut nemo ex eis evaderet praeter quadringentos juvenes, qui camelis insidentes aufugerunt. 18. Atque recuperavit omnia, quae abstulerant; duas quoque uxores suas. 19. Nec quidquam est desideratum; juniores et seniores, filios et filias, omnem omnino praedam, quam abegerant, David reduxit. 20. Cepit quoque David omne pecus et armentum, quod agebant ante reliquam praedam et spolia Davidis vocabant. 21. Cum deinde ad ducentos illos venirent, qui prae lassitudine sequi non potuerant, sed in valle Besor remanserant, hi obviam venerunt Davidi et militibus, qui eum comitati fuerant. David ad eos accessit, eosque salutavit. 22. Tunc nonnulli ex illis, qui Davidem comitati fuerant, homines mali et improbi, negarunt, se partem praedae, quam fecissent, daturos esse his, qui non secum fecissent, uxores suas et liberos abducerent et abirent. 23. Sed David respondit: Non sic utendum est, o mei, his, quae Deus nobis concessit, et qui nos servavit nobisque tradidit hostes nostros. 24. Quis vobis hac in re assentiretur? Aequales partes sint eorum, qui in certamen descenderunt cum illis, qui apud impedimenta manserunt. 25. Atque ab eo tempore hoc in legem et consuetudinem abiit, quae etiamnum inter Israëlitas in usu est. — 26. Cum Da-

b) Affixum in לְמַחֲרָתָם prorsus otiosum est, neque ab ullo interpretum antiquiorum expressum, praeterquam a Syro, qui vero aliam vocem legit. Habet enim ܡܢ ܒܣܬܪܗܘܢ, quod est אַחֲרֵיהֶם. Legendum est sine Affixo למחרת.

David Ziklagam rediiſſet, miſit de praeda ſenioribus Judae, amicis ſuis, rogans, ut acciperent munus ex ſpoliis hoſtium Jovae. 27. Nimirum Bethelenſibus, Ramothenſibus meridionalibus, Jattirenſibus, 28. Aroërenſibus, Siphmothenſibus, Eſtemoënſibus, 29. Rachalenſibus, incolis oppidorum Jerachmeelis et Kenitarum, 30. Chormenſibus, Choraſonenſibus et Athachenſibus, 31. Hebronenſibus et omnino omnibus, apud quos cum militibus ſuis fuerat commoratus.

CAPUT XXXI.

Magna clade Iſraëlitae a Philiſtaeis afficiuntur. Sauli filii tres pugnantes cadunt, ipſe ſe gladio perimit 1—7. Philiſtaei corpora Sauli et filiorum ejus detruncata in muro Bethſane ſuspendunt. Inde vero a Jabenſibus auferuntur et prope oppidum Jabes ſepeliuntur 8—13.

1. Iſraëlitae in pugna cum Philiſtaeis fugerunt, magnaque in montibus Gilboae clade ſunt affecti. 2. Tunc hoſtes Saulum vehementer urſerunt, ejusque filios Jonathanem, Abinadabum et Malchiſuam interfecerunt. 3. Sic proelio preſſus, atque a ſagittariis, qui in eum inciderunt, graviter vulneratus, 4. juſſit armigerum ſtricto gladio ſe transfodere, ne ab iſtis praeputiatis confoderetur, aut ludibrio haberetur. Sed recuſavit armiger gravi terrore confuſus; tunc ipſe Saulus gladio ſuo incubuit. 5. Cum armiger videret, Saulum periiſſe, ipſe quoque gladio ſuo ſe occidit. 6. Sic Saulus, tres ejus filii, armiger et omnes, qui cum eo erant, illo die perierunt. 7. Iſraëlitae vero cis planitiem et Jordanum de fuga popularium ſuorum certiores facti, ut

et

de morte Sauli et filiorum ejus, relictis oppidis fu-
runt, in quibus deinde Philiſtaei habitarunt. — 8. Po-
idie, cum veniſſent Philiſtaei ad ſpoliandos occiſos,
er hos quoque Saulum et tres ejus filios invenerunt.
Quibus capita absciderunt detractis eorum armis,
ue ea per totam ſuam regionem miſerunt ad lae-
n illum nuncium in idolorum ſuorum templis et
pulo annunciandum. 10. Arma depoſuerunt in fano
tarothae, cadavera autem ſuspenderunt in muro Beth-
is. 11. Quod cum audirent incolae Jabeſi in Gile-
itide, 12. eorum fortiſſimi facto tota nocte itinere
stulerunt cadavera Sauli et filiorum ejus e muro Beth-
is, atque ea Jabeſum reverſi combuſſerunt. 13. Offa
tem ſepelierunt ſub terebintho oppidi, et per ſeptem
s jejunarunt.

SA-

SAMUELIS
LIBER II.

CAPUT I.

Amalekita Davidi mortem Sauli annunciat, et fingit, se eum interfecisse 1—10., quem David propterea supplicio affici jubet 11—16. Naenia Davidis in mortem Sauli et Jonathanis 17—27.

1. Post mortem Sauli, cum David a caede Amalekitarum reversus biduum Ziklagae fuisset, 2. tertio die venit homo quidam e castris Sauli scissis vestibus et capite pulvere consperso ad Davidem, eumque supplici-ter est veneratus. 3. Hic ex eo quaesivit: undenam veniret? Ex castris Israëlitarum evasi, inquit ille. 4. Tum David: Quid accidit? Indica, quaeso, mihi. Respondit ille: Fugit populus e proelio, et magna clades illata est. Saulus quoque et Jonathan, ejus filius, mortui sunt. 5. Unde vero hoc nosti? ait David. 6. Respondit juvenis ille nuncius: Forte veni in montes Gilboae, et vidi Saulum hastae innixum, et currus et equites eum persequebantur. 7. Tum ille circumspiciens me vidit, et ad se vocavit. 8. Quis tu es? inquit. Respondi: Amalekita. 9. Tum ille: Age jam et me interfice. Horrore ego fere obrigui, [a]) quanquam vitae vigor

a) Vocabulum ἅπαξ λεγόμ. שבץ apud Arabes شبص significat *perplexum esse, horrore obrigescere.* Hinc substantivum eum

gor [b]) adhuc apud me eſt. 10. Acceſſi igitur, eumque interfeci. Vidi enim, eum vivere non poſſe, poſtquam *gladio ſuo* incubuerat. Detraxi ejus capiti diadema et brachio armillas, quae tibi, domine, hic affero. 11. Ad haec David veſtem ſuam ſcidit, ut et omnes, qui apud eum erant, 12. atque cum luctu et fletu jejunarunt usque ad veſperam propter Saulum ejusque filium Jonathanem, et propter populum Jovae, hoc eſt, propter Iſraëlitas gladio peremtos. 13. Juveni autem iſti nuncio dixit David: Cujas es? Peregrinus ego ſum, inquit, Amalekita. 14. Tum David: Quomodo tu non veritus es, manum tuam extendere ad unctum Jovae interficiendum? 15. Simul advocavit militem, quem juſſit eum trucidare. Hic igitur ſumſit de eo ſupplicium. 16. Praeterea David ei dixit: Tibi ipſe mortem arceſſiſti, dum contra te teſtatus es, et faſſus: te Jovae unctum interfeciſſe. 17. Deinde hanc naeniam David compoſuit in Saulum et Jonathanem, 18. juſſitque, ut Judaei hoc carmen [c]) ediſcerent, quod ſcri-

---

eum mentis horrorem et membrorum rigorem notat, qui Saulum adeo pervaſerit, ut ne ferrum quidem contra pectus vertere valeret. Sic locum explicat *Schroeder* in comment. de veſtitu mulierum Hebr. p. 22.

b) עוֹד h. l. non eſt particula *adhuc*, ſed ſubſtantivum, *vigorem* notans ex ſignificatione verbi عاد *iterari*. Sic *Schultenſius* in comment. ad Job. 27, 3.; cf. *Glaſſius* p. 362. Cum haec verba non bene cohaereant cum antecedentibus, meminiſſe debemus, Amalekitam mentiri atque ſperare praemium a Davide, ſi diceret, ſe Saulum interfeciſſe.

c) Hebr. קֶשֶׁת *arcus* notio h. l. parum apta. *Lowth* de poëſi ſ. Hebr. praelect. 23. p. 464. edit. Goett. putat, hoc carmen קשת ſu-

ſcriptum exſtat in libro carminum. [d]) 19. O caprea [e]) Iſraëlis in montibus tuis confoſſa! quomodo ceciderunt heroes! 20. Nolite haec Gathae annunciare, nec indicare Aſcalone, ne laetentur filiae Philiſtaeorum, ne exſultent filiae praeputiatorum. 21. O montes Gilboae! ne in vos ros aut pluvia deſcendat, neo ſacrae e vobis oblationes [f]) offerantur. Ibi enim abjectus eſt clypeus heroum, clypeus Sauli, fruſtra oleo uncti. 22.

---

fuiſſe appellatum vel in memoriam cladis ab hoſtium ſagittariis acceptae 1 Sam. 31, 3., vel ex arcu Jonathanis, cujus praecipua fit mentio verſ. 22. Hanc conjecturam non improbat *Michaelis*, aliam tamen addit. Nempe poſſe quoque קשת *metrum* ſignificare, i. e. carmen metrice compoſitum, a قوس *menſurare*.

d) De סֵפֶר הַיָּשָׁר cf. obſervat. ad Joſ. 10, 13.

e) Sic verto צְבִי non per *decus*, ut a multis fit. Sed tropica ſignificatio hujus vocabuli h. l. haud dubie aptior eſt, qua ſolent poëtae Orientales virum propter pulchritudinem ſuam corporisque agilitatem cum caprea, animali in illis regionibus pulcherrimo, comparare, quamque adeo in ſtilo proſaico uſurpant. Cf. cap. 2, 18. 1 Chron. 12, 8. *Clericus* et *Michaelis* ad h. l. Ille quidem Saulum potiſſimum putat indigitari, hic vero Jonathanem. Quam ſententiam etiam placuiſſe vidi peritiſſimo illi poëſeos Hebraeae judici, S. R. *Herdero*, p. II. p. 306. de genio poëſeos Hebr. Alia elegiae hujus pulcherrimae verſio Germanica legitur in S. R. *Niemeyeri* characteriſt. bibl. p. IV. p. 182.

f) Hebr. וּשְׂדֵי תְרוּמוֹת *Michaelis* ad *Lowthum* l. c. et in verſione German. haec verba vertit: *vos o agri ſacri!* quos nempe coli nefas erat. Concedo, ſententiam carmini aptam eſſe, dummodo verba Hebraea hanc explicationem admitterent. Sed תרומות alias ſemper de oblationibus ſacris primitiarum dicitur, nec poteſt cum חרם conferri, aut ab eo derivari. — Non minus autem digna videtur haec ſententia poëta, quam in verſione indicavi, et quam eleganter expreſſit interpres l. l. *Niemeyerus*: euer Gefilde ſey dürr, gebe dem Opferer nichts.

2. A caede occiſorum, a ſanguine g) heroum arcus
nathanis non avertebatur, gladius Sauli vacue non
libat. 23. Saulus et Jonathan dilecti et ſuaviſſima
icitia in vita juncti ne in morte quidem ſunt diremti,
ilis leviores, leonibus fortiores. 24. O virgines
ëliticae! flete Saulum, qui vos veſte coccinea et
tioſiſſima veſtiebat, qui vobis aureum ornatum ad
veſtiendas referebat. 25. Quomodo ceciderunt
oes in medio proelio! Jonathan in montibus tuis
foſſus! 26. Vehementer doleo de te, mi frater
nathan, te inprimis dilexi, amor tuus mihi ſuavior
amore feminarum. 27. Quomodo ceciderunt he-
, atque arma bellica irrita jacent!

CAPUT II.

a tribu Juda rex eligitur 1—4., laudat Jabeſenſium pieta-
in regem mortuum 5—7. Iſboſethus, Sauli filius, a reliquis
, auctore Abnero, rex creatur 8—11., qui bellum in-
Davidi, ſed in proelio milites ejus fugantur 12—32.

1. Poſtea David Jovam conſuluit, num deberet
ad aliquod oppidorum Judaeae conferre? Quod
Jova juberet, ille iterum interrogavit, ad quod-
? hic Hebronem vocavit. 2. Profectus igitur eſt
id Hebronem cum duabus ſuis uxoribus, Achi-
na Jeſreelenſi, et Abigaila, conjuge Nabalis Car-
me-

Hebr. מֵחֵלֶב *ab adipe*, pro quo tres codices *Kennicotti*, 174., 250., 280., habent מֵחֶרֶב *a gladio*. Digna videbatur haec ſive lectio, ſive emendatio critici cujusdam, quam h. l. commemorarem. Sed verſiones antiquae omnes in lectione textus recepta conſentiunt.

melitae. 3. Milites quoque, quos ſecum habebat, cum familiis ſuis eo deduxit, qui in oppidis Hebroni *vicinis* conſederunt. 4. Tum proceres tribus Judae, qui ibi convenerant, Davidem hujus tribus regem unxerunt. Cum deinde Davidi indicatum eſſet, incolas Jabeſi in Gileaditide Saulum ſepeliiſſe, 5. miſit ad eos legatos cum his mandatis: ſe quidem plurimam eis ſalutem a Jova precari, quod pietatem ſuam in dominum ſuum Saulum eo ſepeliendo praeclare demonſtraſſent. 6. Jam ſe optare, ut Deus iis hoc officium large remuneretur; ſe ipſum quoque gratum ſe eis praeſtiturum eſſe, quod hoc feciſſent, 7. pergerent modo, etiam poſt mortem domini ſui Sauli virtutem et fidem exhibere. Tribum Judam ſe regem unxiſſe. — 8. At Abnerus, Neri filius, dux exercitus Sauli, cum Iſboſetho, Sauli filio, Machanaimum trans Jordanum profectus eſt, 9. ibique eum regem conſtituit in Gileaditidem, Aſurem, [a]) Jeſreelem, Ephraimum, Benjaminum et in omnem Iſraëlem. 10. Annum tum agebat quadrageſimum aetatis ſuae, et duos omnino annos regnavit. Tantum tribus Juda ſtetit a partibus Davidis, 11. cujus rex per ſeptem annos et ſex menſes fuit Hebrone. — 12. Abnerus, Neri filius, exercitum Iſboſethi, filii Sauli, Machanaimo Gibeonem eduxit. 13. Igitur Joabus, Serujae filius, cum

a) Lectio Hebr. הָאֲשׁוּרִי videtur eſſe corrupta, nam de Aſſyriis h. l. ſermo eſſe non poteſt. Verſiones antiquae diſſentiunt: οἱ ὁ habent καὶ ἐπὶ τὸν Θασερί, in cod. Alex. legitur Θασουρι. Syrus et Vulgatus: *ſuper Geſſuri*. Chaldaeus: וְעַל דְּבֵית אָשֵׁר. Sed tribus Aſer nimis remota erat ab reliquis nominatis; cf. *Michaelis* in biblioth. orient. p. XIII. p. 218.

cum militibus Davidis quoque egressus est. Utrique sibi occurrerunt ad piscinam Gibeonis; igitur alter ab hac, alter ab altera parte piscinae constitit. 14. Tum Abnerus Joabo dixit: Praeludant nobis *ad pugnam* milites. Cum Joabus concessisset, 15. pari numero duodecim Benjaminitae a partibus Isbosethi et duodecim e militibus Davidis processerunt, 16. qui, prehensis ab alteris alterorum capitibus, latera sibi mutuo gladiis confoderunt et simul ceciderunt. Unde hic locus Chelkathhazzurim [b]) vocatur, qui prope Gibeonem est. 17. Eo die acerrime et pertinacissime pugnatum est, tandem tamen Abner et Israëlitae a militibus Davidis caesi sunt. 18. Intererant autem huic proelio tres Serujae [c]) filii, Joabus, Abisaeus et Asahel. Atque hic quidem, pedum velocitate similis caprae silvestri, 19. persequebatur Abnerum et nolebat ab eo desistere. 20. Tum respexit Abnerus, et, Tune es Asahel? inquit. Sum, respondit ille. 21. Converte te, dixit Abnerus, alio, et sume tibi unum ex militibus, cui spolia detrahas. Ille vero noluit ab eo desistere. 22. Abnerus iterum, Recede a me, inquit, cur te prosternam? et quomodo deinde in conspectum fratris tui Joabi venire potero? 23. Cum vero ille desistere recusaret, Abnerus eum parte extrema hastae transfodit in abdomine, ut hasta post tergum ejus exiret, et ille eodem in loco mortuus caderet, quo, qui veniebant, omnes consistebant. 24.

b) H. e. ager gladiorum.

c) Seruja soror fuit Davidis. Cf. 1 Chron. 2, 16.

24. Joabus autem et Abiſaeus perſecuti ſunt Abnerum. Sub occaſum ſolis venerunt ad collem Ammam, qui eſt e regione Giachi verſus deſertum Gibeonis. 25. *Ibi* collegerunt ſe Benjaminitae ad Abnerum, et facto agmine in vertice collis cujusdam ſubſtiterunt. 26. Hic Abnerus ad Joabum clamavit: Num in perpetuum gladius ſaeviet? Num ignoras, periculoſam eſſe deſperationem? Quando tandem jubebis, ut populus a perſequendis fratribus deſiſtat? 27. Tum Joabus, Per Deum immortalem, inquit, niſi nos provocaſſes, jam mane disceſſiſſet quisque ab inſequendis fratribus ſuis. 28. Simul tuba ſignum dedit, et omnes milites proelio omiſſo deſierunt perſequi Iſraëlitas. 29. Abnerus cum ſuis tota nocte per planitiem itinere continuato Jordanum transiit, et peragrata Bithrone venit Mahanaimum. 30. Joabus autem ab Abnero perſequendo reverſus milites ad ſe aggregavit, quorum duodeviginti deſiderati ſunt et Aſahel. 31. Ex Benjaminitis ſive exercitu Abneri Davidis milites conciderant trecentos et ſexaginta. 32. Aſahelem ſublatum ſepelierunt in ſepulcro patris ſui Bethlehemi. Facto tota nocte itinere Joabus cum ſuis ſub diluculum Hebronem pervenit.

CA-

CAPUT III.

Durante bello inter Davidem et Iſboſethum hic offendit Abnerum 1—11., qui propterea cum Davide de regno in eum transferendo agit 12—21. Sed antequam negotium perficere poteſt, a Joabo inſidioſe interficitur 22—27. David hoc factum vehementer improbat 28—39.

1. Diuturnum autem bellum fuit inter familiam Sauli et Davidis, illa quidem magis magisque decreſcente, hac vero in dies invaleſcente. (2. Davidi nati ſunt Hebrone filii ſequentes: Amnon primogenitus ex Achinoama Jeſreelenſi; 3. alter Chilabus ex Abigaila, conjuge Nabalis Carmelitae; tertius Abſalomus, filius Maachae, Talmaei regis Geſurenſis filiae; 4. quartus Adonia, Chagithae filius; quintus Sephatja, Abitalae filius; 5. ſextus Jithreamus ex Egla, Davidis conjuge. Qui quidem omnes ei nati ſunt Hebrone.) 6. In illo igitur bello inter familiam Sauli et Davidis Abnerus Sauli partes defenderat. 7. Habuerat autem Saulus pellicem, nomine Rizpam, filiam Ajjae. Aliquando Iſboſethus reprehendit Abnerum, quod cum patris ſui pellice rem haberet. 8. Qua re hic graviter eſt offenſus, et reſpondit Iſboſetho: An homo ſum adeo vilis et abjectae conditionis, [a]) ego, qui contra Judaeos usque ad hunc diem tantopere favi familiae Sauli, patris tui, cognatis et amicis ejus, neque te Davidi tradidi, ut mihi imputes peccatum cum muliere commiſſum? 9. Deus me puniat, niſi Davidi praeſtitero, quod Jova ei juravit. 10. Auferam regnum a familia Sauli, et ſtabiliam thronum Davidis in

a) Hebr. *an caput canis ſum?*

Iſraëlem et Judam, a Dane usque ad Berſebam. [b]) 11. Ad haec non auſus eſt *Iſboſethus* Abnero quidquam reſpondere, adeo eum verebatur. 12. Miſit quoque Abnerus ſtatim legatos ad Davidem, qui ei dicerent, regnum haud dubie ejus ſuturum eſſe. [c]) Porro adderent: ſi ſe recipere in amicitiam vellet, ſe ſua auctoritate omnes Iſraëlitas ei eſſe conciliaturum. 13. Reſpondit David: velle ſe amicitiam cum eo jungere, ſed ſub hac conditione, ne prius in conſpectum ejus veniret, quam Michalam, Sauli filiam, ſecum adduceret. 14. Miſit quoque David legatos ad Iſboſethum, Sauli filium, qui ab eo peterent, ut ſibi redderet Michalam, conjugem ſuam, quam ſibi dote centum praeputiorum Philiſtaeorum comparaſſet. 15. Tum Iſboſethus eam arceſſendam curavit ab ejus [d]) marito Paltiele, filio Laiſi, 16. qui eam lacrimans ſecutus eſt usque ad Bachurim, tum vero, juſſus ab Abnero reverti, revertit. 17. Interea Abnerus cum primoribus Iſraëlitarum in hunc modum egerat: eos jam diu Davidem ſibi regem exoptaſſe. 18. Jam igitur rem perficerent. Jovam enim de Davide promiſiſſe, ſe per eum Iſraëlitas a Philiſtaeis omnibusque hoſtibus eſſe liberaturum. 19. Eadem quoque apud Benjaminitas egerat. Quo facto ad Davidem Hebronem ſe contulit, ut eum de voluntate Iſraëlitarum et Benjaminitarum certiorem faceret. 20.

---

b) H. e. ſuper univerſum populum. Duo extremi termini Palaeſtinae ponuntur. Cf. cap. 17, 11. Jud. 20, 1.

c) Hebr. *cujus eſt terra?* Senſum in verſione expreſſi, quem ſequentia indicant.

d) Pro אִישׁוֹ legendum אִישָׁהּ. Sic quoque omnes verſſ. antiquae.

20. David eum et comites ejus, qui viginti erant; convivio excepit. 21. Cum discederet, promisit Davidi, se jam velle omnes Israëlitas congregare ad ipsum regem, dominum suum, ut de regno cum eo paciscerentur, tum ex voto eum esse imperaturum. Dimisit David Abnerum salvum et incolumem. — 22. Eodem tempore Joabus cum militibus Davidis ab expeditione rediit magnam partem praedae secum ferens. 23. Narratur ei, Abnerum, Neri filium, venisse ad regem, qui eum in pace dimisisset. 24. Joabus adit regem, et hunc in modum cum eo expostulat: Quid fecisti? Abnérus apud te fuit, cur tu eum discedere sivisti? 25. Nosti Abnerum, Neri filium; ad te decipiendum venit, ad explorandas res tuas et negotia tua. — 26. Postquam a Davide discesserat, misit, inscio tamen Davide, nuncios ad Abnerum, per quos a cisterna Sira [e]) revocatus est. 27. Cum Hebronem revertisset, Joabus sub praetextu amici colloquii in ipsa porta eum paullulum abduxit, et per abdomen confodit, idque propter mortem Asahelis, fratris sui. 28. Quod cum David audiret, dixit: Nunquam mihi aut regno meo Jova imputabit caedem in Abnero, Neri filio, commissam. 29. Irruant autem poenae in Joabum et domum ejus paternam. Nunquam desit in familia ejus immundo fluxu laborans, lepra affectus; qui fusum verset, qui gladio pereat, et victu necessario destituatur. (30. Joabus autem et Abisaeus interfecerant Abnerum, quoniam Asahe-

e) *Josephus* auctor est, (antiquitt. lib. VII. cap. 1. sect. 5.) locum fuisse viginti stadiis ab Hebrone distantem.

terficere, manus et pedes amputare, et prope piscinam Hebrone suspendere. Caput vero Isbosethi ibidem sepultum est in sepulcro Abneri.

CAPUT V.

David a reliquis quoque tribubus Israëliticis rex eligitur 1—5. Arcem Sionem Hierosolymae expugnat, et magis adhuc munit 6—10., et regiam eo transfert. Augmenta familiae 11—16. Duplex bellum cum Philistaeis feliciter gestum 17—25.

1. Tandem omnes tribus Israëliticae ad Davidem Hebronem venerunt, eique demonstrarunt, se cognatos ejus esse et consanguineos. 2. Jam pridem, Saulo adhuc regnante, eum ducem suum fuisse in bellis gerendis. Ipsum Jovam eum jussisse regem esse populi Israëlitici, susciperet igitur regnum. 3. In illo seniorum Israëliticarum tribuum conventu apud Davidem Hebrone hic conditiones, sub quibus regnum ei oblatum fuerat, accepit, fidemque suam jurejurando interposito promisit. Quo facto rex Israëlitarum unctus est. 4. Triginta annos natus erat David, cum regnum capesseret. Quadraginta omnino annos regnavit, 5. Hebrone tantum in tribum Judam septem annos et sex menses, Hierosolymae tres et triginta annos in omnes tribus Israëliticas. 6. Deinde oppugnavit cum exercitu suo Hierosolymam, quam Jebusitae tunc tenebant. Sed hi responderunt: eum urbem non esse expugnatarum, nisi coecos et claudos repulerit. Quibus verbis indicabant, nunquam urbem ab eo capi posse. 7. Sed cepit David arcem Sionem, quae postea ab eo nomen habuit.

8.

8. Nam tunc David *in exercitu suo* edixerat: qui Jebusitas percusserit atque usque ad canales penetraverit, ad claudos istos et coecos sibi tam exosos, *hunc ducem exercitus futurum esse.* Hinc in proverbio dici solet: Coecus et claudus domum ne intrent. [a]) 9. Hanc arcem David habitavit (unde urbs Davidis vocatur) eamque circumquaque a Millone et introrsum munivit. 10. Potentia ejus in dies magis magisque crevit, Jova Deo omnipotenti eum juvante. 11. Hiramus, rex Tyri, misit ad eum legatos. *A quo etiam accepit* materiam cedrinam et fabros lignarios et lapidarios, qui ei palatium exstruerent. 12. *Omnino* David intellexit, Jovam regnum suum in Israëlitas confirmasse, magnamque ipsi propter populum sibi sacrum dignitatem tribuisse. 13. Postquam ex Hebrone *sedem regni Sionem* transtulerat, plures adhuc duxit concubinas et mulieres Hierosolymitanas, hinc plures ei liberi nati sunt. 14. Nomina quidem filiorum ei Hierosolymae natorum fuerunt: Sammua, Sobab, Nathan, Salomo, 15. Jibchar, Elisua, Nepheg, Japhia, 16. Elisama, Eljada et Eliphelet. — 17. Philistaei autem cum audivissent, Davidem Israëlitarum regem unctum esse, omnes expeditionem adversus eum susceperunt. Quo audito de-

a) Fateor, me hunc locum non intelligere, quidquid interpretes ad eum illustrandum dixerint. Coecis illis et claudis nondum est remedium allatum, ut eos sanos conspicere possimus: et quid sibi velit illud proverbium: *Coecus et claudus domum ne intrent*, adhucdum aenigma est. 1 Chron. 11, 4., ubi eadem historia narratur, nihil de coecis istis et claudis legitur. Ex eo loco supplevi, quae h. l. desunt, ut sensus sit perfectus, יִהְיֶה רֹאשׁ וְלָשָׂר *dux erit exercitus.*

descendit David ad oppugnantes. b) 18. Illi occuparant vallem Rephaim. 19. David Deum consuluit, num, si Philistaeos aggrederetur, eos sibi sit traditurus? Jussit ille eos aggredi, velle se eos tradere. 20. Igitur David eos prope Baalprazim invadit et caedit. Jova hostes meos perrupit, inquiebat David, uti aqua perrumpitur; hinc nomen ille locus accepit Baalprazim. 21. Reliquerant ibi idola sua, quibus David et milites ejus potiti sunt. 22. Iterum Philistaei facta expeditione confederant in valle Rephaim. 23. Jova Davidi, qui eum consuluerat, respondit: ne eos recta aggrederetur, sed circumeundo a tergo invaderet e regione mororum. 24. Si strepitum in arborum cacuminibus audiret, tunc sine mora *hostem* invaderet, signum hoc esse praesentiae divinae ad profliganda castra Philistaeorum. 25. David fecit, quod a Jova jussus erat, atque percussit Philistaeos a Geba usque ad Geserum.

CAPUT VI.

David arcam Dei ex Kiriathjearim Sionem transfert 1—5., sed clade Ussae perterritus in aedibus Obededomi deponitur 6—11., ex quibus tamen tribus mensibus post magna cum pompa et solennitate in Sione collocatur 12—19. Michalae fastus a Davide reprimitur 20—23.

1. Iterum deinde David congregavit a) triginta millia lectissimorum Israëlitarum, 2. et profectus est cum

---

b) In textu est הַמְּצוּדָה *arx*, sub qua arx Sion, in qua David habitabat, vers. 9. intelligitur. Ad hanc igitur non dici potest Da-

:um eis Baalem Judae [b]) ad transferendam inde arcam Dei, ad quam [c]) invocabatur Jova omnipotens insidens :herubis. 3. Vecti autem sunt arcam, sublatam ex ıedibus Abinadabi in colle sitis, plaustro novo, quod Ussa et Achjo, Abinadabi filii, duxerunt, 4. ita ut Ussa [d]) arcam comitaretur, Achjo vero, frater ejus, :am praecederet. 5. David autem omnesque Israëlitae userunt omnibus viribus canentes [e]) citharis, nabliis, ympanis, tintinnabulis et cymbalis. 6. Cum autem veniissent ad arcam Nachonis, Ussa porrecta manu preıendit arcam Dei, quod boves ferociebant. 7. Qua Ussae temeritate Jova iratus eum ad arcam divinam per-

---

Davidem descendisse. Syrus pro Daleth legit Resch הַמְצוּרָה *oppugnatio*. Sic quoque ex eo habet Arabs. Quod abstractum si per concretum explicatur *oppugnantes*, sensum verba habent satis aptum. Sic *Michaelis*. Forma loquendi tamen dura mihi videtur.

a) Pro וַיֹּסֶף *addidit*, *oi ó*, Vulgatus, Syrus et Arabs legerunt וַיֶּאֱסֹף *congregavit*. Recte. Alias verbum deest.

b) Mem ante מבעלי יהודה h. l. significat motum ad locum. Cf. observat. ad Jud. 7, 8.

c) In textu quidem est שֵׁם שֵׁם יְהוָה, sed nullus interpretum antiquiorum bis legit שֵׁם, Syrus pro eo legit שֶׁם *ubi invocabatur nomen Dei* etc. Hunc ego in versione sum secutus.

d) Omitto priora verba: *et sustulerunt eam e domo Abinadabi in colle sita*, quae prorsus redundant et ex versu antecedenti sunt repetita. Sed ante עִם cum *Hubigantio* puto excidisse וְעֻזָּא *Ussa erat cum arca*, quae verba innuunt, cur hic arcam tetigerit, non frater ejus Achjo, qui arcam praecedebat. Cf. *Hubigantius*.

e) Verba textus בְּכֹל עֲצֵי בְרוֹשִׁים *in omnibus lignis abietinis*, quae nonnisi duram admittunt explicationem, corrigenda esse puto ex loco parallelo 1 Chron. 13, 8., ubi legitur בְּכֹל עֹז וּבְשִׁירִים, *omnibus viribus et in canticis*.

percuſſit et occidit. 8. David autem hanc cladem, qua Jova Uſſam affecerat, aegerrime tulit, et locum Perez Uſſa (h. e. *cladem Uſſae*) vocavit, quod nomen etiamnum habet. 9. Atque timore Jovae commotus negavit, ſe ejus arcam admittere poſſe. 10. Cum igitur non auderet, eam in arcem ſuam regiam inferre, illata eſt in aedes Obededomi Gittaei, 11. ubi per tres menſes fuit. Fortunavit autem Jova Obededomum, omnemque ejus rem familiarem. 12. Quod cum Davidi eſſet indicatum, transtulit arcam Dei ex illis Obededomi aedibus in arcem ſuam magna cum ſolennitate. 13. Nam cum progreſſi erant, qui arcam bajulabant, ſenos paſſus, immolavit ſingulos boves et arietes opimos. 14. Ipſe autem ſaltavit omnibus viribus ante eam ephodo lineo amictus, 15. et ſic una cum Iſraëlitis inter laetos clamores et tubarum ſonos eam duxerunt. 16. Ubi ventum eſt ad arcem regiam, Michal, Sauli filia, proſpectans per feneſtram vidit Davidem regem ſaltantem et tripudiantem ante arcam, eumque *propterea* contemſit. 17. Poſtquam deinde arcam Jovae in tentorio a Davide hunc in finem exſtructo depoſuerant, immolavit ibi David holocauſta et ſacrificia eucharistica. 18. Quibus peractis bene precatus eſt populo per Jovam omnipotentem, 19. et distribuit in univerſum populum, in totum Iſraëlitarum coetum, in viros et feminas, in ſingulos ſingulas placentas, viaticum et uvam paſſam. Sic omnes domum disceſſerunt, 20. et David quoque ad bene precandum familiae ſuae abiit. Hic obviam ei venit Michala, filia Sauli, eumque his verbis excepit: O quanta fuit hodie regis Iſraëli-

ëlitarum gravitas, qui se spectantibus ancillis servorum suorum nudavit, ut solent sese nudare homines vilissimae conditionis. 21. Respondit ei David: In honorem Jovae, qui me prae patre tuo tuaque familia principem populi sui, Israëlis, constituit, in honorem, inquam, Jovae lusi. 22. Immo magis adhuc me demittam et humilis ero ex opinione tua [f]; sic enim apud ancillas, quas tu dixisti, honorem consequar. 23. Michala, Sauli filia, sine prole mortua est.

CAPUT VII.

David de templo Deo exstruendo cogitat, sed Nathan propheta jussu Dei hoc ei interdicit, addita tamen promissione de filio successore, qui hoc ejus consilium sit exsecuturus, et de perpetuitate regni ejus 1—17. David propterea gratias agit Deo 18—29.

1. *Aliquando* cum rex in palatio suo habitabat, et Jovae beneficio quietem ab omnibus hostibus suis consecutus erat [a], 2. demonstravit Nathani prophetae, non satis decorum sibi videri, quod ipse domum cedrinam inhabitaret, arcam vero Dei esse sub tentorio. 3. Respondit ei Nathan: faceret, quidquid in animo haberet, Jovam enim ei adesse. 4. Sed hac ipsa nocte Jova

f) Pro בְּעֵינַי *oi ὁ* legerunt בְּעֵינֶיךָ *ἐν ὀφθαλμοῖς σου*. Quam lectionem receptae praeferendam esse, facile intelligitur. Nam ipse David sibi non humilis videbatur, sed Michalae, conjugi suae superbae. Sed hic quoque scribarum error satis antiquus est, ut plures alii in his libris obvii. Vulgatus, Syrus, Chaldaeus habent lectionem receptam.

a) Incidunt igitur haec in ultimos annos regni Davidis.

Jova Nathanem jussit 5. Davidem sibi deditum convenire, atque suo nomine haec ei dicere: Tune mihi domum exstrues, in qua habitem, 6. mihi, qui, ex quo Israëlitas ex Aegypto eduxi, usque in hunc diem domum non habitavi, sed sub tabernaculo et tapetibus? 7. Quamdiu inter Israëlitas sum versatus, num unquam ulli ducum [b]) Israëliticorum, cui curam populi mei commiseram, verbum tantum dixi de domo cedrina mihi exstruenda? 8. Tum perge sic loqui ad Davidem meum: Haec dicit Jova omnipotens, ego te a caula pastoritia avocatum populi mei Israëlitici principem constitui, 9. tibi adfui in rebus tuis omnibus, perdidi hostes tuos, tantumque tibi nomen feci, quantum solet summorum in terrarum orbe regum. 10. Sedes certas assignavi populo meo Israëlitico, in quibus sine ullo timore constanti felicitate frui possit, neque amplius ab improbo hoste affligetur, uti olim 11. aut eo tempore, quo judices ei praefeceram. Et tibi quoque quietem concessi ab hostibus tuis omnibus. Praeterea tibi promitto, te posteros habiturum esse, in quibus regia dignitas servabitur. 12. Completis diebus tuis, si cum majoribus tuis obdormieris, filio tuo a te nato [c]) regnum confirmabo. 13. Is mihi tem-

b) Pro שִׁבְטֵי *tribus* in loco parallelo 1 Chron. 17, 6. legitur שֹׁפְטֵי *judices*. Quae lectio haud dubie vera est, quoniam Deus nunquam uni tribui imperium in reliquas concesserat, sed ducibus illis, qui vulgo judices dicuntur. Et tamen antiquae versiones omnes cum recepta textus lectione consentiunt.

c) Quoniam ex vers. 1. dubio caret, Davidem hanc promissionem accepisse sub finem vitae suae, sequitur, Salomonem eo tempore jam natum fuisse. Igitur non יִצֵּא, sed יָצָא est legendum. Quod recte monuit *Michaelis*.

templum aedificabit, huic thronum regni ſui ſtabiliam in perpetuum. 14. Ego patris inſtar ei ero, ipſe mihi inſtar filii. Si deliquerit, caſtigabo eum, ſed diſciplina paterna, plagis humanis. 15. Gratiam vero meam ei non ſubtraham, quemadmodum eam ſubtraxi Saulo, quem prorſus [d]) repudiavi. 16. Familia tua regnum per me [e]) obtinebit ſempiternum, thronus tuus ſtabilietur in perpetuum. 17. Haec omnia, quae Nathani ex revelatione dicta erant, retulit ad Davidem. — 18. Tum hic locum ſacrum rurſum adiit [f]) et ſic coram Jova eſt precatus: Quis ego, Domine Jova, et quae domus mea, qui me hucusque perduxiſti? 19. Atque hoc tibi parum viſum eſt, niſi quoque poſteris meis longe remotis promiſeris, quae legis inſtar *a te latae* hominibus erunt obſervanda. [g]) 20. Et quid am-

---

d) Pro מִלְּפָנֶיךָ *oi ó*, Vulgatus, Syrus legerunt מִלְّפָנַי. Chaldaeus receptam lectionem expreſſit, quae etiam defendi poteſt, ſed priori favet contextus.

e) In textu legitur לְפָנֶיךָ, pro quo *oi ó* et Syrus legerunt לְפָנַי. Quoniam Caph ſequitur, errore ſcribae ſaepe obvio una littera bis ſcripta eſt.

f) Pro וַיֵּשֶׁב *et conſedit*, aliis punctis ſubjectis, lego וַיָּשָׁב. Fruſtra laborant interpretes in afferenda ratione, cur Davidi licuerit, in loco ſacro ſedere. Sic quoque *Michaelis*. Nec tamen diffiteor, ex uſu loquendi in hac conſtructione illud וַיֵּשֶׁב legendum eſſe ante וַיָּבֹא.

g) Ex tot interpretationibus ad verba haec difficilia זֹאת תּוֹרַת הָאָדָם allatis eam eligo, quam obiter dedit Celeb. *Schnurrerus* in faſcic. II. animadv. ad Jobum p. 9. Nomen rectum ſaepe denotat eum, ad quem lex pertinet, ut Levit. 12, 7. זאת תורת הילדת *haec eſt lex, quae ſpectat puerperam*; Levit. 14, 2. זאת תהיה תורת המצרע; Num. 6, 13. הנזיר

amplius tibi David dicere poteſt? Noſti cultorem tuum, Domine Jova. 21. Pro arbitrio tuo dediſti mihi has tantas rerum futurarum promiſſiones. 22. Propterea magnus es, Jova Deus, non eſt tui ſimilis, non eſt Deus praeter te, quemadmodum audiendo accepimus. 23. Et quis eſt populus, tuo Iſraëli ſimilis? Huic nullus in toto terrarum orbe comparandus. Ad quem tibi vindicandum tu ipſe proceſſiſti ad nomen tibi faciendum, atque ut propter eum [h]) magna et terribilia patrares, expellendo [i]) nempe propter populum tuum, quem tibi ex Aegypto redemiſti, gentes *Cananaeas* earumque Deos. 24. Hunc igitur tuum populum ſtabilies, ut populum tibi ſacrum in perpetuum, erisque ejus Deus. 25. Quae vero mihi meaeque familiae promiſiſti, o Jova Deus, haec quoque praeſtabis in aeternum, faciesque, quae dixiſti. 26. Nomen tuum perpetuo celebrabitur; Jova omnipotens, dicent omnes, Deus eſt Iſraëlitarum. Familia autem Davidis, cultoris tui, tuo beneficio durabit. 27. Tu Jova, omnipotens Iſraëlitarum Deus, hoc mihi revelaſti, velle te familiam meam conſervare, propterea auſus ſum haec ad te precari. 28. Jam igitur, mi Domine Jova, tu Deus es, cujus promiſſiones verae ſunt,

---

תורת הנזיר. Sic in noſtro loco תורת האדם-*lex hominibus obſervanda*, et ſenſus verborum eſt: promiſſio haec tua vim legis habebit apud homines, quam abs te latam nemo mortalium poterit reddere irritam.

h) Pro לָכֶם legendum puto לָהֶם. Sic Vulgatus et Syrus. Apoſtrophe ad populum directa nimis dura videtur.

i) Pro לְאַרְצֶךָ in loco parallelo 1 Chron. 17, 21. legitur לְגָרֵשׁ. Sic quoque *oi ó*: *τοῦ ἐκβαλεῖν σε*.

ſunt, tu mihi bona illa promiſiſti. 29. Placeat ergo tibi, fortunare domum meam, ut tuo beneficio in perpetuum duret. Tu, o Domine Jova, hoc promiſiſti, tuoque favore felix erit domus mea in aeternum.

CAPUT VIII.

Bella Davidis cum Philiſtaeis, Moabitis, Edomitis et Syris feliciter geſta. Praedam ex eis potitam Deo conſecrat 1—14. Miniſtri Davidis 15—18.

1. Poſthaec [a]) David victos a ſe Philiſtaeos ſibi ſubjecit, eisque Gatham cum vicis ejus [b]) eripuit. 2. Deinde quoque Moabitas vicit. Quorum captivos ad terram proſtratos fune menſuravit. Duas partes morti addixit, tertiam vivam conſervavit. 3. Porro profligavit Hadadeſerum, [c]) Rechobi filium, regem Neſibenſem, qui ultra Euphratem [d]) imperii ſui limites propagare tentavit. 4. Captivos fecit David de exercitu ejus mille

a) Hoc caput non cohaeret cum praecedenti, ſed cum cap. 5, 17. ſqq.

b) Sic verto ex loco parallelo 1 Chron. 18, 1., in quo pro אֶת־מֶתֶג הָאַמָּה legitur אֶת־גַּת וּבְנֹתֶיהָ. De variis h. l. explicationibus vide ſis *Glaſſium* p. 783.

c) In hujus nominis ſcriptione codd. Hebraei variant. *Kennicottus* 25 codd. citavit, in quibus ſcriptum legatur *Hadareſer*. Sic quoque *οἱ ὁ*, Vulg., Syrus, Arabs.

d) Vocem פְּרָת, quam codd. Maſorethici tantum in margine ponunt, legerunt omnes interpretes veteres in ſuis codd., et *Kennicottus* in 32 codd. in textu invenit. Senſus idem eſt, ſi quoque omittatur, cum conſtet, נָהָר *κατ' ἐξοχὴν* in cod. Hebraeo de flumine Euphrate dici.

mille et ſeptingentos [e]) equites et viginti millia peditum. *Equis* curruum nervos ſuccidit, centum tantum currus reliquos fecit. 5. Syri Damaſceni adjuverant Hadadeſerum, Neſibenſem regem; igitur ex his quoque David duo et viginti millia concidit. 6. Quo facto praeſidia eis impoſuit et tributarios ſibi fecit. Jova Davidi victoriam dedit, quocunque ſe vertebat. 7. Cepit quoque clypeos aureos militum Hadadeſeri, quos Hieroſolymam detulit. 8. Ex Betacho autem et Berotha, oppidis Hadadeſeri, abstulit David ingentem aeris copiam. 9. Toaeus, rex Chamathenſis, poſtquam audierat, Davidem exercitum Hadadeſeri profligaſſe, 10. miſit Joramum, filium ſuum, qui regi gratularetur hanc de Hadadeſero (cum quo bellum geſſerat) victoriam, una cum munere vaſorum argenteorum, aureorum et aeneorum, 11. quae David non minus Jovae conſecravit, quam aurum et argentum, quo ex gentibus a ſe ſubactis eſt potitus, 12. nempe ex Syris, Moabitis, Ammonitis, Philiſtaeis, Amalekitis et Hadadeſero, Rechobi filio, rege Neſibenſi. 13. Poſtquam ex proelio cum Edomitis [f]) in valle ſalis commiſſo, in quo

e) 1 Chron. 18, 4. leguntur ſeptem millia equitum.

f) Pro אֲרָם *Syrus* legendum eſſe אֱדֹם *Edom*, non ſolum teſtimoniis τῶν ὁ, Syri, Arabis et codd. *Kennicotti* 286. et 201. probatur, ſed etiam loco parallelo 1 Chron. 18, 12. et Pſ. 60, 2., atque praeterea verſu ſequenti, in quo occupatio terrae Edomiticae, quae illam victoriam excepit, deſcribitur. Caeterum ne ſic quidem veram lectionem ſibi conſtare, ſed ex 1 Chron. 18, 12. et Pſ. 60, 2. aliam componendam eſſe, conjectat *Michaelis* (in bibl. orient. p. XIII. p. 226.) in hunc fere modum: *erexit David tropaeum, cum rediret ex proelio cum Syris, et Joabus redierat et profligaverat Edomitas in valle ſalis.*

quo duodeviginti millia ceciderant, redierat, tropaeum sibi erexit. 14. Toti Idumaeae praesidia imposuit, eamque fecit tributariam. Jova Davidem servavit in omnibus bellis, quae gessit. 15. Regnavit in omnes Israëlitas, suoque populo jus ex aequo dixit. 16. Joabus, Serujae filius, dux fuit exercitus. Josaphatus, Achiludi filius, cancellarius. 17. Zadokus, Achitubi filius, et Ebjathar, g) Achimelechi filius, fuerunt sacerdotes, Seraja scriba. 18. Benaja, Jojadae filius, praefectus fuit satellitum. h) Filii autem Davidis erant *provinciarum* praefecti.

CAPUT IX.

David amicitiae cum Jonathane memor ejus filium Mephibosethum in aulam vocat, eique fundos Sauli donat.

1. Tum David percontatus est, num superesset aliquis e familia Sauli, cui liberalem se praebere posset propter Jonathanem. 2. Habuerat autem familia Sauli servum, nomine Sibam. Hunc ad Davidem arcessitum rex interrogavit, num esset Siba? Quod cum affirmasset, 3. An nemo superest, inquit rex, de genere Sauli, in quem beneficentiam jurejurando promissam possem exercere? Respondit Siba: Est Jonathanis filius utro-

g) Cum ex 1 Sam. 21, 1. et 22, 9. constet, Ebjatharum filium Achimelechi fuisse, et sic quoque 1 Chron. 18, 16. legatur, vix dubitari potest, nomina haec h. l. esse transposita, errore tamen perantiquo in codd. Nam unus Syrus illam lectionem exhibet, *οἱ ὁ*, Vulg., Chaldaeus receptam.

h) *Crethi* et *Plethi*, de quibus legatur *Ikenius* in dispp. philol. disp. IX. p. 111. et *Michaelis* in jure Mos. p. IV. p. 12.

que pede claudus. 4. Ubi ille eſt? inquit rex. In aedibus, reſpondit Siba, Machiri, filii Ammielis, Lodebare. 5. Tum David miſit, eumque inde arceſſendum curavit. 6. Venit igitur Mephiboſeth, filius Jonathanis, nepos Sauli, ad Davidem, eumque ſupplici-ter eſt veneratus. David eum nomine ſuo compellans 7. juſſit omnem metum deponere, velle ſe ipſi beneſacere propter Jonathanem patrem, reddere ſe ei omnes fundos Sauli, avi ejus, ipſum vero ex menſa ſua cibum ſemper eſſe capturum. 8. Tum iterum Mephiboſeth ſubmiſſe honorem regi exhibuit, et dixit: Quis ego ſum, quod mei, canis mortui ſimilis, rationem habes? 9. Tum rex Sibam, Sauli ſervum, advocavit eique dixit: Omnia, quae Saulus, aut familia ejus habuit, dono filio domini tui. 10. Tu cum filiis tuis et ſervis agros ei debes colere, eorum proventus ad eum deferre, ut habeat, unde vivat; ipſe vero ſemper ad menſam meam comedet. (Siba quindecim habebat filios et viginti ſervos.) 11. Reſpondit Siba regi, ſe omnia, quae juſſiſſet, eſſe facturum. Igitur Mephiboſeth cibum cepit ad menſam regis [a]) ſicut unus filiorum ejus. 12. Habuit filium parvum, nomine Micham. Omnes domeſtici Sibae erant ſervi Mephiboſethi. 13. Vixit Hieroſolymae, quoniam convictor regis erat perpetuus. Fuit vero in utroque pede claudus.

CA-

a) Minus apta eſt h. l. lectio vulgaris עַל שֻׁלְחָנִי *in menſa mea.* Nam non rex loquitur, ſed ſcriptor pergit in hiſtoria. *Oi ὁ* habent: *ad menſam Davidis*; Syrus: *in menſa regis.* Tantum Chaldaeus et Vulgatus lectionem receptam exhibent, pro qua *Kennicotti* codex 182. שלחנו habet.

CAPUT X.

Davidis legati ad Ammonitarum regem missi contumeliose tractantur 1—5. Ille propterea injuriam illatam bello ulciscitur, atque Ammonitas et eorum socios, Syros, magna clade afficit 6—19.

1. Deinde mortuo Ammonitarum rege, cui succesferat Channun, ejus filius, 2. David voluit amicitiam cum eo colere, quae sibi cum ejus patre intercesserat. Misit propterea ad illum legatos, qui de morte patris eum consolarentur. Postquam legati ad Ammonitas pervenerunt, 3. horum principes Channuno, domino suo, persuaserunt, non in honorem patris ipsius aut sui consolandi gratia Davidem mississe, sed ad oppidum investigandum et explorandum, quod deinceps everteret, venisse ejus legatos. 4. Tum Channun jussit eis barbae dimidium radi et medias vestes ad nates usque abscindi et sic eos dimitti. 5. David hac de re certior factus obviam eis misit, homines enim magna erant contumelia affecti, jussitque, ut Hierichunte manerent, donec barba iterum crevisset, tunc redirent. — 6. Ammonitae probe sibi conscii, quantopere Davidem offendissent, a Syris Rechobensibus et a Syris Nesibensibus viginti millia peditum mercede conduxerunt, a rege autem Maachae mille et a Tobensibus duodecim millia. 7. Quibus auditis David misit Joabum cum omni exercitu fortissimorum hominum. 8. Ammonitae ante portam oppidi aciem instruxerunt. Syri vero Nesibenses, Rechobenses, Tobenses et Maachenses separatim in campis. 9. Joabus, cum videret aciem a fronte et a tergo contra se instructam, selegit lectissimos Israëlitarum, quos Syris opponeret. 10. Reliquum autem exercitum

Israe-

tradidit Abiſaeo fratri contra Ammonitas, 11. eique dixit: Si Syri me prement, tu mihi feres auxilium; ſi autem Ammonitae tibi ſuperiores fuerint, ego te adjuvabo. 12. Fortem te gere, et pro populo noſtro et pro oppidis Dei noſtri fortiter pugnemus. Jova autem faciet, quod ei placuerit. 13. Tunc Joabus cum exercitu ſuo aggreſſus eſt Syros et in fugam convertit. 14. Ammonitae, ubi viderunt Syros fugere, fugerunt et ipſi ab Abiſaeo, ſeque in oppidum receperunt. Quibus confectis Joabus ab Ammonitis Hieroſolymam revertit. 15. Sed Syri ab Iſraëlitis caeſi copias ſuas omnes coëgerunt. 16. Hadadeſer adduxit Syros, qui trans Euphratem eſſent. Progreſſi ſunt usque ad Chelamum; praefuit eis Sobachus, dux exercitus Hadadeſeri. 17. Quod cum Davidi eſſet nunciatum, ipſe cum omni Iſraëlitarum exercitu Jordanum trajecit et Chelamum venit. Syri acie contra Davidem inſtructa proelium ei commiſerunt, 18. in quo Iſraëlitis terga dederunt. Deſtruxit David ſeptingentos currus, equitum ſeptem millia occidit, peditum vero quadraginta millia, [a]) Sobachum quoque, ducem exercitus, ibidem interfecit. 19. Poſt hanc cladem, quam regis Hadadeſeri ſubditi ab Iſraëlitis acceperant, pacem cum eis fecerunt et tributarii facti ſunt, neque auſi ſunt Syri poſtea adjuvare Ammonitas.

CA-

a) Sic locum reſtituendum puto ex 1 Chron. 19. 18.; cf. *Hubigantius* ad h. l.

CAPUT XI.

Durante obsidione Rabbae, Ammonitarum metropolis, David Bathsebae amore incensus adulterium cum ea committit 1—5. Uriam, ejus maritum, ab exercitu ad se vocatum remittit et morti objici jubet 6—15. Quo facto Bathsebam uxorem ducit, quae ei filium parit 16—27.

1. Anno vertente, tempore, quo solent reges bellum capessere, misit David Joabum cum suis militibus et omnibus Israëlitis, ut Ammonitas perderent et Rabbam obsiderent, ipse vero mansit Hierosolymae. 2. Aliquando circa vesperam, postquam meridiatus erat, obambulavit in tecto palatii sui, et vidit de tecto mulierem lavantem eximiae pulchritudinis. 3. Missis, qui de ea percontarentur, indicatur, eam esse Bathsebam, Eliami filiam, uxorem Uriae Hethitae. 4. Tum David eam per nuncios arcessendam curavit et cum ea rem habuit. Postquam sese ab immunditie sua purificarat, [a]) domum rediit. 5. Cum vero gravida facta esset, et Davidem hac de re certiorem fecisset, 6. hic ad Joabum misit, jussitque, ut Uriam Hethitam ad se mitteret. 7. Qui cum ad Davidem venisset, David eum interrogavit, num Joabus, num exercitus valerent? num bellum recte procederet? 8. Deinde jussit eum domum suam abire et corpus suum curare. [b]) Simulac e palatio regis discessit, subsecutum est ferculum regium. 9. Verum Urias pernoctavit in porta palatii regii inter reliquos regis stipatores, neque domum suam ivit. 10. Quod cum Davidi esset indicatum, Uriam interrogavit, cur non

a) Sc. per concubitum contracta, ex lege Levit. 15, 18.

b) Hebr. *lava pedes tuos.*

non domum ſuam abiiſſet ex itinere modo reverſus? 11. Reſpondit Urias Davidi: Arca Dei, Iſraëlitae et Judaei ſub tuguriis degunt, dominus meus Joabus ejusque milites per campos caſtrametantur, et ego domum irem ad edendum et bibendum et ad cubandum cum conjuge mea? Per vitam tuam! hoc non faciam. 12. Mane igitur, inquit David, adhuc hodie, cras te dimittam. Manſit ergo Urias Hieroſolymae hoc et ſequenti die. 13. David autem invitarat eum ad epulas, in quibus eum inebriavit. Sed circa veſperam disceſſit et cubavit in loco ſuo inter alios domini ſui ſtipatores, neque ad domum ſuam deſcendit. 14. Mane ſcripſit David epiſtolam ad Joabum, quam per Uriam miſit. 15. Scripſerat autem in hanc ſententiam: ut Uriam in eo loco proelii collocarent, ubi acerrime pugnaretur, deinde eum deſtituerent, ut occideretur et periret. — 16. Poſtquam igitur Joabus oppidum obſervarat, ſtatuit Uriam in loco, quem a viris fortiſſimis defendi ſciebat. 17. Oppidani facta eruptione proelium commiſerunt Joabo, in quo *aliquot* de militibus Davidis perierunt, in his quoque Urias Hethita. 18. Tum miſit Joabus nuncium ad Davidem, qui ei omnem hujus proelii eventum exponeret, 19. eique praecepit, ut, ſi regi omnia, quae accidiſſent, narraſſet, 20. atque hic fortaſſe ira commotus reſponderet: Cur vero propius acceſſiſtis ad oppidum? An neſcitis, tela ex muro mitti? 21. Quis occidit Abimelechum, filium Jerubbeſethi? Nonne mulier, quae fragmen molae de muro in eum abjecit, ut Tebezi moreretur? Cur igitur appropinquaſtis ad murum? tunc regi reſponderet: Etiam Urias Hethita periit.

iit. 22. Nuncius, poſtquam ad Davidem venit, ei expoſuit omnia Joabi mandata. 23. Oppidani, inquiebat, nobis ſuperiores nos in campis aggreſſi ſunt, ſed nos repulimus eos usque ad portas. 24. Hic ſagittarii in nos de muro jaculati ſunt, et perierunt aliquot de tuis, in his quoque Urias Hethita. 25. Reſpondit David nuncio: Haec referre debes Joabo: Noli hac de re perturbari. Eventus belli varius eſt, [c]) urge modo obſidionem atque oppidum everte. Sic animum ejus confirma. 26. Poſtquam uxor Uriae audierat, maritum ſuum mortuum eſſe, luxit eum, 27. et luctu peracto David eam in palatium ſuum recepit et in matrimonium duxit filiumque ex ea ſustulit.

CAPUT XII.

Nathan juſſu Dei Davidem propter peccata commiſſa graviter reprehendit et poenam divinam praedicit 1 — 12. David quidem culpam agnoſcit, ſed puer ex adulterio natus moritur, et fruſtra David apud Deum ejus mortem deprecatur. Pro quo Salomo naſcitur 13 — 25. Rabba tandem a Davide expugnatur, qui ſevera de Ammonitis ſupplicia ſumit 26 — 31.

1. Sed Jovae hoc Davidis facinus displicuit. Miſit propterea ad eum Nathanem, qui hunc in modum coram eo verba fecit: Duo homines erant in oppido quodam, alter dives, alter pauper. 2. Dives quidem pecoris et armenti magnam habebat copiam. 3. Pauper vero nonniſi unam habebat oviculam parvam, quam emerat et aluerat. Apud ipſum et liberos ejus adoleverat. De buccella ejus comedebat, ex calice ejus

c) Hebr. *modo hunc, modo illum comedit gladius.*

ejus bibebat, in sinu ejus cubabat, paucis, erat ei instar filiae. 4. Accidit, ut veniret viator ad virum illum divitem. Tum hic noluit sumere de suis ovibus aut bubus, ut coenam pararet hospiti, sed ei mactavit oviculam viri istius pauperis. 5. Hic David gravi ira commotus respondit Nathani: Per Jovam immortalem! morte dignus est, qui hoc fecerit. 6. Ovem quadruplo restituet eo, quod sine ulla misericordia hoc scelus admisit. — 7. Tum Nathan Davidi dixit: Tu es vir ille. Ego, haec ait Jova, Deus Israëlitarum, te regem unxi in Israëlitas, Sauli manibus ereptum. 8. Tradidi tibi familiam domini tui ejusque mulieres, praeterea tibi tradidi Israëlitas et Judaeos, plura additurus, si haec parva viderentur. 9. Cur tu legem meam contemsisti scelere commisso, quod me valde offendit? Uriam Hethitam gladio occidisti, uxorem ejus tibi sumsisti, postquam eum Ammonitarum gladiis objeceras. 10. Propterea non cessabunt caedes in familia tua, quamdiu vives, [a]) quoniam me contemto uxorem Uriae Hethitae in matrimonium duxisti. 11. Haec Jova dicit: Scito, me in ipsa familia tua mala tibi esse excitaturum. Tuas mulieres te spectante tradam alii, qui cum eis concumbet ipso solis lumine. 12. Tu quidem *illud* occulte fecisti, ego vero hoc faciam coram omnibus Israëlitis, clara solis luce. 13. Respondit David Nathani: Peccavi in Jovam. — Tum Nathan: Remittit ergo, in-

a) In textu est עַד עוֹלָם. Comminatio poenarum divinarum in sequenti versu satis docet, עוֹלָם h. l. tantum de duratione aevi Davidici, h. e. de vita ejus, explicandum esse. Sic alias quoque de vitae humanae duratione dicitur, v. c. Exod. 21, 16.

nquit, tibi Jova peccatum tuum, non morieris. 14. Enimvero, quoniam tu isto facto Jovae inimicis calumniandi occasionem dedisti, filius tibi natus morietur. 15. Quibus dictis Nathan discessit. Jova autem puerum, quem uxor Uriae Davidi pepererat, lethali morbo affecit. 16. David quidem pro eo Deum oravit, jejunavit et *cubiculum* ingressus noctu humi jacuit. 17. Domestici ejus primores conati sunt eum a terra attollere, sed noluit, neque cum eis cibum sumsit. 18. Tandem die septimo puer mortuus est. Hic amici ejus verebantur, ei hanc mortem indicare. Arbitrabantur enim, quoniam vivo adhuc puero nullum solatium admisisset, si ei jam dicerent, puerum mortuum esse, multo magis sese esse afflicturum. 19. At David, videns ministros suos inter se mussitare, intellexit, puerum mortuum esse. Tunc eos interrogavit, num hoc ita esset? Quod cum affirmassent, 20. surrexit e terra, lavit se et unxit et mutatis vestibus aedem Jovae adiit et adoravit. Quo facto domum venit, jussitque cibos apponi et edit. 21. Mirabantur amici ejus, quod faceret. Vivente puero, inquiebant, jejunasti et flevisti, eo mortuo surgis et comedis. 22. Respondit David: Jejunavi et flevi puero adhuc vivente, quoniam sperabam, fieri posse, ut Jova mei misertus ei vitam concederet. 23. Postquam autem mortuus est, quid jejunem? Num potero eum revocare? Ego quidem ad eum abibo, ille vero ad me non revertetur. — 24. Deinde Bathsebam, uxorem suam, consolatus rem cum ea habuit et filium ex ea genuit, quem Salomonem vocavit. Hunc Jova dilexit

xit 25. et per Nathanem prophetam Jedidjam nominavit, quod Jova eum dilexit. [b]) — 26. Interea Joabus oppugnarat Rabbam Ammonitarum, atque jam urbem regiam ceperat. 27. Tunc Davidi per nuncios indicavit, se in oppugnatione Rabbae jam eo pervenisse, ut partem oppidi eam, in qua aqua esset, cepisset. 28. Cogeret igitur reliquum exercitum, atque oppidum obsideret et caperet, ne, si ipse id expugnaret, sibi victoriae laus tribueretur. 29. Igitur David coactis copiis omnibus Rabbam profectus est, eamque aggressus expugnavit. 30. Coronam regis Ammonitarum pendentem talentum auri et lapidibus pretiosis ornatam sibi imposuit, atque ingentem praedae copiam ex urbe abstulit. 31. Oppidanos autem eductos et tribulis et securibus ferreis trucidavit, alios in fornace lateraria combussit. Sic fecit omnibus Ammonitarum oppidis, [c]) tandemque cum toto exercitu Hierosolymam est reversus.

CAPUT XIII.

Amnon amore in Tamaram sororem incensus eam vi comprimit 1—22. et propterea ab Absalomo dolose occiditur 23—39.

1. Absalomus, Davidis filius, sororem habebat pulchram, nomine Tamaram. Hujus amore capiebatur

b) In textu est: בַּעֲבוּר יְהוֹוָה *propter Jovam*, sensu obscuro et imperfecto. Sed Vulgatus, Syrus et Arabs habent: *eo, quod diligeret eum dominus.* Hi igitur interpretes ante יְהוֹוָה legerunt יָדִיד, quod verbum rationem nominis impositi *Jedidja* ex-

tur Amnon, ipſe quoque Davidis filius, 2. atque adeo eam deperibat, ut aegrotaret. Nam cum Tamara ſoror ejus eſſet, eademque virgo, difficillimum ei videbatur, ea potiri. 3. Habebat autem amicum Jonadabum, filium Simaei, fratris Davidis, hominem perquam callidum. 4. Is eum interrogabat: Cur tu, princeps, in dies macreſcis? Visne mihi cauſam indicare? Reſpondebat Amnon: Amo Tamaram, ſororem fratris mei Abſalomi. 5. Decumbe in lecto, inquiebat ille, et morbum ſimula. Quodſi pater tuus ad te viſendum venerit, roga eum, ut veniat Tamara, ſoror tua, quae tibi cibum paret faciatque te ſpectante, quem ex manu ejus comedas. 6. Igitur Amnon recubuit, morbum ſimulans. Venit rex ejus videndi cauſa. Tum Amnon ab eo petiit, ut veniret Tamara, ſoror ſua, quae ſibi ſpectanti duas placentulas faceret, quas ex manu ejus ederet. 7. David miſit ad Tamaram, juſſitque, ut domum Amnonis, fratris ſui, iret et cibum ei pararet. 8. Quo cum veniſſet, ille in lecto decubuit. Sumſit farinam, eaque ſubacta coxit placentulas eo ſpectante. 9. Quo facto eas ex ſartagine coram eo effudit, ſed recuſavit, comedere, juſſitque, ut omnes exirent. Egreſſis omnibus 10. rogavit Tamaram, ut cibum in conclave inferret, ut ex ipſius manu comederet. Illa igitur intulit placentulas, quas paraverat, ad Amnonem, fratrem ſuum, in conclave. 11. Sed cum eas ad comeden-

explicavit et propter ſimilem vocem praecedentem errore ſcribarum excidit.

c) De hac Davidis in victos hoſtes crudelitate ex jure belli iſtarum gentium et temporum dijudicanda vid. *Michaelis* in jure Moſaico p. I. §. 64. p. 332. et *Glaſſius* p. 807.

edendum praeberet, ille eam prehendit, dixitque: Concumbe mecum, mea ſoror. 12. Tum illa: Noli, mi frater, noli mihi vim facere. Turpiſſimum hoc habetur inter Iſraëlitas, noli hoc flagitium committere. 13. Ego enim quid adeo dehoneſtata facerem? Tu vero ſceleratiſſimus omnium Iſraëlitarum habeberis. Loquere cum rege, is me tibi non denegabit. 14. Ille vero noluit ei morem gerere, ſed per vim ſtuprum intulit. 15. *Peracto flagitio* odium in eam concepit, quod majus eſſet amore, quo antea eam erat proſecutus, juſſitque, ut discederet. 16. Tum ei demonſtravit, ſic rem peſſimam pejorem adhuc fieri, ſi ab eo dimitteretur. Sed ille noluit ei obtemperare, 17. juſſitque famulum ſuum eam foras emittere, januamque poſt eam obſerare. 18. (Induta autem erat tunica variegata; ſic enim ſolebant regis filiae virgines inde a pubertatis annis veſtiri.) a) Poſtquam igitur famulus eam eduxerat, januamque poſt eam clauſerat, 19. illa pulvere caput conſperſit, tunicam variegatam laceravit, manibusque capiti impoſitis inter eundum eſt vociferata. 20. Tum Abſalomus, ejus frater, dixit: Num Amnon, frater tuus, tecum fuit? At enim-

ve-

a) In textu legitur: מְעִילִים *pallia*. Sed quid *pallia* hoc loco ſibi volunt, cum de tunica ſermo ſit? Pro illis igitur כָּתְנוֹת ſcribendum fuiſſet, ſi poſt verba כֵּן תִּלְבַּשְׁנָה veſtimenti genus iterum nominari debebat. Atque in ſequenti verſu narratur quoque, Tamaram *tunicam*, non *pallium*, ſcidiſſe, quae veſtes fuerunt apud Hebraeos perquam diverſae. Suboluit jam *Hubigantius* vitium, quod emendavit מֵעֲלָמִים *a teneris* ſ. *a prima juventute*. *Michaelis* propius ad verum videtur acceſſiſſe, dum legi vult מֵעָלִים *a pubertate* ab غلم *coëundi cupidus fuit*.

vero, mea ſoror, file, frater tuus eſt, noli hac de re nimis moveri. Vixit deinde Tamara in aedibus fratris ſui Abſalomi ſolitaria. 21. David re cognita vehementer iraſcebatur. 22. At Abſalomus cum Amnone *hac de re* neque amice neque inimice eſt locutus. Grave autem odium in eum conceperat, quod Tamaram, ſororem ſuam, vitiaverat. — 23. Biennio poſt, cum Abſalomus tonſuram faceret Baalchazore prope Ephraimum, invitavit omnes regis filios. 24. Regem quoque adiit, atque ab eo petiit, ut una cum aulicis ſuis convivio intereſſet. 25. At rex reſpondit: Non omnes, mi fili, veniemus, ne tibi moleſti ſimus. Ille quidem inſiſtebat precibus ſuis, ſed rex negavit, eique gratias egit. 26. Tum Abſalomus petiit, ut ſaltem Amnon, frater ſuus, veniret. Cur vero is? inquit rex. 27. Sed cum ille inſiſteret, tandem tamen impetravit, ut Amnon et omnes regis filii venirent. 28. Praeceperat autem Abſalomus famulis ſuis, ut, ſi viderent Amnonem vino exhilaratum, ſigno a ſe dato eum interficerent. Ne timerent, juſſu ſuo hoc ab eis fieri, fortes eſſent et alacres. 29. Hi igitur ex voluntate Abſalomi interfecerunt Amnonem. Tunc omnes regis filii mulis ſuis conſcenſis aufugerunt. 30. Cum adhuc eſſent in itinere, fama venit ad Davidem, Abſalomum omnes regis filios occidiſſe, ne uno quidem relicto. 31. Rex ſciſſis veſtibus ad terram ſe abjecit, omnesque ejus aulici adſtabant laceris veſtibus. 32. Hic Jonadabus, Simaei, fratris Davidis, filius, infit: Ne putes, domine, omnes tuos filios occiſos eſſe, unus Amnon haud dubie mortuus eſt. Id enim decreverat

Ab-

Abſalomus ab eo die, quo Amnon Tamaram, ejus ſororem, vitiaverat. 33. Noli igitur vereri, mi domine rex, omnes tuos filios eſſe occiſos, Amnon tantum mortuus eſt, 34. et Abſalomus fuga evaſit. — Tum ſpeculator vidit magnam hominum turbam ſeſe excipientium a latere montis. 35. En! inquiebat Jonadab, veniunt regis filii, uti dixi. 36. Vix loqui deſit, adſunt et ſublata voce plorant. Rex quoque cum aulicis ſuis omnibus magnum ejulatum edunt. 37. Abſalomus autem fugit ad Talmaeum, Ammihudi filium, regem Geſurenſem, et David [b]) luxit filium ſuum quotidie. 38. Poſtquam Abſalomus Geſure, quo fugerat, tres annos commoratus fuerat, 39. David ſuper morte Amnonis conſolatus ejus videndi deſiderio tenebatur.

CAPUT XIV.

Joabus ad Abſalomum patri ſuo reconciliandum ſubornat mulierem, quae fraude a Davide impetrat, ut revocetur 1—23. Sed poſt biennium demum in conſpectum regis admittitur 24—33.

1. Joabus, Serujae filius, qui intelligebat, Davidem animo eſſe placato in Abſalomum, 2. miſit Tekoam atque inde arceſſivit mulierem quandam callidam, cui perſuaſit, ut luctum ſimularet, veſtes lugubres indueret, nec oleo ſe ungeret, inſtar mulieris, quae jam diu mortuum lugeret. 3. Sic regem adiret et

b) Deeſt nomen *Davidis* in omnibus codd. Hebr., uno excepto, qui a *Kennicotto* ſub num. 99. citatur. Is lectionem exhibet plane ſingularem וישמע דוד ויתאבל. E verſionibus antiquis omnes nomen *Davidis* exprimunt praeter Chaldaeum.

et cum eo loqueretur. Simul eam dicendis instruxit. 4. Mulier igitur illa Tekoënsis coram rege ad terram suppliciter in faciem prolapsa, Serva me, rex, inquit. 5. Quid habes? respondit rex. Mulier sum, inquit illa, vidua. Mortuo marito meo 6. filii mei, quos duo habebam, ruri inter se contendebant, et cum nemo adesset, qui eos dirimeret, unus alterum interfecit. 7. Jam omnes de familia contra me insurgunt, et volunt, ut tradam fratricidam ad supplicium propter caedem in fratre admissam. Sic perdere volunt heredem, sic exstinguunt scintillam mihi relictam, ita ut mariti mei nec nomen nec posteritas in terra superfit. 8. Respondit rex mulieri: Abi domum tuam, ego de te praecipiam. 9. At mulier Tekoënsis, Ego, inquit, mi domine rex, et patris mei familia culpam omnem praestabimus, rex vero et thronus ejus sint immunes. 10. At rex: Si quis tibi *porro* adversabitur, hunc ad me adducito, nec tibi amplius erit molestus. 11. Tunc illa: Recordetur rex Jovae, Dei sui, ne tot sanguinis vindices nocere parati filium meum perdant. Et rex: Per Jovam immortalem! ne pilum quidem amittet filius tuus. 12. Tunc mulier: Liceat mihi, pauca apud te, rex, loqui. Loquere sane, inquit rex. 13. Et mulier: Cur vero sic statuis in causa ad populum Dei pertinente? Hac enim sententia te ipsum damnas, dum propter te profugum non revocas. 14. Mortales sumus, similes aquae in terram effusae, quae non colligitur. Nec tamen Deus e medio tollit hujusmodi homicidam, sed legem sanxit, qua exsulem a se non repellit. 15. Jam igitur ingenue fateor,

me hoc consilio venisse, ut tecum, mi domine rex, hac de re *tecte* loquerer, nam deterruerunt me [a]) homines; propterea tutius existimavi, si tecum simulate loquerer, fortasse precibus meis locum dares. 16. Si rex promiserit, me defendere ab eo, qui me et filium meum ejicere vult e terra patria: [b]) 17. equidem existimabam, regem quoque mitiorem sententiam pronunciaturum esse. [c]) Rex enim est instar angeli Dei *sapientissimus*, ut statim possit bonum a malo discernere. Jova, Deus tuus, tibi adsit. — 18. Ad haec rex mulieri respondit: Noli me celare, quod ex te quaeram. Loquere sane, mi domine rex, inquit illa. 19. Nonne horum omnium auctor suasorque tibi fuit Joabus? ait rex. Respondit mulier: Per vitam tuam! mi domine rex, minime erras in eo, quod dixisti. Utique Joabus tuus mihi auctor fuit hujus rei. 20. Is me instruxit his omnibus, quae dicerem. Ast dominus meus angelica sapientia praeditus novit omnia. 21. Tum rex Joabo dixit: Concedo *tibi* hoc, i revocatum juvenem Absalomum. 22. Joabus in faciem humi prolapsus submisse regi gratias egit; Hodie quidem intelligo, inquit, me apud te gratia valere, quod precibus meis locum dedisti. 23. Deinde Gesurum profectus Absalomum Hierosolymam reduxit. 24. Sed rex jussit, ut domi suae maneret, nec vero in conspectum suum veniret. Igitur abiit domum suam, nec regem vidit. — 25. Absalomus autem ob eximiam pul-

a) Sc. fore, ut irascereris propter audaciam meam.

b) Hebr. *ex possessione Dei*. Sic saepe terra Israëlitica vocatur.

c) Scilicet in causa Absalomi.

pulchritudinem, qua omnes Israëlitas antecellebat, valde laudabatur. A vestigio pedis ad verticem usque omnis vitii expers erat. 26. Quando caput tondebat, quod quotannis facere solebat, capilli gravitate sic cogente, pendebat ejus caesaries ducentos siclos pondere regio. 27. Nati sunt ei tres filii et una filia, nomine Tamara, quae mulier fuit perquam pulchra. — 28. Postquam Absalomus biennium Hierosolymae fuerat, neque in conspectum regis venerat, 29. misit ad Joabum, ut eum ad regem ablegaret. Sed ille venire noluit. Cum iterum misisset et ille venire recusaret, 30. jussit famulos suos, ut agrum Joabi, qui esset juxta fundum suum, hordeo consitum incenderent. Quod cum illi fecissent, 31. convenit Joabus Absalomum, eumque interrogavit, cur hoc ab eis factum esset. 32. Respondit Absalomus Joabo: Propterea te arcessendum curavi, ut te ad regem mitterem, cui *nomine meo* diceres: Quem in finem Gesure veni? Satius mihi esset, adhuc illic degere. Liceat mihi, in conspectum tuum venire; si criminis reus sum, me interfice. 33. Adiit igitur Joabus regem, eique *mandata Absalomi* exposuit. Tunc rex Absalomum ad se vocavit. Qui cum humi se in faciem coram rege abjecisset, hic eum est osculatus.

CAPUT XV.

Abſalomus, poſtquam variis artibus favorem populi captavit 1—6., contra patrem ſuum rebellat 7—12. David urbe relicta fugit cum ſuis 13—26. Quosdam tamen ex amicis ſuis in urbem remittit, ut Abſalomi conſilia explorent 27—37.

1. Poſtea comparabat ſibi Abſalomus currus, equos et quinquaginta ſatellites. 2. Mane adſtabat viae ad portam *regiae*, et ſi quis litem ſuam ad regem deferre et jus petere volebat, tunc eum alloquebatur, et interrogabat, ex qua urbe eſſet. Quodſi tunc ille tribuum aliquam vocaſſet, 3. dicebat ei Abſalomus: Cauſa tua bona quidem eſt et aequa, ſed nemo eſt a rege conſtitutus, qui te audiat. 4. Utinam ego, ſic pergebat, judex conſtituerer, ut ad me venirent omnes, qui litem aut cauſam haberent, et jus eis redderem. 5. Si quis accedebat ad honorem ei ſuppliciter exhibendum, ille porrecta manu eum prehendebat et osculabatur. 6. Sic faciebat omnibus Iſraëlitis, qui ad regem veniebant juris petendi cauſa, et ſic omnium Iſraëlitarum animos furtim ſibi conciliabat. — 7. Poſt quatuor [a]) annos rogabat Abſalomus regem, ut ſibi liceret, Hebronem proficiſci, ibique votum Jovae nuncupatum perſolvere. 8. Nam cum Geſure in Syria degiſſet, vo-

a) In textu recepto legitur quidem *poſt quadraginta annos*, ſed dudum probarunt viri docti, legendum eſſe אַרְבַּע *quatuor*, non אַרְבָּעִים *quadraginta*. Sic quoque legerunt Joſephus, Syrus, Trabs, Theodoretus. Atque res ipſa quoque docet, initium horum annorum ducendum eſſe a reditu Abſalomi e Geſure, annos vero aetatis Abſalomi non poſſe intelligi, quoniam ejus quadrageſimus in ultimum annum vitae Davidis incideret. Sic jam *Cappellus* et poſt eum *Grotius*, cf. *Kennicottus* in diſſert. II. ſuper ratione textus Hebraei, p. 347. verſ. Lat., *Hubigantius*, *Michaelis*.

votum se fecisse, velle se Jovae sacra facere, si ab eo Hierosolymam esset reductus. 9. A rege amice dimissus, Hebronem proficiscebatur. 10. Interea ad omnes tribus Israëliticas miserat exploratores, qui populo persuaderent, si tubae sonum audirent, Absalomum Hebrone regem factum esse proclamarent. 11. Comitabantur eum ducenti cives Hierosolymitani ab eo invitati, homines cetera integri et totius rei ignari. 12. Praeterea arcessierat Ahithophelem Gillonitam, consiliarium Davidis, ut sacrificio interesset. Haec conjuratio valida erat, et de populo in dies plures ad Absalomum confluebant. — 13. David, certior factus de eo, quod Israëlitae Absalomo saverent, 14. hortatus est suos omnes, qui apud ipsum Hierosolymae essent, ut fugerent, alioquin se Absalomo non posse evadere; properandum esse, ne ab eo oppressi perderentur, oppidani autem gladio interficerentur. 15. Illi responderunt: se ad omnia, quae vellet aut juberet, paratos esse. 16. Igitur migravit rex cum tota familia sua, relictis tantum decem pellicibus ad domum custodiendam. 17. Ipse praecedebat, milites sequebantur, et ad Bethmerchak subsistebant. 18. Hic recensuit milites suos, qui prope ipsum transibant, satellites suos, [b]) Gathenses, numero sexcentos, qui cum eo Gatha venerant. 19. Sed rex Ittaeo Gathensi dixit: Cur tu mecum ires? Revertere ad regem, nam peregrinus es; sive etiam in patriam tuam redi. 20. Heri modo venisti, cur te hodie ad oberrandum nobiscum abducerem? ipse enim ego incer-

b) Hebr. *Crethi et Plethi*, de quibus cf. obs. ad cap. 8, 18.

certus ſum, quo me convertam. Revertere igitur cum popularibus tuis. Te virum bonum eſſe, jam ſatis probaſti. c) 21. Reſpondit Ittaeus: Per Jovam immortalem et per vitam tuam! mi domine rex, ubicunque tu fueris, ſive moriendum ſit ſive vivendum, d) ibi ego quoque ſum futurus. 22. Tunc David juſſit eum praeterire. Praeteriit ergo Ittaeus Gathenſis cum hominibus ſuis et parvulis, quos ſecum habebant. 23. Omnes autem, qui praeſentes erant, acerbe plorabant. Poſtquam omnes praeterierant, rex cum militibus torrentem Kidronem transierunt e regione viae verſus deſertum. 24. Aderat etiam Sadokus cum Levitis omnibus arcam legis divinae bajulantibus, quam interea depoſuerant. Poſtquam omnes urbe erant egreſſi, venit quoque Ebjathar. e) 25. Sed rex Sadoko dixit: Refer arcam Dei in urbem. Si Jova mihi favet, me reducet, efficietque, ut eam ejusque domicilium rurſus videre poſſim. 26. Sin me ſibi placere negaverit, faciat ſane mi-

c) Verba textus ſunt: עִמָּךְ חֶסֶד וֶאֱמֶת, quae alii optative explicant: *tecum ſit gratia et veritas*, ſc. Dei. Sic *οἱ ὁ*: *καὶ κύριος ποιήσει μετὰ σοῦ ἔλεος καὶ ἀλήθειαν*. Sed Vulgatus: *quia oſtendiſti gratiam et fidem.*

d) Hebr. *ſive ad mortem ſive ad vitam*, h. e. ſive adverſa ſive ſecunda fortuna utaris.

e) Verba textus difficilia ſunt וַיַּעַל אֶבְיָתָר *aſcendit Ebjathar. Michaelis* vertit: *Ebjathar ſacrificabat, usque dum populus urbe eſſet egreſſus.* Sed dubito, an in tanta rerum omnium perturbatione de ſacrificiis offerendis, idque in loco alieno, quisquam cogitarit. Neque de fide in Davidem ſuſpectus mihi videtur Ebjathar, uti Clerico, quoniam in ultimis fuit, qui regem ſequebantur. Nam potuit alia de cauſa non reprehendenda forſan ab ipſo Davide juſſus in urbe remorari.

ihi, quod ei visum fuerit. 27. Tum porro rex Sadoko sacerdoti dixit: Attende, redi in urbem quiete. uo filii vestri; Achimaasus tuus, et Jonathan, Ebjaris filius, apud vos sint. 28. Attendite, *inquam*, o morabor in planitie solitudinis, donec a vobis incium accepero. 29. Redierunt igitur Sadokus et bjathar cum arca Dei Hierosolymam, ibique manrunt. 30. David autem adscendit montem olivam plorans, capite operto et nudis pedibus incedens. mnes quoque, qui eum comitabantur, capita sua volverant et collacrimabant adscendendo. 31. Cum inde Davidi esset indicatum, [f]) Ahithophelem quoque e inter eos, qui cum Absalomo conjurassent, Jovam

---

f) Lectio textus recepta est וְדָוִד הֻגַּד *et David declaravit* etc. Sed omnes interpretes antiqui passive vertunt: *Davidi indicatum est.* Praeterea duo *Kennicotti* codd. 155. et 246. habent וְלְדוד הגיד, quae est illa ipsa antiquarum vers. lectio, et alius sub num. 254. habet הוגד passive: *David certior factus est.* Qui testium consensus ex regulis criticis, quas in aliis locis viri docti sequendas praecipiunt, in h. l. non contemnendus videtur. Igitur non possum assentiri Ill. *Michaeli*, qui lectionem vulgarem defendit ex ratione, quae nulli interpretum, quod ipse ait, neque antiquorum neque recentiorum in mentem venit, quam vero ipse pro ἀγχινοίᾳ sua indagavit. Nempe Davidem jam antea novisse, Ahithophelem conjurationis esse participem, sed noluisse id declarare, ne omnium animos terrore impleret, quoniam ab hujus viri calliditate sibi quisque timuisset. Jam vero, *cum alea jacta esset*, Davidem, quid factum esset, declarare. — Quoniam judicium de eo, quod probabile sit, quod minus, varium esse solet, fateor, nec mihi valde probabile videri, Davidem prius certiorem factum esse de Ahithophelis perfidia, quam alios; neque eum tam parum virtuti et constantiae suorum fidere potuisse, ut sibi verendum fuisset, ne se desererent, aut animos prorsus desponderent, si audirent, Ahithophelem participem esse conjurationis.

vam precatus eſt, ut irritum redderet Ahithophelis conſilium. 32. Poſtquam in verticem montis pervenerat, ubi Deum ſuppliciter adoravit, occurrit ei Chuſaeus Archita tunica lacerata et capite conſperſo pulvere. 33. Cui David dixit: Si mecum ibis, eris mihi oneri. 34. Quodſi in urbem reverſus Abſalomo dixeris: Tuus ero, o rex, patri tuo quidem hactenus deditus fui, jam vero tuus ero; irritum reddere potes Ahithophelis conſilium. 35. Tecum ibi ſunt Sadokus et Ebjathar ſacerdotes. Quae tibi ex aedibus regis innotuerint, tu illis poteris indicare, 36. et per horum filios, Ahimaazum Sadoki et Jonathanem Ebjatharis, poteſtis me certiorem facere de iis, quae audiiſtis. 37. Sic Chuſaeus, amicus Davidis, perrexit ad urbem Hieroſolymam, quo etiam Abſalomus venit.

CAPUT XVI.

Siba calumniatur Mephibofethum apud Davidem, qui nimis credulus hujus fundos illi donat 1—4. Simei conviciis proſcindit Davidem, ſed hic patienter perfert ejus convicia, et vindictam prohibet 5—13. Chuſaeus perſuadet Abſalomo fidem ſuam 14—19. Abſalomus ex conſilio Ahithophelis concumbit cum patris ſui pellicibus 20—23.

1. Poſtquam David paullulum progreſſus erat de vertice montis, obviam ei venit Siba, domeſticus Mephibofethi, qui duos agebat afinos clitellatos onuſtos ducentis panibus, centum uvis paſſis, totidemque palathis et utre vini. 2. Quorſum iſta? inquit rex. Reſpondit Siba: Afini inſerviant familiae regis ad vehendum, panes et palathae militibus, et vinum ad bibendum

dum delassatis in deserto. 3. Tum rex: Ubi vero est filius domini tui? Mansit Hierosolymae, inquiebat Siba, sperat enim, fore, ut Israëlitae regnum paternum ei jam conferant. 4. Dono tibi, ajebat rex, omnia, quae Mephibosethus habet. Respondit Siba: Gratias ago humillimas, meque tuo, mi domine rex, favori commendo. — 5. Cum deinde David prope Bachurim venisset, prodibat illinc homo quidam ex gentilitate familiae Sauli ortus, nomine Simei, filius Gerae. Is conviciabatur, 6. lapidibusque petebat Davidem ejusque milites, qui, ut et heroës, eum a dextra et sinistra comitabantur. 7. Sic vero dicebat convicians: Egredere, egredere, vir sanguinarie, homo pessime! 8. Jova jam poenas a te repetit propter caedes commissas in familia Sauli, cujus tu regnum occupasti. Dedit Jova regnum Absalomo, filio tuo. Jam tua te scelera premunt, nam homo es sanguinolentus. 9. Tunc Abisaeus, Serujae filius, regi dixit: Cur vero iste, cane mortuo vilior, domino meo regi convicietur? Permitte, ut abeam, et caput ei amputem. 10. At rex respondit: Quid res meae ad vos, filii Serujae? Maledicat, Jova eum jussit mihi maledicere, quis eum propterea in jus vocet? 11. Ipse meus filius ex me natus (sic pergebat David ad Abisaeum et ad stipatores suos omnes) vitae meae insidiatur, quanto magis Benjaminita. Sinite eum maledicere, Jova hoc eum jussit. 12. Fortasse Jova meae calamitatis rationem habebit, mihique rependet bonum pro maledictis hujus diei. 13. Sic pergebat David in via cum suis. Simei autem in latere montis juxta eum incedebat maledicens, lapides in eum projiciens, et pulve-

verem ſpargens. 14. Tandem rex et omnes, qui cum eo erant, pervenerunt Ajephimum [a]) ibique conquieverunt. — 15. Abſalomus autem, comitante eum univerſo populo Iſraëlitico et Ahithophele, Hieroſolymam introivit. 16. Cum eum Chuſaeus, amicus Davidis, adiret et regem ſalutaret, 17. dixit ei Abſalomus, num talem gratiam rependeret amico ſuo? cur hunc non eſſet comitatus? 18. Reſpondit Chuſaeus: Minime vero, ſed quem Jova, hic populus omnesque Iſraëlitae eligunt, hujus ero, et cum hoc manebo. 19. Deinde cui ſerviam? Nonne ejus filio? Quemadmodum patri tuo, ita tibi quoque deditus ero. — 20. Tum Abſalomus ab Ahithophele poſtulavit, ut conſilium daret, quid faciendum eſſet. 21. Ahithophel ei ſuaſit, ut pellices patris ſui, quas ad domum cuſtodiendam reliquiſſet, iniret. Si omnes Iſraëlitae audiſſent, ſpem non eſſe, ut cum patre in gratiam rediret, qui jam eſſent ei addicti, eo magis iri confirmatum. 22. Igitur fixo in tecto tabernaculo Abſalomus cum pellicibus patris ſui congreſſus eſt in conſpectu omnium Iſraëlitarum. 23. Conſilium Ahithophelis illis temporibus inſtar oraculi divini aeſtimabatur. Tanti, quidquid ille ſuaſerat, faciebant cum David tum Abſalomus.

CA-

a) עֲפִיקָם. Interpretes antiqui omnes *feſſi* ex ſignificatione, quam עיף alias habet. Sed quoniam שָׁם ſequitur, videtur eſſe nomen proprium loci.

CAPUT XVII.

Callidum Ahithophelis consilium ab Absalomo improbatur, et Chusaei consilium praefertur 1—14. Chusaeus Davidem certiorem facit de periculo, qui propterea Jordanum trajicit 15—22. Ahithophel vitam suspendio finit. David cum suis liberalitate fidelium quorundam subditorum sustentatur 23—29.

1. Tum Ahithophel Absalomo dixit: Ego delectis duodecim hominum millibus hac ipsa nocte Davidem persequar. 2. Aggrediar eum adhuc fatigatum *ex itinere* et imprudentem, atque terrore ei injecto fugient omnes, quos secum habet, et sic unus rex occidetur. 3. Tunc reducam ad te universum populum. Idem erit ac si omnes reverterentur, illo, quem tu quaeris, *interfecto*. Populus autem omnis erit salvus. [a]) 4. Placuit haec sententia Absalomo et omnibus Israëlitarum primoribus. 5. Attamen ille jussit Chusaeum Architam vocari, ut hujus quoque sententia audiretur. 6. Venit Chusaeus, et Absalomus ei dixit: Haec est sententia

a) Verti textum receptum eumque obscurum, ut potui. *Οἱ ὁ* aliam ejus lectionem exhibent, quam profecto non ex ingenio suo dederint, sed in suo codice legerint: *Καὶ ἐπιστρέψω πάντα τὸν λαὸν πρὸς σὲ, ὃν τρόπον ἐπιστρέφει ἡ νύμφη πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, πλὴν ψυχὴν ἀνδρὸς ἑνὸς σὺ ζητεῖς, καὶ παντὶ τῷ λαῷ ἔσται εἰρήνη.* Quis non videt, eos illa verba, in quibus maxime laboratur, כְּשׁוּב הַכֹּל הָאִישׁ, legisse: כְּשׁוּב כַּלָּה הָאִישׁ אִישׁ אֶחָד אֲשֶׁר אַתָּה מְבַקֵּשׁ נַפְשׁוֹ. Vulgatus etiam אחד legisse videtur, quod bis repetit: *quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quaeris et omnis populus erit in pace.* Sed Syrus habet textum vulgarem, quem obscure sic vertit: *populum universum ad te reducam,* ܐܝܟܡܐ ܕܐܬܬܐ ܒܥܐ ܠܡܐܬܐ ܗܘܐ ܐܢܫ *acsi rediret quisquis, quem velles, et totus populus erit salvus.* Neque tamen audeo lectionem vulgarem ex uno *τῶν ὁ* testimonio emendare.

tia Ahithophelis. Num putas eam ſequendam eſſe, an non? Quid tibi videtur? 7. Tum ille huic reſpondit: Hac quidem vice non bonum videtur Ahithophelis conſilium, quod dedit. 8. Noſti, patrem tuum ejusque milites eſſe fortiſſimos et feroces ad inſtar urſae pullis ſuis orbatae. Praeterea pater tuus, homo belli peritus, non pernoctabit inter reliquos milites. 9. Haud dubie ille jam in fovea aut alio quodam loco latet. Quodſi tunc nonnulli de populo [b]) principio ceciderint, et innotuerit, tuos cladem accepiſſe, 10. tunc vel fortiſſimus, inſtar leonis animoſus, metu exanimabitur. Norunt enim omnes Iſraëlitae, patrem tuum et qui cum eo ſunt viros eſſe fortiſſimos. 11. Ego quidem ſic cenſeo: Congregentur ad te omnes Iſraëlitae a Dane usque ad Berſebam [c]) tanta multitudine, quae arenae maris aequet, et tu ipſe dux belli ſis. 12. Tunc eum aggrediemur, ubicunque locorum inveniatur, et invademus eum, ſicuti ros in terram cadit, neque de ipſo, aut de ejus militibus ullum ſuperſtitem eſſe finemus. 13. Quodſi in oppidum aliquod ſeſe receperit, omnes Iſraëlitae funes injicient *muro* iſtius oppidi, et trahemus eum in foſſam, ita ut ne lapillus quidem ſuperſit. — 14. Abſalomus et Iſraëlitarum principes judicarunt, Chuſaei Architae conſilium praeferendum eſſe ei, quod Ahithophel dediſſet, Jova ſic rem dirigente, ut irritum redderet bonum Ahithophelis conſilium et in Abſa-

b) Pro בָּהֶם malim legere בָּעָם, quod etiam ſequitur. Sed nullum eſt hujus lectionis indicium in verſionibus.

c) Cſ. cap. 3, 10.

ſalomum malum *promeritum* adduceret. 15. Quo facto Chuſaeus Sadokum et Ebjatharem ſacerdotes certiores fecit de eo, quod Ahithophel Abſalomo et primoribus Iſraëlitis, et quod ipſe conſuluiſſet. 16. Mitterent igitur ſtatim ad Davidem, eumque monerent, ne noctem in campis deſerti transigeret, ſed ſine mora *Jordanum* trajiceret, ne rex cum militibus ſuis opprimeretur. 17. Jonathan vero et Achimaaz ſtabant ad fontem Rogel, quoniam non audebant in urbem palam ingredi. Ad hos ancilla nunciatum ivit, atque hi disceſſerunt, ut Davidi *mandata* indicarent. 18. Sed viderat eos miles, qui hoc Abſalomo indicavit. Illi vero properarunt et venerunt domum viri cujusdam Bachurimenſis, cujus in atrio puteus erat, in quem deſcenderunt. 19. Mulier autem ſtragulum ſuper eo expandit, in quo grana contuſa effudit. Sic res celata eſt. 20. Tum milites Abſalomi venerunt domum illius mulieris, et interrogarunt, ubinam eſſet Achimaaz et Jonathan? Illa vero reſpondit, eos rivulum illum transiiſſe. Sic *milites* eos quaeſiverunt, et cum non inveniſſent, Hieroſolymam reverterunt. 21. Poſtquam disceſſerant, illi e puteo aſcenderunt, atque Davidi regi nunciarunt, ſtatim flumen eſſe transeundum propter Ahithophelis conſilium, quod contra eos dediſſet. 22. David cum toto ſuo exercitu Jordanum trajecit, ita ut ſub diluculum nemo reſtaret. 23. Ahithophel, cum videret, ſuo conſilio non eſſe obtemperatum, ſtrato aſino domum ſuam in urbe patria petiit, et rebus ſuis dispoſitis ſe ipſum ſtrangulavit. Sic e vita disceſſit. Sepultus eſt in ſepulcro patris ſui. 24. David Maha-

na-

naimum venit. Abſalomus cum omnibus Iſraëlitis Jordanum trajecit, 25. Amaſam in locum Joabi exercitui praefecit. Is Amaſa fuit filius Jithrae Iſraëlitae, qui cum Abigala, Nahaſi filia, ſorore Serujae, quae mater fuit Joabi, rem habuerat. 26. Iſraëlitae et Abſalomus caſtra poſuerunt in regione Gileaditica. 27. Poſtquam David Mahanaimum pervenerat, Sobi, Nahaſi filius, ex Rabba Ammonitarum, Machir, Ammielis filius, ex Lodebare, et Barſillaeus Gileadita, ex Rogelimo, 28. attulerunt ad Davidem et milites ejus ſtragula, pelves, vaſa fictilia. Praeterea triticum, hordeum, farinam, frumentum toſtum, fabas, lentes recentes et toſtas, 29. mel, lac, oves et caſeos [d]) in commeatum; verebantur enim, ne homines eſurirent, ſitirent, aut nimis fatigarentur in deſerto.

CA-

d) שְׂפוֹת בָקָר *ἅπαξ λεγ.* quidem, ſed ſatis probabiliter a *Bocharto* (hieroz. p. I. lib. II. cap. 32. p. 316.) per *caſeos bubulos* explicatur a שָׁפַד *percolare*, coll. Job. 10, 10. At *Michaelis* longe aliter. Is putat, ſignificari *boum ſtimulos*, Ochſenſtacheln, qui dati fuiſſent militibus Davidis, ut eis pro armis uterentur. Provocat ad Jud. 3, 31. Sed ibi ſunt מַלְמַד הַבָּקָר, non שְׂפוֹת. Deinde nominantur inter alia, quae allata dicuntur Davidi ejusque militibus, לֶאֱכוֹל *ad comedendum.* Quis in hoc contextu de boum ſtimulis cogitet? Et tandem, quam parum probabile eſt, Davidis milites armis fuiſſe deſtitutos!

CAPUT XVIII.

Proelium committitur inter Davidis et Absalomi exercitum, in quo hic caeditur 1—8. Absalomus in fuga terebintho implicatus capite suspensus a Joabo transfoditur 9—15. De quo eventu nuncius mittitur ad Davidem, qui de morte filii sui vehementer dolet 19—33.

1. Tum David exercitum recensuit, atque chili-
archis et centurionibus constitutis 2. eum emisit. Ter-
tiae parti Joabum praefecit, tertiae Abisaeum, Serujae
filium, Joabi fratrem, tertiae Ittaeum Gathensem, at-
que declaravit, se ipsum cum eis esse egressurum. 3. At
milites noluerunt hoc ei concedere. Si quoque, inqui-
bant, fugeremus, aut si dimidia pars nostrûm periret,
hostes hoc non magni aestimarent. Tu [a]) enim decem
millibus nostrûm aequas. Igitur melius est, ut ex op-
pido nobis feras auxilium. 4. Tum rex, se facturum
esse, quod vellent, dixit, atque in porta substitit, cum
exercitus egrederetur in centurias et chiliadas distribu-
tus. 5. Praecepit autem Joabo, Abisaeo et Ittaeo, ut
parcerent Absalomo juveni, id quod omnes audierunt,
cum rex ducibus haec de Absalomo mandata daret.
6. Egressus igitur est exercitus adversus Israëlitas, et
proelium est commissum in silva Ephraimitica. 7. In
quo illi caesi sunt a Davidis militibus, magnamque cla-
dem tunc acceperunt viginti millibus occisis. 8. Pugna
fuit dispersa per omnes illorum locorum partes, et plu-
res in silva [b]) perierunt quam a gladio. 9. Absalomus
oc-

a) Pro עַתָּה fine dubio legendum est אַתָּה. Sic quoque legerunt οἱ ὁ, Vulg., Symmachus et *Kennicotti* cod. 187.

b) *Harmarus* in observatt. orient. p. II. p. 243. putat, silvam hanc multa habuisse loca paludosa, in quae fugitivi inciderint, et

occurrit militibus Davidis. Mulus, quo vehebatur, ſubiit ramos intricatos et perplexos magnae terebinthi, quibus capite ita eſt implicatus, ut inter coelum et terram ſuſpenſus teneretur. Nam mulus, quo vehebatur, ſe proripuerat. 10. Quod cum vidiſſet quidam, hoc Joabo nunciavit, 11. qui ei reſpondit: Si hoc ita eſt, cur tu eum non trucidaſti? Tunc meum fuiſſet, te decem ſiclis argenteis et balteo donare. 12. Ille vero Joabo dixit: Etiamſi ego jam appenſos numerare poſſem in manu mea mille ſiclos, nollem manum inferre filio regis. Ipſi enim audivimus, quam ſerio tibi, Abiſaeo et Ittaeo rex praecepit, ut Abſalomo juveni parceretis.[c]) 13. Aut ſi ego in eum [d]) facinus commiſiſſem, quidquid factum eſſet, non potuiſſet regem celari, imo tu ipſe me accuſaſſes. 14. Non poſſum hic, inquit Joabus, apud te morari. Prehendit tria ſpicula, atque ea pectori Abſalomi adhuc in terebintho viventis infixit. 15. Simul aderant decem milites, Joabi armigeri, qui eum conciderunt. 16. Tunc Joabus tuba ſignum dedit, atque milites a perſecutione Iſraëlitarum revocavit, nam parcebat populo. 17. Abſalomum autem abjecerunt in fo-

---

et ſic miſere perierint. Quae conjectura ex eo probabilis fit, quoniam ſilva Ephraimitica non ita longe a Jordano erat remota; cf. Jud. 12, 5.

c) Pro שִׁמְרוּ מִי verſiones antiquae omnes et quatuor *Kennicotti* codd. habent לִי.

d) In codd. Hebr. eſt varia lectio a Maſorethis obſervata. Lectio marginalis eſt בְּנַפְשִׁי, quam Vulgatus expreſſit: *ſi feciſſem contra animam meam audacter.* Sic quoque Chaldaeus et Syrus et 18 codd. *Kennicotti.* Sed lectio textualis eſt בְּנַפְשׁוֹ, quam legerunt *oi ὁ: ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ.* Quae et mihi praeferenda videtur.

foveam quandam magnam iſtius ſilvae, ingenti lapidum acervo ſuper eo congeſto. Iſraëlitae vero omnes domum confugerunt. — 18. Abſálomus, dum adhuc viveret, ſtatuam ſibi erexerat in valle regia, ut nominis ſui monumentum exſtaret, quod filium non habebat. e) Quae ſtatua, Abſalomi monumentum ab eo vocata, ad hunc usque diem ſupereſt. — 19. Tunc Ahimaaz, Sadoki filius, *a Joabo* petiit, ut ſibi liceret, currere ad annunciandum regi, Jovam eum ab hoſtibus ejus liberaſſe. 20. Reſpondit ei Joabus: Non laetus nuncius hodie eris, alio tempore poteris nunciare. Jam quidem nihil aliud quam mortem filii regis annunciabis. 21. Cuſaeum autem juſſit Joabus ire nunciatum regi, quod viderit. Ille gratias egit Joabo, et cucurrit. 22. Sed iterum Ahimaaz, Sadoki filius, Joabo dixit: Quidquid ſit, fine modo, me quoque poſt Cuſaeum currere. Cur vero, reſpondit hic, currere cupis, mi fili? Nullum praemium allati nuncii accipies. 23. Aſt ille: Hoc non obſtante curram. Curre igitur, inquit Joabus. Igitur Ahimaaz cucurrit per planitiem, et Cuſaeum praevertit. 24. David autem ſedebat inter duas portas. Tum aſcendit ſpeculator tectum portae ad murum, et conſpicatus eſt hominem ſolum currentem. 25. Quod cum regi indicaſſet, hic judicavit, bonum nuncium afferre, quod ſolus eſſet. Illo vero magis magisque appropinquante 26. animadvertit ſpeculator alterum hominem accurrentem. Clamavit igitur verſus portam: Ego

e) Tres igitur filii, quos habuerat, cap. 14, 27., mature erant mortui.

Ego video *alium* virum ſolum accurrentem. Hic quoque laetus nuncius eſt, inquit rex. 27. Tunc ſpeculator: Videor mihi ex curſu prioris agnoſcere Ahimaaſum, Sadoki filium. Vir bonus hic eſt, ait rex, laetum nuncium afferet. 28. *Jam venit* Ahimaaz, regique acclamavit: Victoria! Simul regem prono ad terram vultu veneratur. Laudetur Jova, Deus tuus, inquit, quod tibi tradidit eos, qui contra te rebellare auſi ſunt. 29. Salvusne eſt, inquit rex, juvenis Abſalomus? Reſpondit Ahimaaz: Vidi ego magnum tumultum, cum mitteret Joabus ſervum regis et me, f) ſed neſcio, quid fuerit. 30. Tunc rex ait: Recede paululum, et illic ſubſiſte. Quod cum feciſſet, 31. venit Cuſaeus, et, Laetum nuncium tibi affero, inquit, mi domine rex. Vindicavit te hodie Jova ab inimicis tuis. 32. Num ſalvus eſt, quaerit rex, juvenis Abſalomus? Idem eveniat, reſpondit Cuſaeus, quod iſti juveni, hoſtibus domini mei regis omnibus, qui malum tuum intendunt. 33. Hic rex commotus aſcendit conclave ſuperius portae plorans. Sic vero dicebat, cum abiret: Mi

f) Littera Vau prorſus redundat, ſi verba, quae praecedunt, recte vertuntur: *cum mitteret ſervus regis Joabus* ואת עבדך *ſervum tuum*, ſub quo Ahimaaz ſe ipſum intelligit. Sic Vulgatus vertit, et *Kennicottus* quinque codd. citavit, in quibus Vau abeſt. — Poſſunt quoque priora verba ſic verti, non obſtante את ante עבד, quod non raro etiam nominativo praeponitur. Attamen illud Vau exprimunt *oi ὁ*, Chaldaeus, Syrus, (qui tamen in reliquis multum discedit a textu) et qui eum ſequitur, Arabs. Atque ego quoque malim defendere lectionem receptam, quoniam durior mihi videtur illa explicatio in hoc verborum ordine. Servum regis vocat Ahimaaz Cuſaeum, quem Joabus miſerat, et quem jam videbat venire.

Mi fili Abſalome! mi fili, mi fili Abſalome! utinam ego pro te mori poſſem, Abſalome, mi fili! mi fili!

CAPUT XIX.

Joabus reprehendit Davidem propter nimium luctum de Abſalomo, eique perſuadet, ut ſe populo ostendat 1—8. Tribus Juda antevertit reliquas tribus in rege revocando 9—14. Qua occasione Simei a Davide veniam impetrat 15—23. Mephibóſeth ſe regi excuſat propter calumnias Sibae 24—30. Barſillaeus a Davide in aulam invitatus commendat ei filium 31—40. Reliquae tribus altercantur cum tribu Juda, quod haec ſola regem revocarit 41—43.

1. Poſtquam Joabo indicatum eſt, regem plorare et lugere Abſalomum, (2. quo facto converſa eſt hujus diei laetitia populo in luctum, cum audirent, regem de filio ſuo dolere. 3. Milites furtim urbem ingreſſi ſunt, uti ſolent, cum eos pudet fugae e proelio. 4. Rex vero vultu obvelato magna voce clamabat: Mi fili Abſalome! Abſalome, mi fili! mi fili!) 5. adiit regem atque hunc in modum cum eo eſt locutus: Pudorem injicis hodie omnibus tibi deditiſſimis, qui vitam tuam, liberorum tuorum, mulierum et pellicum tuarum ſervarunt. 6. Amas inimicos tuos et odiſti, qui te amant. Satis enim hodie oſtendis, te nullius facere duces tuos et milites. Bene novi, ſi modo Abſalomus ſalvus eſſet et nos omnes periſſemus, hoc tibi gratum fore. 7. Sed age, prodi, et loquere humane cum militibus. Niſi hoc feceris, juro tibi per Jovam, neminem hac nocte apud te eſſe manſurum. Quod malum gravius tibi erit, quam ullum aliud, quod inde a juventute tua tibi evenerit. 8. Tum

rex venit et in porta consedit. Quod cum populo esset indicatum, omnes apud eum convenerunt. Postquam Israëlitae domum confugerant, 9. in omnibus tribubus sibi mutuo exprobrabant, regem, qui se ab hostibus suis defenderit, per quem a Philistaeis essent liberati, fugere debuisse e terra propter Absalomum, 10. hunc, quem regem sibi unxissent, periisse in proelio; quid jam regem revocare cunctarentur? 11. Ipse quoque David misit ad Sadokum et Ebjatharem sacerdotes, eisque mandavit, ut senioribus tribus Judae demonstrarent, non decere, eos esse postremos in rege et familia ejus revocando. Israëlitarum *hac de re* consilia eis jam innotuisse; 12. eos esse regis consanguineos et necessarios; cur igitur mallent esse postremi in rege reducendo? 13. Amasae autem suo nomine dicerent: Tu necessitudinis vinculo mihi junctus es, jurejurando tibi promitto, me velle, quamdiu vixero, te in locum Joabi ducem exercitus constituere. 14. *Sic effectum est*, ut omnes Judaei regi conciliati *unanimi* consensu *legatos* ad eum mitterent, et rogarent, vellet ipse cum suis omnibus redire. 15. Rediit igitur rex, et cum ad Jordanum venisset, Judaei usque ad Gilgalem ei obviam venerunt, ut eum Jordanum traducerent. 16. Cum his Simei, Gerae filius, Benjaminita e Bahurimo, in occursum regis properavit, 17. una cum mille Benjaminitis; nec non Siba, domesticus ille familiae Sauli, cum quindecim suis filiis et viginti servis, qui pararant necessaria in adventum regis. 18. Alii transierunt, ut regis familiam traducerent, et quae huic opus essent, curarent. Cum rex Jordanum transiret,

Si-

Simei, filius Gerae, coram rege procidit, 19. et sic allocutus est: Noli mihi, domine, culpam imputare, neque recordari ejus, quod in te deliqui tunc, cum Hierosolyma migrabas, aut de eo adhuc animo commoveri. 20. Agnosco culpam meam. Sed jam omnium Josephitarum primus ego adsum, ut tibi, domine rex, occurram. 21. Hic Abisaeus, Serujae filius, dixit: Et Simei non poenam lueret, qui uncto Jovae maledixerit? 22. At David respondit: Quid mea ad vos, Serujae filii! Cur vos mihi adversamini? Num hodierno die quisquam Israëlitarum moriatur, quasi vero nesciam, me hodie Israëlitarum regem fieri? 23. Simul Simeo jurejurando promisit, eum non moriturum esse. 24. Tum quoque Mephibosethus, Sauli nepos, regi obviam venit. [a]) (Is post regis discessum us-

a) יָרַד *descendit in occursum regis*, quod de itinere ad Jordanum omnes interpretes ex usu hujus verbi explicant. Quae vero cum ita sint, in sequenti versu non legi potest: *cum veniret* יְרוּשָׁלִַם *Hierosolymam regi obviam*, sed, *cum veniret* מִירוּשָׁלִַם *ex Hierosolyma*. Nam Hierosolymae antea perpetuo Mephibosethus vixerat, cap. 9, 13. coll. 16, 3., ergo non opus erat, ut se eo conferret ad regem salutandum. Neque in toto hoc capite sermo est de introitu Davidis Hierosolymae, de quo in sequenti capite exponitur; sed de eo, quod factum sit ad Jordanum, qui fuerint illi, qui eo venerint ad regi felicem reditum gratulandum, atque in his etiam erat Mephibosethus. Fateor, nullum interpretum antiquiorum legisse מִירוּשָׁלִַם. Sed sic necessitate coactus refero hunc errorem ad eos, qui in his libris sunt perantiqui, et cujus generis jam alios nonnullos habuimus. — *Michaelis* quidem alia ratione hanc difficultatem removere tentavit, dum יָרַד verbum activum per *velle* explicat: *voluisse Mephibosethum obviam ire regi*, sed eum tam diu esse cunctatum, ut regem tandem Hierosolymae conveniret. Cui explicationi contextus non fa-

usque ad felicem ejus reditum neque pedes, neque barbam curaverat, neque vestes abluerat.) 25. Cui Hierosolyma obviam venienti rex dixit: Cur me non comitatus es, Mephibosethe? 26. Servus meus me decepit, inquit ille, mi domine rex, volebam enim asinum mihi sternere, atque eo vectus te comitari, quoniam claudus sum. 27. Sed servus meus me apud te calumniatus est. At dominus meus rex *sapiens est*, sicuti angelus Dei, fac, quod tibi rectum videatur. 28. Nam tota mea familia paterna nihil nisi mortem commeruerat, et tu tamen me inter convictores tuos esse jussisti. Quod jus igitur mihi est? aut quid amplius a te possum flagitare? [b]) 29. Respondit ei rex: Cur te defendis? Volo, ut tu et Siba praedia inter vos dividatis. 30. Imo omnia auferat, inquit Mephibosethus, postquam dominus meus rex salvus domum rediit. — 31. Barsillaeus quoque Gileadita Rogelimo venerat et Jordanum cum rege transiit, ut eum ulterius deduceret. (32. Erat vero ille Barsillaeus aetate jam valde provectus, annum agebat octogesimum. Aluerat regem, cum Mahanaimi commoraretur, [c]) homo enim erat admodum dives.) 33. Huic Barsillaeo rex dixit: Veni mecum, alam te apud me Hi-

---

favet, qui, uti supra jam observavimus, ea tantum narrat, quae ad Jordanum evenerint, antequam David Hierosolymam rediret.

b) Sc. restitutionem bonorum.

c) Lectio recepta est בְּשִׁיבָתוֹ, forma nominis prorsus anomalica. Sed 26 codd. a *Kennicotto* collati litteram Jod omittunt, et tunc legendum ex Infinitivo conjug. Kal בְּשִׁבְתוֹ. Sic quoque versiones antiquae omnes.

Hierosolymae. 34. At ille regi respondit: Quot dies vitae mihi adhuc restant, ut cum rege Hierosolymam proficiscar? 35. Annum jam ago octogesimum. Num bonum a malo potero discernere? Num cibi aut potus gustum habere? Num cantorum et cantricum vocibus delectari? Cur ego, mi domine rex, tibi oneri sim? 36. Permitte, ut, cum te paullulum trans Jordanum ero prosecutus, (cur enim me rex tanto beneficio afficeret?) 37. redeam et in urbe patria ad sepulcrum parentum meorum moriar. Sed hic adest Chimhamus tibi deditissimus, permitte, ut hic tecum eat. Hunc tuae gratiae commendo. 38. Ibit mecum, respondit rex, Chimhamus, atque sic me erga eum geram, uti vota tua volunt, et si qua alia in re tibi commodare possum, lubenter id faciam. 39. Tandem omnes Jordanum trajecerunt. Rex vero, postquam transierat, Barsillaeum osculatus est, qui ei bene precatus est et domum rediit. 40. Quo facto rex Gilgalem profectus est comitante eum Chimhamo. Omnes de tribu Juda, nec non dimidia pars Israëlitarum regem deduxerunt. 41. Hic vero Israëlitae apud regem conquesti sunt, quod populares sui, illi nempe de tribu Juda, cum cum ejus familia et domesticis omnibus furtim Jordanum traduxissent. [d]) 42. Quibus Judaei responderunt: regem sibi esse cognatum; cur hac de re irascerentur? se quidem non comedisse cum re-

d) Aliud hoc est exemplum aemulationis et de principatu concertationis inter tribus Israëliticas, de qua cf. quae dicta sunt ad Jud. 8, 1. et 12, 1. — Hebr. *te furati sunt et traduxerunt*, h. e. reliquis tribubus non consultis.

rege, neque dona ab eo accepiſſe. [e]) 43. Ad haec Iſraëlitae regeſſerunt: decem partibus ſe illis praeſtare [f]) in rege *conſtituendo* atque in Davide quoque; cur igitur ipſos adeo contemſiſſent, ut ſua ſententia de rege revocando non ante eſſet expetita? — Aſt Judaei durius locuti ſunt quam Iſraëlitae.

CAPUT XX.

Seba auctor eſt ſeceſſionis decem tribuum a tribu Juda 1—2. David Amaſae mandata dat de exercitu cogendo et Seba perſequendo. Is dum diutius moratur, Abiſaeus a rege mittitur; Joabus Amaſae occurrit eumque doloſe occidit 4—12. Perſequitur Sebam, qui Abelae concluſus interficitur 13—22. Miniſtri Davidis 23—26.

1. Erat ibi forte homo quidam perditus, nomine Seba, filius Bichri, Benjaminita. Is tuba ſignum dedit et proclamavit: nihil ad ſe Davidem pertinere, [a]) nullas eſſe ſuas partes in filio Iſaei, redirent ergo Iſraëlitae ad tentoria ſua. 2. Atque ſic omnes Iſraëlitae a Davide disceſſerunt, et Sebam, filium Bichri, ſunt ſecuti. Tantum Judaei manſerunt apud regem ſuum, eumque a Jordano usque ad Hieroſolymam *deduxerunt*. 3. Ibi cum palatium ſuum eſſet ingreſſus, decem iſtas pellices; quas in eo reliquerat, ſeparatim ſervandas tradidit alimento eis conſtituto. Rem vero cum eis non amplius habuit, ſed vixerunt con-

e) Quod in tribum Benjamin dictum videtur, cui Saulus ut contribulibus ſuis prae reliquis faverat; cf. 1 Sam. 22, 7.

f) Quod nempe decem imo undecim tribus erant.

a) Sc. quoniam Judaei ſe neglexiſſent.

conclusae usque ad mortem suam ut viduae. — 4. Deinde jussit Amasam convocare omnes Judaeos intra triduum et una adesse. 5. Discessit Amasa ad Judaeos congregandos; sed cum ultra tempus definitum moraretur, 6. David Abisaeo dixit: verendum esse, ne Seba, filius Bichri, sibi magis noceret, quam Absalomus. Igitur assumtis militibus domini sui [b]) eum persequeretur, ne forte oppida munita occuparet et sic evaderet. 7. Secuti sunt Abisaeum milites Joabi, satellites et omnes heroës ad persequendum Sebam, filium Bichri. 8. Postquam ad saxum illud magnum, quod Gibeone est, venerant, occurrit eis Amasus. Joabus super sago constricto balteum habebat, e quo gladius lateri applicatus in vagina pendebat, quem fecit, ut *e vagina* excideret, [c]) 9. et cum ad Amasum accederet, ei dixit: Quomodo vales, mi frater, manu dextra barbam ejus prehendens, quasi eum osculari vellet. 10. Sic Amasam, qui non observabat gladium, quem Joabus altera manu tenebat, transfodit in abdomine, ut ilia in terram effunderet et ictu non iterato moreretur. Quo facto ille cum Abisaeo Sebam, filium Bichri, ulterius est persecutus. 11. Adstabat autem apud Amasam, qui in via jacebat in sanguine volutatus, unus ex militibus Joabi. Is hortabatur *praetereuntes*, ut, qui Joabo saverent et a partibus Davidis essent, illum sequerentur. 12. Sed cum animadverteret, omnes restare apud Amasam, removit eum e via in agrum

b) H. e. *Joabi*, quod ex sequenti versu apparet.

c) Pro יָצָא aliis punctis subjectis lego יֹצֵא s. יָצֵא in conjugatione Hiphil. Sic *Michaelis* in p. XIII. biblioth. orient. p. 236.

agrum et pallio obtexit. 13. Eo remoto omnes Joabum secuti sunt ad persequendum Sebam, filium Bichri. 14. Is jam transierat omnes Israëlitarum tribus, Abelam Bethmaacham et omnem *tractum* Berim, sed subinde plures eum insequebantur. 15. Tandem eum Abelae Bethmaachae conclusum obsederunt. Jam aggerem contra oppidum construxerant et ad murum promoverant, militesque Joabi omnia destruebant, ut murum dejicerent, 16. cum mulier quaedam prudens ex oppido clamaret: Audite, audite, dicite Joabo, ut huc accedat. Habeo, quod ei dicam. 17. Tum ille accessit et mulier eum interrogavit, num esset Joabus. Quod cum affirmasset, illa petiit, velit audire, quae dictura sit. Quod ille promisit. 18. Primo debuisset, inquiebat, inquiri in Abelam, et deinde, quid faciendum sit, decerni. [d]) 19. Ego sum una ex oppidis Israëliticis pacificis et fidelibus, tu vero perdere cupis urbem metropolin Israëlitarum. Cur destruis terram Jovae sacram? 20. Respondit Joabus: Absit, absit hoc a me, ut perdam aut destruam. 21. Non hoc est consilium. Sed homo quidam de montibus Ephraimiticis Seba, filius Bichri, rebellavit contra regem Davidem. Hunc tantum

d) Plerique interpretes verba textus ut dictionem proverbialem explicant de Abela, nescio, qua occasione divulgatam. Sed valde quaesitam esse hanc explicationem, facile intelligitur. Ego vero utrumque membrum impersonaliter accipio, et sensum in versione, non singula verba indicavi. Reprehendit mulier Joabum, quod oppidum aggressus sit, antequam cives interrogarit, num velint Sebam defendere? Sed per humanitatem, uti videtur, cum non in secunda, sed in tertia alloquitur: Man hätte erst die Stadt fragen, und dann seine Maassregeln nehmen sollen.

tum tradite, et ab urbe discedam. Tum mulier, Caput ejus, inquit, ad te de muro projicietur. 22. Deinde prudentia sua civibus persuasit, ut isti Sebae, Bichri filio, caput praecideretur et ad Joabum abjiceretur. Quo facto hic tuba signum dedit, et omnes ab urbe discesserunt domumque petierunt. Joabus autem Hierosolymam ad regem revertit. 23. Hic Joabus exercitui Israëlitarum praeerat; Benaja vero, Jojadae filius, satellitibus; 24. Adoram curabat servitia praestanda; Josaphat, Ahiludi filius, erat cancellarius; 25. Seraja [e]) scriba; Sadokus et Ebjathar sacerdotes. Ira quoque Jairita erat praefectus [f]) Davidis.

CAPUT XXI.

Fames divinitus terrae immissa cessat post supplicium sumtum a posteris Sauli, quorum ossa una cum ossibus Sauli et Jonathanis a Davide in sepulcro paterno sepelienda curantur 1—14. Varia Davidis et heroum suorum certamina cum Philistacis 15—22.

1. Fames fuit tempore Davidis per tres annos continuos. Cum David Jovam consuleret, responsum tu-

---

e) In textu legitur שׂיא f. שׂוא, sed in loco parallelo cap. 8, 17. vocatur שְׂרָיָה, et sic quoque Syrus et Arabs h. l.

f) כֹּהֵן videtur h. l. verti debere per *sacerdotem*, quoniam וְגַם respicit כֹּהֲנִים Sadokum et Ebjatharem modo nominatos, qui haud dubie sacerdotes proprie sic dicti fuerunt, nec tamen hic Ira, quoniam non erat e tribu Levitica, potuit esse sacerdos. Difficultatem hanc nobis non explicant versiones antiquae, quae cum lectione textus Hebraei consentiunt, praeterquam quod Syrus et Arabs nomen scribant עֵירָא ex permutatione litterarum ר et י. — Venit mihi in mentem, an non in nostro loco le-

tulit: Propter Saulum et propter domum ſanguinariam, eo, quod Gibeonitas interfecit. [a]) 2. Rex Gibeonitas ad ſe evocavit. (Erant autem hi Gibeonitae non ex Iſraëlitis, ſed ex reliquiis Amoritarum, quibus Iſraëlitae ſe jurejurando obſtrinxerant. Saulus vero volebat eos, ſtudio in Iſraëlitas et Judaeos impulſus, delere.) 3. Hos igitur Gibeonitas David interrogavit: quid eis facere deberet? quomodo placari poſſent, ut terrae Jovae ſacrae iterum bene precarentur? 4. Reſponderunt ei Gibeonitae: ſe neque argentum neque aurum a Saulo aut familia ejus poſcere, neque ullius Iſraëlitae mortem ſe velle. Inſtabat rex: dicerent ergo, quid a ſe poſtularent. 5. Tum illi: Virum volumus, qui perdere nos et delere voluit, ita enim vexati ſumus, ut conſiſtere in terra Iſraëlitarum non poſſemus. 6. Tradantur nobis ſeptem ex poſteris ejus. Hos ſuſpendemus ad placandum Jovam Gibeae Sauli, electi Jovae. [b]) Promiſit rex, ſe daturum eſſe. 7. Sed pepercit Mephibofetho, Jonathanis filio, nepoti Sauli, pro-

---

lecta quoque fuerint ea, quae in loco parallelo cap. 8, 18. וּבְנֵי דָוִד כֹּהֲנִים הָיוּ *filii Davidis erant praefecti*, quibus addita fuerat haec de Ira Jairita notitia, quae propterea aliter connecti non poterat, quam his verbis: Ira quoque Jairita (non ſolum filii Davidis) fuit praefectus.

a) Haec ſunt verba oraculi divini.

b) Haec verba בְּחִיר יְהוָה merito ſuſpecta ſunt, quod parum probabile eſt, Gibeonitas Saulum, cui adeo infeſti erant, hoc honoris titulo condecoraſſe. Omittunt ea Syrus et Arabs. Vulgatus addit: *quondam*, quoniam intelligebat, quam inepta eſſent. Non displicet conjectura *Hubigantii*, legi poſſe: בִּדְבַר יְהוָה. Poterant enim Gibeonitae certiores eſſe facti de reſponſo divino, quod David acceperat.

:opter jusjurandum, quod nomine Jovae adhibito
ıraverant cum David tum Jonathan, Sauli filius.
Atque duos filios Rizpae, c) filiae Ajjae, quos Sau-
peperit, Armonum et Mephibosethum, et quinque
ios Merabae, d) filiae Sauli, ex Adriele, Barsillaei
io, Meholathensi natos, 9. Gibeonitis tradidit, qui
s in monte ad Jovam ulciscendum suspenderunt.
i septem una perierunt et supplicio affecti sunt pri-
is diebus messis, nempe initio messis hordeaceae.
t Tum sumsit Rizpa, Ajjae filia, pannum hirsu-
m, quem super petra extendit ab initio messis, do-
c pluvia in cadavera suspensa decideret; nec passa
, aves rapaces interdiu, aut fera animalia noctu in
irruere. 11. Davidi nunciatum est, quid fecisset
zpa, filia Ajjae, concubina Sauli. 12. Tunc ille
ofectus est Jabesum Gileaditidis, atque inde trans-
tu-

c) Cf. cap. 3, 7.

d) In textu quidem legitur *Michal*. Sed permutatio nominum Michal et Merab tam manifesta est, ut non nisi fidiculis adhibitis cum aliis locis possit conciliari. Primo cap. 6, 23. narratur, *Michalam* per omnem vitam suam prolem non habuisse. Deinde non *Michala*, sed *Meraba* matrimonio juncta fuit Adrieli, 1 Sam. 18, 19.; Michala vero durante exsilio Davidis nupta fuerat Palthieli, 1 Sam. 25, 44. 2 Sam. 3, 15. — Duo codd. *Kennicotti* 250. et 198. habent מירב, sed sine dubio tantum ex correctione scribae, qui errorem observabat. Nam hoc quoque mendum est antiquissimum et in verss. antiquis deprehenditur. Habent illud οἱ ὁ et Vulgatus; Syrus vero habet aliud nomen ܢܕܒܐ *Nodoba*, quod fortasse ex ܡܪܒܐ, litteris non valde dissimilibus, ortum est; nam Saulum filiam nomine Nodobam habuisse, nullibi legitur. Chaldaeus contradictionem sic conciliare studuit: *quinque filios Merabae, quos educaverat Michal, filia Sauli, quos peperat Adrieli*, etc.

tulit offa Sauli et Jonathanis, filii ejus, quae cives Jabefenfes e foro [e]) abstulerant, ubi ea Philiftaei fuspenderant, poftquam eum in *montibus* Gilboae interfecerant. 13. Haec igitur offa Sauli et Jonathanis illinc translata addita funt offibus illorum fuspenforum, 14. et fepulta cum illis Selae in fepulcro Kifi, patris Sauli. Quibus omnibus ex voluntate regis curatis Deus terrae iterum eft placatus. — 15. In bello quodam Philiftaeorum cum Ifraëlitis David militesque ejus cum hoftibus decertarunt, atque ille *e certamine* fuit fatigatus. 16. Tunc Jifbi Nobenfis, qui fuit ex posteris Raphae, (cujus haftae ferrum trecentos ficlos aeneos pendebat, et novo gladio cinctus erat,) fperabat, fe Davidem effe confecturum. 17. Sed adjuvit eum Abifaeus, Serujae filius, et Philiftaeum interfecit. Tunc vero Davidis milites jurarunt, fe in posterum non conceffuros effe, ut ille ad certamina prodiret, ne lux Ifraëlis exftingueretur. 18. Poftea in alio bello cum Philiftaeis pugnatum eft ad Gobam. Tunc percuffit Sibchaeus Hufenfis Saphum e posteris Raphae. 19. Cum iterum prope Gobam cum Philiftaeis certaretur, occidit Elhanan, Jairi filius, Lahmaeum, fratrem Goliathi, [f]) cujus hafta erat inftar jugi textorii. 20. In alio bello, quod prope Gathiam gerebatur, vir exftitit immanis ftaturae, fenos in manibus et pedibus digitos numero quatuor et viginti habens, etiam ex Rapha natus. 21. Hunc Ifraëlitis convitiantem in-

e) Bethfanis, 1 Sam. 31, 12.

f) Sic locus reftituendus videtur ex 1 Chron. 20, 5.; cf. *Hubigantius*.

interfecit Jonathan, Simaei, Davidis fratris, filius. 22. Hi quatuor ex Rapha Gathenfi orti a manu Davidis militumque ejus perierunt.

CAPUT XXII.

Carmen Davidis in memoriam auxilii et defenfionis fibi fubinde a Deo in hoftibus debellandis praeftiti. a)

1. David hoc carmen Jovae cecinit, poftquam eum cum ab hoftibus omnibus, tum inprimis a Saulo liberaverat, in hunc modum: 2. Jova mea rupes, arx mea et liberator meus. 3. Deus meus petra b) eft, ad quam confugio, clypeus meus, cornu falutiferum, locus editus, meum refugium, fervator meus ab injuria me defendens. 4. Terrore percitus Jovam invo-

a) Hoc carmen, quod etiam collectioni Pfalmorum infertum eft, legitur in Pfalmo duodevicefimo in locis multis mutatum et a recenfione noftri libri diverfum. Sed jam dudum a viris doctis, inprimis Pfalmorum interpretibus, obfervatum eft, hanc diverfitatem, fi non omnem, maxima tamen ex parte non fcribarum erroribus effe tribuendam, fed haud dubie ad ipfo Davide venire, qui diverfis temporibus hoc carmen ediderit et in nova recenfione paffim nonnulla mutarit. Probant hoc abunde ipfae illae variationes, aut diverfae lectiones, quarum faepe utraque bonum fenfum offert, et judicium, fi quod ferri debet, interpreti difficile facit, quaenam fit praeferenda. Quod non effet, fi hae variationes fcribarum erroribus effent tribuendae, in quibus verum a falfo plerumque non adeo difficile eft dignofcere. Igitur ab omni crifi temeraria me abstinui, atque duobus locis exceptis verff. 8. et 41. lectionem hujus carminis elegantiffimi, quae in hoc libro exhibetur, expreffi.

b) In textu legitur: *Deus petrae meae*, fed in Pf. 18, 3., levifima punctorum vocalium mutatione, *mi Deus*, *petra mea*. Hanc lectionem in verfione expreffi.

vocavi et ab hoſtibus ſum defenſus. 5. Jam circumdederant me fluctus mortis, torrentes inferni me jam obruerant, 6. inferni funes me jam cinxerant, aderant jam laquei mortis. 7. His in anguſtiis Jovam invocavi, ad Deum meum clamavi. Atque ille audivit ex palatio ſuo meam vocem, clamor meus ad ejus aures *pervenit*. 8. Commota eſt terra, et contremuit. Coeli fundamenta titubarunt et disruperunt, nam ira ejus exarſit. 9. Aſcendit fumus in ejus naribus, ignis ex ore ejus abſumſit, et carbones ardebant ab eo. 10. Inclinavit coelum et deſcendit, caligo fuit ſub ejus pedibus. 11. Cherubo vectus volavit, apparuit ſuper alis venti. 12. Poſuit tenebras circum ſe *ut* tugurium, aquam congeſtam, nubes condenſatas. 13. Prae ſplendore, qui circa ipſum erat, exarſerunt carbones. 14. Intonuit Jova e coelo, ſummus edidit vocem ſuam. 15. Projecit ſagittas easque disſipavit, fulgura, quae cum vehementia propulit. 16. Apertae ſunt ſcaturigines maris, retecta terrarum orbis fundamenta ad Jovae increpationem, ad ſpirantem ventum narium ejus. 17. Extendit manum ex alto et me prehendit, traxit me ex aquis multis. 18. Liberavit me ab hoſte potenti, ab mei oſoribus, qui mihi praevalebant. 19. Impetum in me faciebant tempore calamitoſo, ſed Jova me ſuſtentavit. 20. Eduxit me in locum apertum, libertatem mihi dedit, quod bene mihi volebat. 21. Retribuit mihi Jova pro innocentia mea, pro vitae meae integritate mihi rependit. 22. Nam Jovae legem obſervavi, neque reus ſum apud Deum meum. 23. Praecepta ejus mihi ob oculos verſantur,

ejus

ejus leges non negligo. 24. Erga eum integer ſum, caveo mihi ab improbitate. 25. Propterea rependit mihi Jova pro innocentia mea, pro puritate mea ipſi perſpecta. 26. Tu te bonis bonum praebes. Cum heroë virtutis agis integre, 27. erga innocentem uteris innocentia, in durum dure te geris, 28. homines miſeros defendis, oculi tui ſuperbos deſpiciunt. c) 29. Tu Jova lux mea es, Jova tenebras meas convertit in lucem. 30. Te duce exercitum aggredior, cum Deo meo muro infilio. 31. Deus cum hominibus juſte agit, ſervat ſuas promiſſiones, clypeus eſt omnibus, qui ei confidunt. 32. Quis eſt Deus praeter Jovam? Quis eſt petra praeter Deum noſtrum? 33. Deus eſt, qui me viribus accingit, qui expeditam reddit viam meam, 34. qui pedes meos ſimiles facit pedibus cervorum, atque efficit, ut loca edita aſcendere poſſim. 35. Docet manus meas bellum, ut brachio meo poſſim arcum tendere aeneum. 36. Praebes mihi defenſionis tuae clypeum, meque affligendo auges. 37. Amplos reddis greſſus meos, nec tali mei titubant. 38. Perſequar hoſtes meos, eosque affequar, nec niſi eis confectis revertar. 39. Conficiam eos et ita perdam, ut ſurgere nequeant, ſuccumbent meis pedibus. 40. Accingis me virtute ad bellum, meosque mihi adverſarios ſubjicis. 41. Hoſtes meos mihi necandos tradis, inimicos meos penitus exſcindam.

c) Tirones moneo, ne offendant in conſtructione nominis numeri dualis עֵינֶיךָ cum verbo ſingularis numeri תַּשְׁפִּיל. Nempe conſtruunt Hebraei verbum ſingularis fem. gen. cum nomine pluralis numeri utriusque generis, modo illud *rem*, non *perſonam* ſignificet, e. c. Pſ. 37, 31. 119, 98. Jer. 2, 15. Plura exempla notata ſunt ad *Glaſſium* p. 328.

dam. 42. Circumſpiciunt, ſed non eſt, qui ſervet; ad Jovam, ſed non reſpondet eis. 43. Comminuo eos ut pulverem terrae, ut lutum platearum eos contundo et conculco. 44. Defendis me in bellis civilibus, gentium principem me eſſe jubes, ignoti mihi populi ſerviunt. 45. Peregrini homines fictam mihi obedientiam praeſtant, ad nutum mihi obtemperant. 46. Gentes alienae ut folia marcida decidunt, et pavidae fugiunt e clauſtris ſuis. 47. Jova vivit! Laus ei, meae rupi! Extollatur Deus, qui invictam mihi ſalutem praeſtat. 48. Hic eſt ille Deus, qui vindictam mihi concedit, gentesque mihi ſubigit, 49. qui me ab hoſtibus meis eripit, ab adverſariis vindicat, ab homine crudeli liberat. 50. Propterea te laudabo, Jova, inter gentes, nominique tuo carmina dicam, 51. qui praeclare ſervat, d) regem ſuum, et benignum ſe praebet uncto ſuo, Davidi, ejusque poſteris in aeternum.

CAPUT XXIII.

Carmen Davidis, in quo ſpem ſuam teſtatur de adimplenda promiſſione ſibi data futurae perpetuitatis regni ſui a) 1—7. Heroëa Davidis 8—39.

1. Haec quoque a Davide, ſed poſterius b) dicta ſunt: Dicit David, filius Iſaei, dicit vir in loco ſubli-

d) Sequor lectionem textualem מַגְדִּיל, non marginalem מִגְדּוֹל *turris* ſ. *praeſidium ſalutis*. Illam quoque verſt. omnes antiquae exprimunt, et eſt in Pſ. 18.

a) Mirentur fortaſſe nonnulli, me in vertenda hac pericopa lectionem textus preſſe ſecutum eſſe, et recentiſſimorum interpretum con-

limi constitutus, unctus *ex voluntate* Dei Jacobitarum, suavis *propter* cantica Israëlitis *usurpata*. 2. Spiritus Jovae per me est locutus, ejus verbum super lingua mea. 3. Promisit Deus Israëlitarum, mihi promisit immutabilis Israëlitarum Deus: *Erit* dominator in homines, [c]) justus erit dominator religionem Dei propagans. 4. Ut lux matutina oriente sole, *ut* tempore matutino non nubilo a splendore *solis* post pluviam herba ex terra *progerminat*: 5. sic domus mea futura est [d])

conjecturas, quibus difficultates removere annisi sunt, ei non substituisse. Sed quanquam non nego, structuram verborum per has emendationes tentatas fieri faciliorem, tamen fateor, me in hujus generis locis, quae quidem difficilia sunt, sed tamen explicationem grammaticam admittunt, malle in hac acquiescere, quam ingenio indulgere. In scriptoribus quidem profanis viri artis criticae peritissimi reprehendunt male sedulam curam corrigendi omnia, quae duri quid aut insoliti habere videantur. Multo magis ab ea abstinendum putavi in hac pericopa, quae, si quam habet in verborum constructione duritiem, eam ab ipso auctore fortasse traxerit, qui haud dubie jam aetate provecta haec scripsit, qua solent homines concisius et abruptius nonnunquam cogitata eloqui.

b) Assentior interpretibus, qui putant, non probabile videri, Davidem haec in extrema senectute, quae 1 Reg. 1. describitur, scripsisse. Sed אחרון de re sequenti cum respectu ad antecedentem quoque dicitur, Exod. 4, 8. Igitur respicitur ad carmen praecedens, quo hoc fuit posterius.

c) Haec verba summam continent illius promissionis. Quam non de Salomone intelligo, sed de Messia, Davidi promisso, quamcunque hic de eo cognitionem habuerit. Nam Salomo non משל באדם dici potuisset, quoniam אדם absolute positum totum genus humanum notat, non populum aliquem in specie, qui tamen h. l. esset intelligendus, nempe Israëliticus, cujus משל Salomo fuit, non aliorum et multo minus omnium.

d) כִּי pro הֲכִי, He interrogandi deficiente, uti saepe, v. c. Genes. 42, 33. 1 Sam. 24, 20. 2 Reg. 18, 34.; vid. *Noldius* sub כִּי.

juvante Deo. Nam promissionem aeternam mihi dedit, definitam in omnibus, servandam. Num igitur salutem meam et omne desiderium non promoveret? 6. Impii vero omnes [e]) erunt sicuti spinae amovendae, quae manu prehendi non possunt. 7. Quas qui exscindere vult, ferro aut hasta instructus accedit, tandemque [f]) igne comburuntur. — 8. Sequitur catalogus [g]) heroum Davidis: Jasobam, filius Hachmoni, [h]) princeps trium, agitavit hastam suam et confodit octingentos [i]) hostes in una pugna. 9. Post hunc Eleasar, filius Dodonis, nepos Ahohi. [k]) Fuit inter tres illos heroas apud Davidem, cum provocarent Philistaeos, qui

---

כִּי nnm. 2. Interrogatio vero haec eo fortius affirmat. Expressi in versione sensum affirmativum, quoniam genio linguae convenientius videbatur. — Ultimum membrum hujus versus eodem modo explico הֲכִי כָל־יִשְׁעִי, in quo interrogationem retinui.

e) כֻּלָּהֶם pro כֻּלָּם, inserto ה parag. e pronomine הֵם; vid. *Schultens* instit. ling. Hebr. p. 448.

f) בַּשֶּׁבֶת vel *in sede sua*, h. e. in eo loco, ubi crescunt, vel a שָׁבַת *cessavit*, בַּשֶּׁבֶת *in fine*, h. e. tandem.

g) In hunc catalogum heroum Davidis multos scribarum errores irrepsisse, ex 1 Chron. 11, 11. 12. 13. emendandos, recte, uti arbitror, statuunt viri docti. Quos in iis, quae manifeste corruptionem produnt, secutus sum, in aliis levioribus lectionem hujus loci servavi; cf. *Kennicottus* in dissert. I. p. 64. et 457. vers. Lat. et *repertorium* pro litteratura orient. p. II. p. 257.

h) Sic nomen restituendum est ex 1 Chron. 11, 11., ubi pro יָשָׁב בַּשֶּׁבֶת חַחְכְמֹנִי legitur יָשָׁבְעָם בֶּן־הַכְּמֹנִי et pro sequentibus הוּא עָדִינוֹ הָעֶצְנוֹ, in quibus explicandis frustra laborarunt interpretes, הוּא עוֹרֵר אֶת־חֲנִיתוֹ.

i) In loco parallelo leguntur *trecenti*.

k) In loco parallelo vocatur Ahohita.

qui proelium Israëlitis jam contra eos prodeuntibus committere volebant. 10. Tum ille caedebat Philistaeos, donec manus ejus delassata ad gladium diriguisset. Magnam eo die Jova victoriam dedit. Populus tantum ad spoliandum sequebatur. 11. Post hunc fuit Samma, filius Agae, Hararita. *Aliquando* Philistaei ad Lechin convenerant. Erat ibi ager lentibus consitus. [1]) Populus fugiebat a Philistaeis. 12. Sed ille constitit in medio fundi, eumque contra Philistaeos defendit, magnamque Deo juvante victoriam est consecutus. 13. Hi tres principes ex triginta venerunt tempore messis ad Davidem in speluncam Adullamiticam, caterva quaedam Philistaeorum castra habebat in valle Rephaim. 14. David, qui tunc erat in arce, Philistaeorum autem stationes Bethlehemi, 15. optavit, ut sibi aliquis aquam afferret ex puteo, qui est in porta Bethlehemi. 16. Hic tres illi heroës proruperunt per castra Philistaeorum, hauserunt aquam ex illo puteo, eamque ad Davidem attulerunt. Verum hic noluit eam bibere, sed Jovae libavit, 17. et dixit: Absit a me, Jova, ut hoc faciam! Num sanguinem horum virorum bibam, qui cum vitae suae periculo *hanc aquam* petierunt? Sic noluit eam bibere. Hoc fecerunt tres illi heroës. 18. Abisaeus, frater Joabi, Serujae filius, princeps fuit aliorum trium. Hic hasta sua trecentos confodit, magnamque inter hos tres famam est consecutus, 19. iisque celebrior et dux eorum fuit, nec tamen illis prioribus omnino par. 20. Benaja, filius Jojadae, viri fortis, ob praeclare facta nobilis, Cabzeelensis.

Hic

1) In libro Chron. pro עֲדָשִׁים *lentes* legitur שְׂעוֹרִים *hordeum*.

Hic duos viros Moabiticos fortiſſimos interfecit. Idem in puteum deſcendit et leonem occidit tempore nivali. 21. Idem peremit hominem Aegyptium insignis ſtaturae. Hic haſtam manu tenuit, ille vero baculo tantum inſtructus cum eo eſt congreſſus, haſtam manibus ejus eripuit eumque ejus ipſius haſta interfecit. 22. Haec ſunt Benajae, filii Jojadae, facinora, qui quidem inter hos tres celeber fuit, 23. praeſtabat quoque illis triginta, tribus tamen prioribus impar. David eum ſibi adjutorem elegit. 24. Inter illos triginta fuerunt Aſahel, frater Joabi, Elhanan, Dodonis filius, Bethlehemita, 25. Samma et Elika Haroditae, 26. Helez Paltita, Ira, filius Ikkeſi Tekoënſis, 27. Abieſer Annethothita, Mebunnius Huſathita, 28. Salmon Ahohaeus, Maharius Netophathita, 29. Helebus, Baanae filius, Netophathita, Ittaeus, Ribaei filius, ex Gibea Benjamitarum, 30. Benaja Pirathonita, Hidaeus ex vallibus Gaaſi, 31. Abialbon Arbathita, Asmaveth Barhumita, 32. Eljahba Saalbonita, Benejaſen, Jonathan, 33. Samma Hararita, Ahjamus, Sarari filius, Ararita, 34. Eliphelet, filius Ahſebaei, nepos Hammaachataei, Eliamus, filius Ahithopheli, Gillonita, 35. Hezraeus Carmelita, Paaraeus Arbita, 36. Jigal, Nathanis filius, Zobenſis, Banaeus Gadenſis, 37. Zelek Ammonita, Naharaeus Beerothenſis, armiger Joabi, filii Serujae, 38. Ira Jithrita, Gareb Jithrita, 39. Uria Hethita. Quorum omnium ſumma eſt ſeptem et triginta.

CA-

CAPUT XXIV.

David jubet Joabum populum numerare, quod mandatum hic invitus exsequitur 1—9. David, licet culpam agnoscat, tamen punitur a Deo peste trium dierum immissa 10—17. Sed sacrificio in monte Moria a Davide oblato Deus placatur 18—25.

1. Rursus Jova ira in Israëlitas commotus concivit Davidem, ut juberet, Israëlitas et Judaeos numeri. [a]) 2. Nimirum rex Joabo, duci exercitus sui, imperavit, ut peragraret omnes tribus Israëliticas a Dane usque ad Bersebam, et populum recenseret, quo numerum ejus cognosceret. [b]) 3. Respondit Joabus regi: opta-

a) Haec verba intelligenda sunt ex more loquendi Hebraeorum de providentia divina, de quo jam ad Jud. 2, 17. observavimus, Hebraeos solere omnia hujus mundi eventa, omnes hominum actiones, tam bonas quam malas, immediatae Dei voluntati tribuere, Deumque ipsum omnium rerum auctorem s. causam efficientem primariam vocare.

b) Prorsus assentior Ill. *Michaeli*, qui consilium Davidis in numerando populo acute indagasse videtur; nempe non superbia impulsus jussit David populum numerari. Neque in eo peccavit, quod dimidium siclum ex lege Exod. 30, 12. colligere neglexerit; quae duae rationes vulgo ab interpretibus allatae fuerunt ad factum Davidis reprehendendum. Sed consilium Davidis fuit, omnes Israëlitas ad perpetua belli servitia cogendi, (das ganze Volk als Soldaten zu enrolliren) sine dubio majora bella, quam hactenus gesserat, majoresque aggressiones molitus. Quam sententiam maxime probabilem et tantum non certam esse, probant sequentia argumenta: 1) Joabo haec res maxime displicebat. Quod profecto non fuisset, si rex tantum in causa aliqua ad religionem pertinente peccasset. Hujus enim non adeo strenuus erat defensor Joabus. Voluntati Davidis in Uria occidendo sine haesitatione obtemperaverat, quidni ergo in numeratione populi, re per se innoxia, neminem laedente? Sed videbat Joabus, hanc rem adversari libertati populi. Hanc igitur laudabili studio defendebat, et improbabat illud consilium, quod omnes libertate pri-

optare se, ut Jova populum centuplo augeret ipso rege spectante, sed se non intelligere, cur hoc rex cuperet. 4. Sed regis voluntas Joabi et ducum exercitus sententiae praevaluit. Igitur hi profecti sunt ad recensendum populum Israëliticum. 5. Jordanum trajecerunt castraque posuerunt prope Aroërem ad dextram oppidi, quod est in insula Gad et ad Jaëserem. 6. Hinc progressi in Gileaditidem et in terram Tahtimhodsim, venerunt Danam Jaanam et usque ad Sidonem. 7. Hinc perrexerunt ad urbem munitam Tyrum et ad omnes Hevitarum et Cananitarum urbes; porro ad tractum meridionalem Judaeae usque ad Bersebam, 8. et sic omni terra peragrata post novem menses diesque decem Hierosolymam reverterunt. 9. Hic Joabus tradidit regi numerum populi recensiti. Israëlitarum erant octingenta millia hominum, qui arma ferre possent; Judaeorum autem quingenta millia. c) — 10. At David, statim post hanc populi numerationem conscientia sua stimulatus, Deum precatus est, se quidem graviter in eum peccasse; ast remitteret Jova sibi culpam suam, admodum imprudenter se fecisse. 11. Mane ubi surrexit, jussit Jova Gadum prophetam (quo ipso David quoque utebatur)

12.

privabat. 2) Ad hanc populi numerationem non magistratus, sive sacerdotes, uti alias, adhibebantur, sed exercitus sec. vers. 5. Ex quo apparet, Davidem motus in populo metuisse, ad quos opprimendos milites mittebantur. Vid. haec pluribus edisserentem *Michaelem* cum in notis ad vers. bibl. Germ. tum in jure Mos. p. III. §. 174. et S. R. *Niemeyer* in characterist. bibl. p. IV. p. 329.

c) 1 Chron. 21, 5. numerus longe diversus legitur, Israëlitarum nempe 1100000 et Judaeorum 470000. Qui verus sit, nemo divinarit.

12. adire Davidem eique ſuo nomine dicere: Tria tibi propono, ex quibus unum elige, quod tibi immittam. 13. Venit igitur Gadus ad Davidem eumque interrogavit, num vellet, ſeptem [d]) annorum fame terram ſuam affligi? an tres menſes fugere ab hoſtibus eum perſequentibus? an peſtem per tres dies in terra ſua graſſari? Videret ergo et conſideraret, quid ei, a quo miſſus eſſet, deberet renunciare. 14. Ad haec David Gado reſpondit: Vehementer angor, ſed Jovae me ſubmitto, nam magna eſt ejus miſericordia. Hominum arbitrio nolo me committere. 15. Igitur Jova peſtem immiſit Iſraëlitis, qua a prima hujus diei luce usque ad tempus conſtitutum mortui ſunt a Dane usque ad Berſebam ſeptuaginta millia hominum. 16. Cum vero angelus manum ſuam quoque in Hieroſolymam extenderet ad eam perdendam, poenituit Jovam mali, dixitque angelo populum perdenti: Jam ſatis eſt, remitte manum tuam. Erat autem ille Jovae angelus apud aream Aravnae Jebuſitae. 17. Tunc David, qui videbat angelum illum populum caedentem, dixit Jovae: Ego peccavi, ego deliqui, hae autem oves quid commiſerunt? Converte manum tuam in me et in domum meam paternam. 18. Tunc Gadus venit ad Davidem, eumque juſſit in illa area Aravnae Jebuſitae aram Jovae exſtruere. 19. Abiit igitur eo ex mandato Jovae per Gadum. 20. Cum Aravna conſpicaretur regem cum aulicis ſuis ad ſe transire, [e]) obviam ei egreſſus ſubmiſſe regem ſalu-

d) 1 Chron. 21, 12. leguntur modo *tres anni*. Sic quoque *oi ó* in noſtro loco. Sed Syrus, Arabs, Chaldaeus et Vulgatus habent *ſeptem*.

e) Sc. de monte Sione per vallem ad montem Moriae.

lutavit, 21. et, quae causa esset, quaesivit, ut ad se veniret. Respondit David: Ad emendam a te hanc aream, in qua Jovae altare exstruam, ut clades a populo cohibeatur. 22. Sumat dominus, meus rex, inquit ille, et immolet prouti placet, en! boves ad holocaustum et tribulae et instrumenta boum pro lignis. 23. Quae omnia Aravna *) regi obtulit et Jovam Deum propitium est precatus. 24. At rex Aravnae dixit: Non ita, sed pretio soluto emam, non immolabo Jovae, Deo meo, victimam gratuitam. Igitur emit David aream et boves siclis quinquaginta. f) 25. Quo facto exstruxit ibi aram Jovae, et sacrificia expiatoria et eucharistica immolavit. Unde placatus est Jova terrae, et clades cohibita est ab Israëlitis.

---

*) Omissum est a *Dathio* הַמֶּלֶךְ, de qua lectione cf. *Clerjus* et *Hubigantius*. *Michaelis* quoque hanc vocem omisit, quamquam nihil de ea in notis ad h. l. annotavit, et lectionem receptam probare videtur secundum observationem ad 2 Sam. 5, 8.

f) At 1 Chron. 21, 25. leguntur *sexcenti sicli aurei*, qui numerus major utique verior videtur, pro toto illo Moriae monte et aedificiis in eo constructis, quam hic minor quinquaginta siclorum argenteorum; et tamen vers. antiquae omnes in hac lectione consentiunt.

RE-

R E G U M

LIBER I.

CAPUT I.

David ſenex ab Abiſaga fovetur 1—4. Adonia, filius Davidis natu major, conſilia agitat de regno paterno occupando 5—10., quae a Nathane propheta impediuntur 11—31. Salomo regni ſucceſſor a Davide declaratur et ungitur 32—40. Adonia ſibi timens fugit ad altare, ſed a Salomone veniam conſequitur 41—53.

1. Cum rex David conſenuiſſet et aetate eſſet provecta, ita ut veſtibus quoque tectus non incaleſceret, 2. ſuaſerunt ei aulici ejus, ut puella virgo quaereretur, quae ei miniſtraret eumque foveret, quae in ejus amplexu cubaret et ſic eum calefaceret. 3. Igitur quaeſiverunt puellam formoſam per omnes Iſraëlitarum fines, et invenerunt Abiſagam Sunamitham, quam ad regem introduxerunt. 4. Puella erat eximiae pulchritudinis. Fovebat regem eique miniſtrabat, ſed ille cum ea rem non habuit. — 5. Tunc Adonia, Hagithae filius, [a]) regnum affectare coepit, ſibique currus, equites et quinquaginta ſatellites comparavit.

6.

a) חַגִּית eſt nomen matris; cf. 2 Sam. 3, 4. Fuit hic Adonia filius Davidis quartus. Sed Amnone, Abſalomo atque, ut videtur, Chilabo mortuis hic erat natu maximus.

6. Pater vero noluit eum propterea reprehendere. Erat hic quoque perquam formosus, post Absalomum natus. 7. Cum eo faciebant Joabus, Serujae filius, et Ebjathar sacerdos, hi erant a partibus ejus. 8. Contra Sadokus sacerdos, Benaja, Jojadae filius, Nathan propheta, Simei, Rei, et heroës Davidis partibus ejus non favebant. 9. Tum Adonia convivium instruxit ex ovibus, juvencis et bubalis ad lapidem Soheleth, b) qui est prope fontem Rogel, ad quos fratres suos omnes, filios regis, nec non Judaeos aulicos regis invitavit, 10. praeter Nathanem prophetam, Benajam, heroës et Salomonem, fratrem suum. 11. Propterea Nathan cum Bathseba, matre Salomonis, egit in hunc modum: num audiisset, Adoniam, Hagithae filium, regnum affectare inscio domino suo Davide, 12. auctorem igitur se esse et suasorem, si suam vitam et vitam Salomonis, filii sui, servare vellet, 13. ut regem adiret, eique demonstraret, sibi ab eo jurejurando promissum esse, Salomonem, filium suum, post eum regnaturum c) et in throno ejus sessurum esse; qui fieret igitur, ut regnaret Adonia? 14. Ipsa cum rege adhuc colloquente se superventurum esse, et dictis ejus plura additurum. 15. Igitur Bathseba regem adiit in conclave (erat autem rex admodum senex, et Abisag Sunamitha ei ministrabat) 16. et submisse eum salutavit. Cum rex eam interrogaret, quid habe-

b) *Josephus* antiquitt. lib. VII. cap. 14. sect. 4. fontem vocat extra urbem in hortis regiis.

c) Haec quidem alibi non leguntur; sed ex 1 Chron. 22. 9. 10. 11. constat, Salomonem a Deo ipso destinatum Davidis successorem fuisse.

beret? 17. illa in hunc modum verba apud eum fecit: Tu, mi domine, jurejurando per Jovam, Deum tuum, mihi promisisti, Salomonem, filium tuum, tibi in regno successorem futurum esse. 18. Jam vero Adonia regnum occupavit, idque inscio domino meo rege. 19. Lautum convivium paravit ex juvencis, bubalis et ovibus, ad quod omnes tuos filios, Ebjatharem quoque sacerdotem et Joabum, Serujae filium, invitavit, modo non Salomonem tuum. 20. In te vero, mi domine rex, omnium Israëlitarum oculi conversi sunt, ut ipse eis declares, quem tibi successorem habere velis. 21. Et si tu cum majoribus tuis obdormieris, ego et filius meus Salomo rei putabimur. 22. Ea adhuc cum rege loquente Nathan propheta venit. 23. Quod cum regi esset indicatum, ille ad regem admissus eum suppliciter est veneratus, 24. et dixit: Tune, mi domine rex, jussisti, Adoniam post te regnaturum esse, et in throno tuo successurum? 25. Jam convivium opiparum instruxit juvencis, bubalis et ovibus, ad quod omnes tuos filios, exercitus principes et Ebjatharem sacerdotem invitavit. Jam convivantur atque Adoniam regem salutant. 26. Me tantum, Sadokum sacerdotem, Benajam, Jojadae filium, et Salomonem non invitavit. 27. Si ex tua voluntate hoc factum est, cur mihi tibi deditissimo non indicasti, qui tibi in regno tuo sit successurus? 28. Tum jussit David, ut Bathseba vocaretur. Quae cum venisset, 29. rex ei in haec verba juravit: Per Jovam immortalem! qui vitam meam in tot malis servavit, 30. quod tibi jurejurando per Jovam, Deum Israëlitarum, promisi, Salo-

lo-

lomonem, filium meum, in regno ſucceſſorem futurum eſſe, id hoc ipſo die praeſtabo. 31. Ad haec Bathſeba capite ad terram inclinato ſubmiſſe gratias egit regi, et vitam longaevam eſt apprecata. 32. Deinde rex arceſſi juſſit Sadokum ſacerdotem, Nathanem prophetam, et Benajam, Jojadae filium. Quos, cum veniſſent, 33. ita eſt allocutus: Jam vos aſſumtis ſatellitibus meis [d]) Salomonem, filium meum, mula mea vectum deducite ad Gihonem, [e]) 34. ibi eum Sadokus ſacerdos et Nathan propheta ungant regem Iſraëlitarum, quo facto tuba canite et Salomonem regem ſalutate. 35. Deinde eum reducite, ut in throno meo ſedeat. Hunc enim volo pro me regnare, hunc principem conſtituo Iſraëlitarum et Judaeorum. 36. Ad haec Benaja, Jojadae filius, regi reſpondit: Sic fiat, approbante quoque Jova, Deo tuo, domine rex. 37. Quemadmodum ille tecum fuit, ſic quoque ſit cum Salomone, adeo ut thronus ejus magis adhuc quam thronus tuus extollatur. 38. Tum Sadokus ſacerdos, Nathan propheta, Benaja, filius Jojadae, et ſatellites regii Salomonem mula regis Davidis vectum deducunt ad Gihonem, 39. et Sadokus ſumta olei ampulla ex tabernaculo *ſacro* unxit Salomonem, et tuba ſigno dato omnes exclamant: Vivat rex Salomo! 40. Quo facto eum *redeuntem* omnes comitati ſunt cum tibiarum cantu et tantae laetitiae ſignis, ut terra fere eorum clamoribus concuteretur. 41.

d) Hebr. *ſervi domini veſtri.* In verſu 38. vocantur Crethi et Plethi, de quibus dictum eſt ad 2 Sam. 8, 18.

e) Nomen fontis, qui quoque Siloa vocatur, in parte occidentali Sionis; vid. *Bachiene* deſcriptio Palaeſtinae p. II. vol. I. p. 351.

41. Audivit haec Adonia et convivae ejus, qui modo epulas finierant. Joabus; cum tubae sonum audiret, miratus est illum in urbe strepitum. 42. Eo adhuc loquente venit Jonathan, Ebjatharis sacerdotis filius. Cui Adonia, Huc adeas, inquit, nam vir bonus es et laeta annunciabis. 43. Respondit Jonathan: Imo vero dominus noster rex Salomonem regem declaravit. 44. Jussit, ut Sadokus sacerdos, Nathan propheta et Benaja, Jojadae filius, cum satellitibus eum sua mula vectum ad Gihonem ducerent, 45. ibique a Sadoko et Nathane rex ungeretur. Unde eum jam reduxerunt laetante et acclamante civitate. Hic fuit ille clamor, quem audivistis, 46. et jam sedet Salomo in throno regio, 47. atque omnes ministri regis venerunt ad gratulandum domino nostro, regi Davidi, ut Deus nomen Salomonis adhuc augustius et thronum ejus magnificentiorem efficeret. Atque rex quoque in lecto recumbens Deum precatus est, 48. et dixit: Gratias tibi ago, o Deus Israëlitarum, qui hoc mihi videris, ut successorem in throno meo videre possim. 49. *Quibus auditis* omnes, qui ab Adonia erant invitati, territi sunt, et alius alio discesserunt. 50. Ipse Adonia Salomonem veritus confugit ad aram, ejusque cornentias prehendit. 51. Salomoni hoc indicatur, et quod Adonia roget, ut sibi rex jurejurando confirmet, se non esse eum gladio occisurum. 52. Respondit Salomo: Si vir bonus est, nihil omnino ei erit timendum; f) sin criminis convincitur, morietur. 53. Deinde misit, qui eum ab ara deducerent. Cum ad regem

f) Hebr. *non cadet ex capillis ejus in terram.*

gem veniret, ſubmiſſe eum ſalutavit. Quo facto Salomo juſſit eum domum discedere.

CAPUT II.

Davidis ultima ad Salomonem mandata et obitus 1—12. Adonia ſibi Abiſagam a Salomone expetit in matrimonium, et propterea ab eo morte punitur 13—24. Ebjathar a ſacerdotio removetur, et Joabus ſupplicio afficitur 25—35. Simei ſub conditione venia promittitur, qua non ſervata interficitur 36—46.

1. Cum finis vitae Davidis appropinquaret, praecepit Salomoni, filio ſuo, in hunc modum: 2. Ego quidem discedo, quo ſolent mortales omnes, tu vero animo forti eſto, et virum te praeſta. 3. Diligenter obſerva, quae Jova, Deus tuus, obſervari juſſit, ut vitam ad ejus voluntatem inſtituas, ut ſerves ſtatuta, praecepta, jura et leges ejus, prouti in lege Moſaica ſcripta exſtant: tunc enim omnia negotia tua et quidquid aggreſſus fueris, feliciter tibi ſuccedent. 4. Tunc quoque Jova ſervabit promiſſionem ſuam mihi datam, ſi nempe filii mei omni cura adhibita eum vere, toto corde et animo colerent, non defuturum eſſe, qui ex poſteris meis regnum Iſraëliticum teneret. 5. Jam vero noſti, quid in me commiſerit Joabus, Serujae filius, quid nempe fecerit duobus ducibus exercitus Iſraëlitarum, Abnero, Neri filio, et Amaſae, Jetheri filio, [a]) quorum morte pacem belli ſanguine infecit, et bellico cruore balteum, quo cinctus erat, et calceos, quibus indutus erat, cruentavit. 6. Facies pro ſa-

---

a) 2 Sam. 3, 27. et cap. 20, 10.

ſapientia tua, nec patieris, canos ejus quiete ad inferos deſcendere. 7. Erga filios Barſillaei Gileaditae [b]) benignum te praebebis, ut ſint convictores tui, nam mihi ſubvenerunt, cum ab Abſalomo, fratre tuo, fugerem. 8. Porro tecum habes Simeum, Gerae filium, Benjaminitam ex Bahurimo. Is mordaciter mihi conviciatus eſt, cum Mahanaimum irem. Deinde vero mihi obviam venit ad Jordanum, ubi ei jurejurando per Jovam promiſi, nolle me ſupplicium ab eo ſumere. [c]) 9. Jam vero tu, qui vir ſapiens es, eum non impunitum eſſe ſines, et facile intelliges, quid tibi faciendum ſit, quo canos ejus cruentos ad inferos demittas. 10. Tandem David cum majoribus ſuis obdormivit, et ſepultus eſt in urbe ab eo denominata. 11. Regnavit in Iſraëlitas omnino quadraginta annos, Hebrone quidem ſeptem, tres verò et triginta Hieroſolymae. 12. Salomo autem ſucceſſit Davidi, patri ſuo, et regnum ejus valde eſt confirmatum. — 13. Poſtea venit Adonia, Hagithae filius, ad Bathſebam, matrem Salomonis, quae eum interrogat, num animo pacato veniat? quod ille affirmat, 14. et, habere ſe, quae ei dicat, addit. Tum illa: Dic ſane. 15. Noſti, inquit, meum fuiſſe regnum, omniumque Iſraëlitarum oculos in me ut futurum regem fuiſſe converſos. Sed translatum eſt ad fratrem meum, quoniam a Jova ei erat deſtinatum. 16. Jam vero unum eſt, quod a te peto, idque noli mihi denegare. Loquere, inquit illa. 17. Ut cum Salomone re-

b) 2 Sam. 17, 27. et cap. 19, 33. ſqq.

c) 2 Sam. 16, 5. et cap. 19, 17. 24.

rege agas, inquit ille, (neque hoc tibi denegabit) ut mihi Abiſagam Sunamithàm det in matrimonium. 18. Bene eſt, inquit Bathſeba, loquar de te cum rege. 19. Atque convenit quoque regem eo conſilio. Qui ei obviam venit et ſubmiſſe ſalutat, deinde in throno ſuo reſidet, et ſella ponitur matri regis, quae ad regis dextram conſidens ſic infit: 20. Unum eſt, idque parvum, quod abs te peto, noli mihi hoc denegare. Reſpondet ei rex: Roga ſane, mea mater, nihil tibi denegabo. 21. Tum illa, Detur, inquit, Abiſaga Sunamitha Adoniae, fratri tuo, in matrimonium. 22. Hic rex matri ſuae reſpondet: Quare vero poſtulas Abiſagam Sunamitham Adoniae? Poſtula ei quoque regnum, nam frater meus eſt natu major, et habet Ebjatharem ſacerdotem et Joabum, Serujae filium, ſibi faventes. 23. Nolo, inquit, (ſic per Jovam jurabat) Deum mihi eſſe propitium, niſi in perniciem ſuam Adonia hoc conſilium [d]) ceperit. 24. Jam igitur per Jovam immortalem, qui me ſtabilivit et patri meo Davidi in regno ſuccedere voluit, qui prolem mihi dedit, uti promiſit, hoc ipſo die morietur Adonia. 25. Simul mittit Benajam, filium Jojadae, qui eum ſupplicio affecit. — 26. Deinde Ebjatharem ſacerdotem jubet Anathotham ſe conferre ad fundum ſuum. Morte quidem eum dignum eſſe, ſed nolle ſe eum jam quidem punire, quod arcam Dei Jovae patri ſuo Davidi praetulerit, et omnino omnium afflictionum,

d) Solius ſucceſſoris erat, deceſſoris uxores et pellices habere. Salomo igitur ſuſpicabatur, Adoniam regnum affectare. Alia hujus juris inter Iſraëlitas recepti exempla ſunt 2 Sam. 3, 7. 12, 8. 16, 21.; cf. *Michaelis* in jure Moſ. p. I. §. 54. num. 7. p. 278.

num, quas ille expertus ſit, particeps fuerit. 27. Sic removit Salomo Ebjatharem a ſacerdotio. Quo facto impletum eſt id, quod Jova minatus ſuerat familiae Elaei Silunte. e) 28. Quarum rerum fama cum perveniſſet ad Joabum, qui Adoniae quidem, ſed non Abſalomo faverat, fugit ad tabernaculum Jovae, atque arae eminentias prehendit. 29. Poſtquam regi Salomoni indicatum eſt, Joabum adſtare arae in tabernaculo Jovae, ad quam confugiſſet, miſit Benajam, Jojadae filium, qui eum interficeret. 30. Benaja, ubi ad tabernaculum Jovae pervenit, juſſit Joabum nomine regis exire, ſed hic recuſavit, atque in illo ipſo loco ſe moriturum eſſe dixit. Benaja ad regem retulit, quid Joabus reſpondiſſet. 31. Tum ille juſſit facere uti vellet, interficeret eum et ſepeliret, atque hac ratione expiaret culpam caedis temere a Joabo commiſſae in ſe et in domo paterna. 32. Sic enim puniret Jova in illo ipſo caedem, quam commiſiſſet in duobus viris innocentibus et ipſo melioribus, quos gladio occidiſſet Davide, patre ſuo, inſcio, nempe in Abnero, Neri filio, duce exercitus Iſraëlitici, et in Amaſa, Jetheri filio, duce exercitus Judaici; 33. ſic poenas darent harum caedium Joabus et poſteri ejus in perpetuum, David autem ejusque progenies et familia et thronus perpetua fruerentur felicitate Jovae beneficio. 34. Igitur Benaja, filius Jojadae, Joabum ſupplicio affecit, qui deinde in aedibus ſuis in deſerto eſt ſepultus. 35. In ejus locum exercitui praefecit rex Benajam, filium Jojadae, Sadokum autem ſacerdotem conſtituit in locum Ebjatharis. — 36. Tum

e) 1 Sam. 2, 30. ſqq.

arceſſivit Simeum, quem juſſit domum ſibi Hieroſolymae exſtruere, neque inde usquam digredi. 37. Nam ſi *urbe* egreſſus torrentem Kidronem transierit, moriendum ei eſſe, idque tunc ſua culpa fieri. 38. Reſpondit Simeus regi, ſibi placere, quod rex dixerit, ſe in omnibus eſſe obtemperaturum. Atque ſic vixit Hieroſolymae ſatis diu. 39. Poſt tres annos aufugerant ei duo ſervi ad Achiſum, Maachae filium, regem Gathenſem. Quod cum ei eſſet indicatum, 40. ſtrato aſino profectus eſt Gatham ad Achiſum ad repetendos ſervos ſuos, quos etiam reduxit. 41. Salomo hac de re certior factus 42. juſſit Simeum arceſſi, eumque ita eſt allocutus: Nonne te jurejurando per Jovam obſtrinxi et conteſtatus ſum tibi, quando *urbe* usquam egrederere, moriendum eſſe, et tu quoque conditionem approbaſti et obedientiam promiſiſti. 43. Cur igitur neque jusjurandum, neque id, quod ego tibi praeceperam, ſervaſti? 44. Scis, (ſic pergebat rex ad Simeum) quantum ſcelus commiſeris, cujus te conſcientia tua redarguet, in Davidem, patrem meum. Jam poenas hujus malitiae tuae Jova a te repetit. 45. Ego vero et regnum meum felix erit et ſtabile divino favore. 46. Tunc juſſit rex Benajam, filium Jojadae, eum educere et ſupplicio afficere. Sic regnum confirmatum eſt ſtudio Salomonis. [f])

CA-

f) Hebr. בְּיַד שְׁלֹמֹה. Videntur haec verba indicare ſecuritatem, quam Salomo ſibi effecit ſumtis his ſuppliciis, de quibus in hoc capite narratur.

CAPUT III.

Salomonis matrimonium cum filia regis Aegypti, et in cultu Jovae constantia 1—4. In somnio a Deo sapientiam sibi expetit, quae etiam ei promittitur 5—15., cujus insigne specimen est sententia dicta duabus mulieribus litigantibus 16—28.

1. Postea affinitatem Salomo contraxit cum Pharaone, rege Aegypti, cujus filiam matrimonio sibi junxit, eamque in urbem Davidis introduxit, donec absolvisset structuram palatii sui et aedis Jovae, ut et muri Hierosolymitani. 2. Tunc quidem populus sacrificabat in locis editis, quoniam nondum erat templum Jovae exstructum. 3. Idem igitur faciebat Salomo, qui tamen Jovam diligebat, atque ex institutis Davidis, patris sui, vivebat. 4. Profectus ergo est Gibeonem, ut ibi sacrificaret, quoniam locus ille excelsus inprimis celeber erat, in cujus ara immolavit mille holocausta. 5. Hic ei Jova apparuit per somnium noctu, eique dixit: Pete a me, quod tibi dem. 6. Respondit Salomo: Tu quidem magna usus es erga patrem meum Davidem benignitate, eo, quod vitam suam summa in te fide, probitate et animi integritate agebat. Inprimis servasti ei insignem illam promissionem, ut ei dares filium in throno suo successorem, quod constat inter omnes. 7. Jam vero, o Jova, mi Deus, tu me tibi deditum in locum Davidis, patris mei, regem constituisti, ego vero juvenis admodum sum, rerum gerendarum experientia destitutus, 8. et versor in populo tuo a te electo, qui prae multitudine nec numerari nec recenseri potest: 9. des igitur mihi, cultori tuo, mentem prudentem ad regendum hunc tuum populum, et ad recte discernendum in-

inter bonum et malum. Quis enim *alias* poſſet tantum illum populum gubernare? 10. Placuit Deo, quod Salomo hoc rogaſſet, 11. atque reſpondit ei: Quoniam hoc petiiſti, nec vitam longaevam, divitias, aut hoſtium tuorum perniciem poſtulaſti, ſed intelligentiam ad jus recte dicendum, 12. en! concedo tibi, quod poſtulaſti, inſtruo te tanta ſapientia et prudentia, quantam ante te nemo habuit, nec poſt te eſt habiturus. 13. Praeterea quoque tibi ea, quae non petiiſti, largior, divitias et gloriam tantam, ut nullus regum tibi, quamdiu vives, poſſit comparari. 14. Quodſi vitam ad normam a me praeſcriptam inſtitues, ut leges et praecepta mea ſerves, quemadmodum hoc fecit David, pater tuus, grandem quoque aetatem tibi concedam. 15. Tunc Salomo expergefactus intellexit, ſomnium fuiſſe, rediit Hieroſolymam et comparuit coram arca legis Jovae, et poſtquam holocauſta et ſacrificia euchariſtica obtulerat, aulicos ſuos omnes excepit convivio. — 16. Poſtea duae mulieres meretrices venerunt ad regem, 17. quarum altera coram eo ſic inſit: Mi domine, ego et haec mulier iisdem in aedibus habitabamus. Ego apud eam domi peperi, 18. et tertio die poſt peperit et haec. Una eramus, nec alius quisquam praeter nos duas hanc domum habitabat. 19. Tum illa filio ſuo mortuo, quod ei incubuerat, 20. media nocte ſurgit, et filium meum a latere meo me dormiente ſubducit, et ſibi ſubſtituit, mihi vero illum ſuum mortuum ſupponit. 21. Mane cum me erigerem ad lactandum filium meum, animadverto, eum eſſe mortuum. Sed ad lucem matutinam

cum

eum accuratius considerans video, non esse filium, quem pepereram. 22. Tum altera, Non ita, inquit, sed filius meus vivit, et tuus mortuus est. At illa, Nequaquam, ait, tuus mortuus est, et meus vivit. Ad hunc modum cum coram rege altercarentur, 23. rex dixit: Una filium suum vivum et alterius mortuum affirmat, altera illius mortuum et suum vivum. 24. Afferte mihi gladium. Quem cum attulissent, 25. Disecate, inquit rex, puerum vivum in duas partes, et date utrique dimidium. 26. Tum mulier, cujus filius vivebat, mota commiseratione in filium suum: Mi domine, inquit, detur ei puer vivus, non interficiatur. Altera vero dicebat: Sit neque meus, neque tuus, disecetur. 27. Ad haec rex respondit: Date huic puerum vivum, nec eum interficite. Haec est mater ejus. 28. Quam sententiam a rege in hac causa pronunciatam ubi Israëlitae audiverunt, omnes cum reverebantur, nam videbant, eum sapientia plane divina ad jus dicendum esse praeditum.

CAPUT IV.

Salomonis ministri et praefecti, victus procuratores 1—19. Felix ejus imperium et sapientia longe lateque celebrata 20—34.

1. Regnum vero tenuit Salomo in omnes Israëlitas, 2. atque hi fuerunt ejus ministri: Asarja, Sadoki filius, princeps. 3. Elihoreph et Ahija, filii Sisae, scribae. Josaphatus, Ahiludi filius, historiographus. 4. Benaja, filius Jojadae, dux exercitus. Sadokus et Ebjathar, sacerdotes. 5. Asarja, Nathanis fi-

filius, praefectis [a]) praepositus. Sabud, Nathanis filius, amicus regis intimus. 6. Ahisar praefectus palatio, et Adoniram, filius Abdae, praefectus aerario. 7. *Praeter hos* Salomo quoque duodecim praefectos per totam terram constituerat, qui cibaria regi et aulae ejus ministrarent, singuli singulis mensibus. 8. Quorum nomina haec erant: [b]) — — filius Huri in regione montana Ephraimitica. 9. — — filius Dekeri Makazae, Saalbimi et Bethsemesi, Elone et Bethhanane. 10. — — filius Hesedi Arubothae, cui Socho et totus tractus Hepheri erat attributus. 11. — — filius Abinadabi praeerat toti tractui Dorensi. Hic in matrimonio habebat Taphatham, filiam Salomonis. 12. Baana, Ahiludi filius, *praeerat* Taanachae, Megiddoni et toti Bethseani, quae est prope Zarethanam sub Jesreele, atque a Bethseane usque ad Abelmeholam ultra Jakmeamam. 13. — — filius Geberi *tenebat* Ramotham Gileaditidis; huic quoque tributae erant villae Jairi, filii Manassis, quae sunt in Gileaditide, praeterea quoque

a) Qui vers. 8. nominantur.

b) In hoc versu et 9., 10., 11., 13. desunt nomina propria quatuor horum principum, quod ex eo apparet: primo, quoniam Hebraei non solent nomina parentum ponere omisso nomine proprio, nisi per contemtum, v. c. 1 Sam. 20, 27. 30.; deinde, quoniam octo reliqui horum praefectorum suis nominibus propriis nominantur. Vulgatus parum accurate בן habet pro parte nominis, *Benhur*, *Bendecar*. Melius οἱ ὁ, Syrus et Chaldaeus, nisi quod in illis in primo nomine vox Hebraica βεὲρ addita est, sine dubio ex nota marginali interpretis cujusdam, qui putabat, בן esse nomen proprium. — Potuerunt nomina per scribarum incuriam excidere, potuerunt vero ab ipso scriptore hujus libri omitti, quoniam in illis commentariis, quos excerpebat, non legebantur; cf. *Clericus* et *Hubigantius*.

que tractus Argob in Basane sexaginta oppidorum magnorum muris et ferreis repagulis munitorum. 14. Ahinadab, filius Iddoïs, *tenebat* Mahanaimum. 15. Ahimaaz Naphtalitarum regionem. Hic quoque in matrimonium duxerat Basmatham, Salomonis filiam. 16. Baana, Husaei filius, praeerat Aseritis et Bealothensibus. 17. Josaphatus, filius Baruhi, Issascharitis. 18. Simei, filius Elae, Benjaminitis. 19. Geber, filius Uri, regioni Gileaditicae, quae *fuerat olim* Sihonis, Amoritarum regis, et Ogi, regis Basanis. Hic unus praefectus fuit huic regioni. 20. Judaei autem et Israëlitae, arena ad littus maris numerosiores, rebus prosperrimis utebantur. c) 21. Salomo imperabat omnibus regnis, quae sunt a flumine Euphrate usque ad terram Philistaeorum d) atque usque ad fines Aegypti. Haec tributa pendebant et subjecta ei erant, quamdiu vixit. 22. Victus Salomonis in dies singulos erant triginta cori similae, et sexaginta cori farinae, 23. decem boves saginati, viginti boves pascuales et centum oves, praeter cervos, capreas, bubalos et lectissima quaeque altilia. 24. Imperabat omnibus regionibus cis Euphratem a Tiphsaho usque ad Gazam; omnibus *nem-*

---

c) Hebr. *edentes et bibentes et laetantes erant.*

d) Verba textus habent: מִן הַנָּהָר אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים וְעַד גְּבוּל מִצְרַיִם, in quibus post הנהר excidit עַד *usque*, quod etiam legitur 2 Chron. 9, 26. et *flumen κατ' ἐξοχὴν* dictum est, uti saepissime, pro flumine Euphrate. Ex situ regionum vero plane apparet, verba haec sic esse intelligenda. Nam in terra Philistaeorum non fluvius insignis erat, qui fuerit inter Philistaeos et Aegyptum. — Sic tenuit Salomo extremos terminos Palaestinae jam a Deo constitutos et promissos. Genes. 15, 18—21. et Num. 34.

nempe regibus, qui ſunt cis iſtud flumen, et cum omnibus vicinis ſuis pacem colebat. 25. *Hinc* Judaei et Iſraëlitae ſub vitibus et ficubus ſuis ſecure ſedebant a Dane usque ad Berſebam toto tempore Salomonis. 26. Habebat Salomo quatuor millia ſtabulorum [c]) pro equis et curribus ſuis, et duodecim millia equitum. 27. Praefecti vero illi, *de quibus ſupra dictum eſt*, alebant regem et omnes menſam regiam frequentantes, quisque ſuo menſe, nec quidquam deeſſe patiebantur. 28. Hordeum et ſtramen pro equis et veredis advehebant ad ea loca, ubi erant, prouti cuique erat conſtitutum. 29. Deus autem conceſſerat Salomoni ſapientiam et intelligentiam plane eximiam, et infinitam rerum cognitionem. 30. Superabat ſapientia omnes Orientales et Aegyptios. 31. Sapientior erat omnibus *illorum temporum* ſapientibus, Ethane Eſrahita, Hemane, Calcole et Darda, Maholis filiis. Inter omnes gentes nomen ejus celebrabatur. 32. Dixit tria millia ſententiarum, carminum compoſuit quinque millia. 33. Disſeruit de arboribus a cedro Libani usque ad hyſſopum, quae ex muro naſcitur, ut et de animalibus, de avibus, reptilibus et piſcibus. 34. Ex omnibus gentibus veniebant ad audiendam Salomonis ſa-

c) In textu quidem leguntur *quadraginta millia*. Sed in loco parallelo 2 Chron. 9, 25. leguntur tantum *quatuor millia*, et hic quoque numerus nimis magnus videtur *Michaeli* (in appendice ad tom. III. juris Moſ. von der Pferdezucht in Paläſtina pag. 77.). Fruſtra laborant interpretes quidam in numero hoc conciliando, e. c. *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. II. cap. 9. p. 155., qui *ſtabula* per *loculos in ſtabulis diſtinctos* explicat. Sed אֲרֻרוֹת ſunt haud dubie *ſtabula*. Syrus et Arabs hoc ipſum vocabulum h. l. retinuerunt.

ſapientiam, ab omnibus totius terrarum orbis regibus *miſſi ſunt*, qui de ſapientia ejus audierant.

CAPUT V.

Hiramus Salomoni regnum gratulatur, qui auxilium ejus ſibi expetit in templo exſtruendo, quod ille promittit et praeſtat 1 — 12. Ingens apparatus ad templi ſtructuram 13 — 18.

1. Hiramus, rex Tyri, miſit legatos ad Salomonem, cum audiſſet, eum loco patris ſui Davidis, cum quo ſemper amicitiam coluerat, regem unctum eſſe. 2. Igitur Salomo quoque ad Hiramum miſit, qui ſuo nomine ei dicerent: 3. Noſti, Davidem, patrem meum, non potuiſſe templum aedificare Jovae, Deo ſuo, propter bella, quae ei cum finitimis populis gerenda erant, donec eos Deo juvante ſibi ſubjecit. 4. Mihi vero quietem conceſſit Jova, Deus meus, ab omnibus partibus. Non adverſarius, non aliquid malum mihi metuendum eſt. 5. Igitur ego jam cogito de exſtruendo templo Jovae, quemadmodum id ipſum Deus patri meo praedixit, fore, ut filius ejus, quem ei in regno ſucceſſorem daturus ſit, templum ſibi exſtruat. 6. Jube igitur, ut cedri mihi caedantur in Libano a ſervis tuis conjunctim cum meis. Dabo tuis mercedem, quam tu ipſe definies. Noſti enim, non eſſe inter nos materiae caedendae peritos, quales ſunt tui. 7. De his Salomonis mandatis Hiramus vehementer laetatus dixit, ſe gratias agere Jovae, qui Davidi filium dediſſet ſapientem ad tantum populum regendum. 8. Atque Salomoni in hunc modum reſcripſit: Ego quidem in

co,

eo, cujus caufa ad me mififti, tuae voluntati obfequar. 9. Devehent fervi mei materiam cedrinam et abietinam de Libano ad mare. Quam ego deinde ratibus connexam in mari ad eum locum deducendam curabo, quem tu mihi indicaveris, ibique iterum disfolutae a te poterunt auferri. Verum et tu mihi gratificaberis in victu meis fubminiftrando. 10. Igitur dedit Hiramus Salomoni materiam cedrinam et abietinam, quantum volebat. 11. Viciffim Salomo Hiramo dedit quotannis viginti millia cororum tritici in victum familiae ejus et viginti coros olei optimi. 12. Largitus erat Jova Salomoni fapientiam, quemadmodum ei promiferat. Inter eum et Hiramum pax fuit ex foedere inter eos intercedente. 13. Deinde imperavit operas omnibus Ifraëlitis, nempe triginta millia hominum, 14. e quibus dena millia fingulis menfibus in Libanum mifit per vicem, ita ut, cum fingulos menfes in Libano fuiffent, binos effent domi. His Adoniram erat praefectus. 15. Praeterea Salomo habebat feptuaginta millia, qui onera bajularent, et octoginta millia, qui lapides in montibus caederent, 16. praeter praefectos, qui operis praeeffent, tria millia et trecentos. 17. Juffit quoque rex, ut adveherentur faxa ingentia magni pretii ad fundamentum aedis jaciendum lapidibus quadratis. 18. Quos ut et ligna fabri Salomonis, Hirami et Giblaei pararunt et inftruxerunt templo aedificando.

CA-

CAPUT VI.

Descriptio templi et singularum ejus partium.

1. Anno octogesimo et quadringentesimo post exitum Israëlitarum ex Aegypto, sive anno quarto regni Salomonis in Israëlitas, mense Sivo, qui est secundus anni mensis, aedes Jovae aedificari coepta est. 2. Fuit autem haec aedes, quam Salomo in honorem Jovae aedificavit, sexaginta cubitos longa, viginti lata, et triginta alta. 3. Vestibulum fuit ad partem anteriorem aedis viginti cubitos longum pro latitudine aedis, et decem cubitos latum secundum frontem aedis. 4. Fenestras fecit aedi, quae aperiri possent et claudi. 5. Adstruxit autem parieti aedis appendices circumquaque cum templi tum adyti, itemque tabulata per circuitum. 6. Istarum appendicum infimae quinos cubitos patebant in latitudinem, mediae senos et tertiae septenos, nam retractiores fecerat parietes aedis circumquaque, quo minus eos illae appendices tangerent. 7. In ipsa aedis structura lapides integri, quales advecti erant, adhibiti sunt, ita ut nulli mallei, aut secures, aut alia ulla instrumenta ferrea in ea construenda audirentur. 8. Ostium habebat medium tabulatum ad dextrum latus domus, et per cochleas ascendebatur ad medium, atque ex medio ad tertium. 9. Postquam aedem exstruxerat et perfecerat, texit eam fornicibus et arcubus cedrinis. 10. Appendicem illam, totam aedem ambientem, quinque cubitos altam, junxit huic trabibus cedrinis. — 11. Tum Jova Salomonem hunc in modum est allocutus: 12. Si tu ex legibus meis vixeris, instituta mea servaveris, et prae-

praeceptis meis omnibus obtemperaveris, praeſtabo tibi promiſſa, quae Davidi, patri tuo, dedi. Hanc aedem, quam tu mihi exſtruis, 13. inhabitabo, et verſabor inter Iſraëlitas, neque hunc meum populum deſeram. 14. Sic perrexit Salomo in exaedificatione aedis. 15. Ejus parietes intus texit tabulis cedrinis a ſolo usque ad ſummum. Solum vero ejus tabulis abietinis conſtravit. 16. Deinde ſpatium viginti cubitorum ab interiore aedis parte tabulis cedrinis a ſolo usque ad ſummos parietes ſtruxit, quod adyto ſive ſancto ſanctorum adaptavit. 17. *Reliquos* quadraginta cubitos patebat aedes ſive templum anterius. 18. Cedris vero aedis interioris inſculptae erant cucurbitae ſilveſtres et flores germinantes. Omnia cedris erant conveſtita, nec usquam lapis apparebat. 19. Adytum illud in interiore aedis parte deſtinatum erat recipiendae arcae legis divinae, 20. idque viginti cubitos longum totidemque latum et altum erat. Quod totum auro optimo texit, itemque altare *thymiamatis* cedrinum. 21. Aedem intus auro puriſſimo obduxit atque transmiſit catenas aureas [a]) ante adytum. 22. Totam omnino aedem, ut et aram ante adytum, auro operuit. 23. In ipſo adyto fecit duos cherubos ex ligno oleoſo [b]) denos cubitos in al-

a) Hae catenae ex pariete in ea tantum parte pependiſſe videntur, in qua ex illis velum, quod adytum a ſancto ſeparabat, ſuspendebatur.

b) עֲצֵי שָׁמֶן quae ſint, interpretes disſentiunt. Vulgo *oleam* intelligunt, quae alias conſtanter זַיִת vocatur. Alii *pinum*, alii cum τοῖς ὁ *cupreſſum*, alii *citrum* vocant. *Celſius* in hierobot. p. I. p. 309. non ſpeciem aliquam, ſed in genere *arbores pingues* intelligit.

tudinem. 24. Utriusque cherubi alae quinos cubitos
ebant, ita ut decem cubiti essent ab extremo ala-
ı unius ad extremum alarum alterius. 25. Alter
rubus etiam fuit denorum cubitorum, una eadem-
mensura et forma fuit utriusque cherubi. 26. Item
veniebant quoad altitudinem. 27. Hos cherubos
uit in media aede interiore, ita ut alas expande-
t et alter hinc, alter illinc altera ala parietem at-
geret, alteris autem alis in media aede sese mutuo
tingerent. 28. Hos quoque auro texit. 29. Pari-
us autem circumquaque insculpsit cherubos, pal-
s et flores germinantes intus et foris. 30. Solum
que aedis cum interioris tum exterioris auro ob-
it. 31. In introitu ad adytum fecit januas ex lignis
sis, ad quas proportio partium erat quintupla. c)
His duabus januis insculpsit cherubos, palmas et
germinantes, et auro texit; in cherubos non
ac in palmas aurum diduxit. 33. Item fecit ad
m templi *januam* ex lignis oleosis, quibus po-
x quarta parte aequabant, 34. et duas januas
gnis abietinis, quarum utraque fores d) habebat
les, 35. quibus insculpsit cherubos et palmas et
s germinantes, quae auro diducto texit. 36. Ae-
vit quoque atrium interius, cujus tres ordines
t ex lapidibus quadratis, unus ex trabibus cedri-
nis.

c) Sic verba textus הָאַיִל מְזוּזֹת חֲמִשִּׁית *Vatablus* explicat. *Castellio* fatetur, se ea non intelligere. Prorsus incertum est, quid sit אַיִל. Idem valet de versu 35.

Pro קְלָעִים *sculpturae* legendum est צְלָעִים *tabulae*, uti est in priori membro. Sic quoque habent *οἱ ὁ, καὶ δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ δευτέρα στρεφόμενα*, et codex *Kennicotti* 150.

nis. 37. Anno quarto *regni Salomonei* haec aedes Jovae fundata eſt menſe Siv, 38. et anno undecimo menſe Bul, qui eſt octavus, abſoluta eſt in omnibus ejus partibus, atque ſic ſeptem annis eſt exaedificata.

CAPUT VII.

Palatium Salomonis 1—12. Hiramus ad varia templi ornamenta et utenſilia fabricanda vocatus 13—51.

1. Suam autem domum Salomo aedificavit tredecim annis. Qua abſoluta 2. conſtruxit domum ſilvae Libani [a]) centum cubitos longam, quinquaginta latam et triginta altam. Impoſita erat quatuor ordinibus columnarum cedrinarum, ſub quibus trabes erant ejusdem materiae. 3. Tabulata impoſita quadraginta quinque columnis, quarum quindecim erant in ſingulis ordinibus, ſuperne cedris texit. 4. Feneſtrarum tres erant ordines, qui ſibi triplici ſerie reſpondebant. 5. Foramina autem et poſtes earum erant formae quadratae, triplici ordine ſibi congruente. 6. Deinde porticum fecit columnatam, quinquaginta cubitos longam, triginta latam, et porticus ante eam et columnae et trabes ante eam ſibi oppoſitae erant. [b]) 7. Fecit et porticum tribunalem, in qua jus diceret, quam cedris texit in omnibus ejus partibus. [c]) 8. Domus

---

a) Nomen hoc fuit villae Salomonis, quam *ſilvam Libani* vocavit, neſcio, qua de cauſa. *Clericus.*

b) Haec non intelligo. An de alia porticu ſermo? *Vatablus* vult hanc porticum objectam fuiſſe domui illi ſaltus Libani.

c) Hebr. *a ſolo ad ſolum.*

mus vero, quam habitaturus erat, aliud habebat atrium intra porticum [d]) fimilis ftructurae. Talis quoque erat domus, quam filiae Pharaonis, quam duxerat, exftruxit. 9. Quibus omnibus adhibiti funt lapides pretiofi ad menfuram quadrati et ferra intus et extra fecti, a fundamento usque ad mutulos [e]) et foris usque ad atrium magnum. 10. Fundamenta jacta funt pretiofis iisque magnis faxis denorum et octonorum cubitorum, 11. et fuper illo *fundamento* lapides erant magni pretii ad menfuram caefi, et cedri. 12. Atrium majus habebat per omnia latera tres ordines lapidum quadratorum et unum trabium cedrinarum, item atrium templi Jovae interius, et porticus ejus. 13. Curaverat vero arceffendum rex Salomo Hiramum Tyrium, 14. filium viduae e tribu [f]) Naphtali, cujus pater Tyri habitabat; fabrum aerarium fummae peritiae, intelligentiae et fcientiae ad omnis generis vafa aenea fabricanda. Is, cum ad regem Salomonem veniffet, fecit omnia, quae fieri voluit. 15. Conflavit duas columnas aeneas, quarum utraque fuit duodeviginti cubitorum in altitudinem; peripheria autem utriusque erat duodecim cubitorum. 16. Tum duo capitella fecit his columnis imponenda ex aere fufa, alta quinos cubitos. 17. *Deinde* opus reticulatum et fila catenata his capitellis imponenda feptena utrique. 18. Pro his columnis fecit quoque duos *malogranatorum* ordines fuper opere reti-

d) H. e. ad domum illam per porticum erat aditus.

e) H. e. lapides, quibus trabes imponuntur.

f) Sc. refpectu patris; nam mater erat ex tribu Dan, 2 Chron. 2, 13.

ticulato ad tegenda capitella, quae columnarum fastigiis impofita erant. 19. Quae capitella conftabant ex opere liliorum tali, quale videri poteft in porticu *templi* aut *palatii* quatuor cubitorum alta, 20. atque habebant in partibus fuis eminentibus, quae nempe opus reticulatum excedebant, ducentorum malogranatorum ordines. Sic erat in utroque capitello. 21. Erigebat has columnas in porticu templi, alteram quidem ad dextram collocatam vocabat Jachin, alteram ad finiftram vocabat Boas. 22. In vertice harum columnarum erat opus illud liliorum. [g]) — Quibus columnis perfectis 23. fecit lacum fufum, cujus labra decem cubitos inter fe diftabant, rotundum a fummo ad imum, quinque cubitos altum, filum triginta cubitorum eum circumdabat. 24. *Globi* inftar cucurbitarum fuberant labro, deni inter fingulos cubitos, in duobus ordinibus una *cum lacu* fufi, [h]) qui eum totum ambiebant. 25. Stabat fuper duodecim bubus, quorum tres feptentrionem fpectabant, tres occidentem, tres meridiem, et tres orientem. His lacus ille erat impofitus, pofteriora vero eorum intus erant converfa. 26. Craffities ejus erat palmaris, labrum ejus referebat labrum calicis aut florum [i]) lilii. Bis mille bathos capiebat. — 27. Fecit quoque bafes aeneas decem, quae fingulae erant quatuor cubitos longae, totidem latae et tres altae. 28. Earum ftructura erat haec. [k]) Areolas habebant

g) Verff. 19. et 20. defcriptum.

h) H. e. non adjecti. Erant igitur trecenti.

i) Cujus flores nempe funt curvati, 2 Chron. 4, 5.

k) Harum bafium ftructura quae fuerit, ex ejus defcriptione, quanquam fatis prolixa eft, tamen vix clare poteft percipi. Infunt enim

bant inter columellas. 29. In his areolis erant imagines leonum, boum, cheruborum, similiter in columellis; et sub illis leonibus et bubus erant appendices deorsum applicatae. 30. Singulae bases habebant quaternas rotas et tabulas aeneas, et in quatuor angulis suis fulcra s. columellas in fundo ac parte ima ipsius conchae. 31. Orificium habebant intra capitellum et superne unius et dimidii cubiti, quod rotundum erat, atque etiam juxta orificium caelaturae erant cum areolis suis, quadratae, non rotundae. 32. Quatuor illae rotae erant sub areolis, earumque axes cohaerebant cum ipsis basibus. Altitudo cujusque rotae erat unius et dimidii cubiti. 33. Ceterum similes erant curruum rotis. Habebant axes, radios, canthos et modiolos; omnia tamen erant fusa. 34. Quatuor illae columellae erant super quatuor angulis cujusque basis, ejusdemque materiae, h. e. aeneae. 35. In summa basis parte erat columella quaedam rotunda dimidii cubiti, quae et ipsa habebat suas prominentias et cincturas ex eadem materia. 36. In tabulis illis prominentiarum et cincturarum sculpsit leones, cherubos et palmas, in partibus apertis et appendicibus circumquaque. 37. In hunc modum fecit decem

enim ei multa vocabula ex arte architectonica Hebraeorum petita, quae dubiae admodum sunt interpretationis, quoniam in hac pericopa tantum occurrunt. Hinc mirum non est, interpretes, qui in his enodandis maxime laborarunt, magnopere dissentire et icones harum basium exhibere a se invicem perquam diversas, o. c. *Vatablus* in bibliis Steph. et tom. I. polyglott. Angl. et *Lundius* in antiquitt. Jud. Fateor igitur, me mihimet ipsi in hujus pericopae versione minime satisfacere. Multo minus sperare possum, fore, ut lectores ex ea claram et distinctam imaginem percipiant.

bases eadem omnium fusione, mensura et sculptura. 38. Fecit et decem conchas aeneas, quarum quaeque quadraginta bathos capiebat, quaternorum cubitorum, quae singulae singulis illis denis basibus imponerentur. 39. Quinque ex his in latere templi dextro et quinque in sinistro collocavit, lacum autem in latere templi dextro ad orientem e regione meridiei. — 40. Praeterea fecit quoque Hiramus labra, palas et pelves. Et absolvit omnia, quae regi Salomoni in usum templi fabricare jussus fuerat, 41. nempe duas columnas et rotunda capitella illis columnis imponenda, et duplex opus reticulatum ad tegenda illa rotunda capitella, quae erant in fastigio columnarum; 42. quadringenta malogranata duplici illi operi reticulato, quorum bini ordines erant pro singulis, ut duo illa rotunda capitella tegerentur, quae erant in columnis; 43. decem bases cum decem suis conchis eis impositis; 44. lacum cum duodecim bubus ei subjectis; 45. ollas, palas, pelves, et reliqua vasa, quae omnia Hiramus regi Salomoni fecit ex aere polito, 46. eaque conflavit in planitie Jordani in solo argillaceo inter Succotham et Zarethanem. 47. Reposuit autem Salomo omnia illa vasa, nec pondus aeris *eis insumti* propter ingentem eorum multitudinem est investigatum. 48. Praeterea quoque fabricanda curavit supellectilem aedi Jovae destinatam, altare aureum et mensam auream pro panibus appostitiis, 49. candelabra quinque ad dextram, totidemque ad sinistram ante adytum ex auro optimo, flores et lucernas et forcipes ex auro, 50. scyphos, cultros, crateres,

cochle-

cochlearia et acerras ex auro puro. Cardines quoque valvarum aedis interioris, hoc est sanctissimi, et aedis *exterioris*, hoc est templi, aurei erant. 51. Perfecto omni opere aedis Jovae a rege Salomone aurum, argentum et vasa, quae David, pater ejus, consecraverat, intulit et reposuit in templi thesauris.

CAPUT VIII.

Solemnis templi dedicatio 1—21. Preces Salomonis pro gratia divina in hoc templo exhibenda 22—54. Ejus admonitio ad populum, sacrificia et festum ab omnibus celebratum 55—56.

1. Tunc convocavit Salomo Israëlitarum seniores, tribuum proceres et familiarum principes Hierosolymam ad transferendam arcam legis Jovae ex arce Davidis, quae Zion vocatur, *in templum*. 2. Quod factum est in festo mensis Ethanim, qui est septimus. 3. Postquam igitur omnes Israëlitarum proceres convenerant, sustulerunt sacerdotes et Levitae arcam, 4. eamque una cum tabernaculo conventus et vasis sacris, quae in eo fuerant, transtulerunt. 5. Interea autem rex Salomo et totus Israëlitarum coetus, qui apud eum convenerat, praesente arca magnam ovium et boum multitudinem, quae numerari non posset, sacrificarunt. 6. Igitur sacerdotes arcam legis divinae intulerunt in locum suum, in adytum templi, quod et sanctissimum vocatur, sub alas cheruborum. 7. Porrigebant vero cherubi versus locum arcae alas suas, eamque ut et vectes superne tegebant, 8. qui vectes ita longi erant, ut partes eorum extremae videri possent e sanctuario s. in

in templi loco, qui erat ante adytum, [a]) sed foris non poterant videri. Atque etiamnum ibi prostant. [b]) 9. Nihil fuit in arca praeter duas tabulas lapideas, quas Moses ibi ad Horebum reposuerat, quo tempore Jova cum Israëlitis post exitum eorum ex Aegypto foedus percussit. 10. Postquam sacerdotes egressi erant e sanctuario, nubes replevit aedem Jovae, 11. propter quam sacerdotes ne fungi quidem ministerio suo poterant. Adeo majestas Jovae aedem suam repleverat. 12. Tum Salomo dixit: Jova statuit, [c]) habitare in caligine. 13. Exstruxi tibi domum ad habitandum, locum, in quo perpetuo sedeas. 14. Deinde conversus universum Israëlitarum coetum, qui stabat, salutavit, 15. et dixit: Laudetur Jova, Deus Israëlitarum, qui, quod Davidi, patri meo, promisit, jam implevit. Dixerat enim: 16. Ex quo populum meum Israëlem ex Aegypto eduxi, nullam ullius tribus urbem elegi, quae aedem mihi exstrueret ad sacra mihi in ea facienda. Davidem vero elegi, ut populo meo Israëli-

ti-

a) Igitur clausae non erant fores adyti. Negat hoc *Michaelis*, et putat, vectes velum attigisse, ut hoc ipsum paullum protuberaret.

b) Formula עַד הַיּוֹם הַזֶּה alias significat tempus, quo scriptor libri vixit. Sed quoniam ex aliis horum librorum locis clare apparet, eorum historiam ex uberioribus regum Judae et Israëlis annalibus esse contextam, utroque regno jam destructo, perquam probabile est, epitomatorem horum annalium retinuisse hanc formulam ex eis locis, in quibus eam legerit; cf. *Eichhorn* introduct. in libros Vet. Test. p. II. p. 619.

c) אָמַר h. l. *statuit* s. *decrevit*, q. d. ex hac nube intelligo, Deum hunc locum sibi elegisse. — Apostrophe in sequenti versu ad Deum minime dura est, uti *Hubigantio* videtur. Salutat Deum quasi advenientem.

tico praeesset. 17. Pater quidem meus, David, constituerat, templum aedificare Jovae, Israëlitarum Deo; 18. sed hic ei declaravit: se quidem approbare, quod illud consilium cepisset; 19. at nolle se, hoc ab ipso fieri, sed filium ejus ex eo genitum aedem sibi exstructurum. 20. Praestitit Jova hoc promissum suum. Constitutus ego sum patri meo successor in throno Israëlitico. Exstruxi hanc aedem Jovae, Israëlitarum Deo. 21. Locum in ea assignavi arcae, in qua sunt *signa* illius foederis, quod Jova cum majoribus nostris pepigit, postquam eos ex Aegypto eduxerat. 22. Stetit autem Salomo ad altare Jovae [d]) coram universo Israëlitarum coetu, atque expansis ad coelum manibus 23. his verbis est precatus: Jova, Israëlitarum Deus! non est tui similis Deus neque in coelo neque in terra, qui servas promissa benigne admodum data tuis cultoribus, qui tibi tantum vivunt; 24. meo quoque patri Davidi, tibi deditissimo, quod promiseras, praestitisti. Testatur hoc dies hodiernus. 25. Jam vero, o Jova, Israëlitarum Deus, praesta in posterum quoque Davidi tuo, patri meo, quod ei promisisti, semper eum ex familia sua habiturum esse successores in throno Israëlitico, dummodo vitam suam sic in tui timore peragerent, uti ipse fecisset. 26. Rata fiant, quaeso, o Deus Israëlitarum, haec, quae Davidi tuo, meo patri, promisisti. 27. Equidem bene scio, te non in terra habitare. En! coelum et coeli coelorum te non capiunt, multo minus haec aedes, quam exstruxi. 28. Verum enimvero respice preces meas et supplicatio-

d) Cf. 2 Chron. 6, 12. 13.

tiones, o Jova Deus! Audi hanc orationem precantem, qua te hodie imploro. 29. Sint oculi tui aperti in hanc aedem noctu diuque, et in locum, quem cultui tuo destinasti, ut preces exaudias, quas in hoc loco sum facturus. 30. Exaudias, inquam, me et populum tuum Israëlem, qui ad hunc locum oraverit, et dum in loco sedis tuae, in coelo, audieris, esto propitius. 31. Si quis in alterum deliquerit et hic jusjurandum ei detulerit, coram altari tuo hac in aede praestandum: 32. tu audi in coelo et judica inter eos, ita ut reum condemnes et pro merito ei rependas, innocentem vero absolvas, eique pro justa sua causa retribuas. 33. Si Israël, populus tuus, ab hostibus propter peccata in te commissa profligatus fuerit, et ad te conversus tuam majestatem veneratur et supplex hac in aede te adorat: 34. tu in coelo audias et ignoscas ejus peccato, et reducas eum in terram, quam ejus majoribus dedisti. 35. Si clausum fuerit coelum, nec pluvia deciderit, quod te Israël, populus tuus, offendit, et hic in hoc loco precetur, teque adoret a peccatis suis per afflictiones tuas conversus: 36. tu in coelo audias et ignoscas ejus peccato, dum rectam viam ei ostenderis, qua incedere debeat, et demittas pluviam in terram, quam populo tuo possidendam dedisti. 37. Fames si in hac terra invaluerit, si pestis, si uredo, rubigo, locustae aut bruchi eam invaserint, si hostes ejus incolas in oppidis suis obsideant, aut ullum aliud malum aut afflictio evenerit: 38. omnes preces et supplicationes, quas facit ullus aliquis tuorum Israëlitarum, quicunque peccatum suum [e]) agnoscit manusque suas ad hanc ac-

e) Hebr. *vulnus cordis* s. *animi sui.*

aedem expandit: 39. tu exaudias in coelo, habitationis tuae sede, et ignoscas et praestes et reddas cuique pro vita sua, prouti mentem ejus cognitam habes, (nam tu solus omnium hominum mentes perspicis) 40. ut te timeant, quamdiu vivent in terra, quam majoribus nostris dedisti. 41. Peregrinum quoque, qui non fuerit ex populo tuo Israële ortus, si venerit e terra remota, nominis tui celebritate commotus, 42. (nam nomen tuum magnum, potentia et virtus insignis innotuere) atque in hac aede adoraverit: 43. tu in coelo, habitationis tuae sede, audias et praestes ei omnia, propter quae te invocaverit; ut omnes nationes te cognoscant, teque ut Israëlitae tui venerentur, atque intelligant, hanc aedem, quam aedificavi, tibi esse sacram. 44. Si populus tuus ad bellum contra hostes suos jussu tuo egressus fuerit, et preces suas ad te direxerit versus hanc urbem, quam tu elegisti, et versus hanc aedem, quam tibi exstruxi: 45. tu audias in coelo preces ejus et supplicationes, et causam ejus agas. 46. *Idem* si in te peccaverit (nemo enim est, qui non peccet) et tu in ira tua eum hosti tradideris in terram sive remotam sive propinquam in captivitatem abducendum, 47. atque ibi animo mutato ad te supplex sese converterit, peccati sui gravitatem agnoscens; 48. si sic ad te toto corde totaque mente conversus in terra hostium suorum, a quibus captivus tenetur, ad te precatus fuerit versus terram, quam ejus majoribus tradidisti, versus urbem, quam ipse elegisti, et versus hanc aedem, quam tibi exstruxi: 49. tu audias in coelo, sede tua, ejus preces et supplicationes, et causam ejus agas. 50. Ignoscas

ſcas ejus peccatis et delictis, quibus a te defecerit, et miſericordiam eorum, a quibus captivus tenetur, commoveas, ut ejus miſereatur. 51. Eſt enim tuus populus tibi dicatus, quem ex Aegypto ex duriſſima ſervitute [f]) eduxiſti. 52. Attende ad preces [g]) tum meas, tum populi tui Iſraëlis, ut eum exaudias, ubicunque te invocarit. 53. Tu eum tibi ex omnibus totius terrarum orbis populis ſeparaſti, ut eſſet tuum peculium, quemadmodum id ipſum declaraſti per Moſem, miniſtrum tuum, cum majores ejus ex Aegypto eduxiſſes, o Domine Jova! — 54. Finitis his precibus et ſupplicationibus ſurrexit Salomo ab altari, ad quod flexis genibus et paſſis ad coelum manibus jacuerat, 55. et ſtans bene precatus eſt univerſo Iſraëlitarum coetui ſublata voce, his verbis: 56. Gratias ago Jovae, qui populo ſuo Iſraëli omnem eam proſperitatem conceſſit, quam ei promiſit. Nullum ex bonis iſtis omnibus, quorum conſequendorum per Moſem, miniſtrum ſuum, ſpem fecerat, deſideratur. 57. Sit Jova, Deus noſter, nobiscum, quemadmodum fuit cum majoribus noſtris! Ne nos deſerat aut relinquat! 58. Flectat ad ſe animos noſtros, ut ad voluntatem ejus viventes diligenter obſervemus praecepta, leges et inſtituta, quae majoribus noſtris dedit. 59. Memor ſit ſemper harum precum mearum, quas ad eum feci. Det mihi et pu-

f) Hebr. *ex fornace ferri*; cf. obſ. ad Deut. 4, 20.

g) Verba textus ſunt: לְהִוּוֹת עֵינֶיךָ פְּתֻחוֹת. Sed hic infinitivus reſpondet verbo finito, quod eſt in verſu 50. (*Glaſſius* p. 290.) In loco parallelo 2 Chron. 6, 40. legitur quoque יִהְיוּ. Nam in his verbis eſt concluſio totius orationis.

pulo suo Israëli, quibuscunque quovis tempore egeamus, 60. ut omnes terrae nationes cognoscant, Jovam Deum esse, nec alium ullum. 61. Modo vos eum sincere colatis, ad leges ejus vivatis, et praecepta, uti jam quidem, observetis. — 62. Deinde rex et omnes Israëlitae sacrificia Jovae offerebant. 63. Salomo quidem sacrificia eucharistica fecit duobus et viginti millibus boum, et centum et viginti millibus ovium. Sic dedicarunt aedem Jovae rex et omnes Israëlitae. 64. Eo tempore consecravit Salomo atrium medium, quod fuit ante aedem Jovae, ut ibi holocausta et ferta et adeps sacrificiorum eucharisticorum incenderentur. Nam altare aeneum, quod erat ante templum, angustum nimis erat, quam ut ista omnia caperet. 65. Tunc Salomo omnesque Israëlitae (quorum ingens coetus erat a Hamatha usque ad fluvium Aegypti) festum Jovae celebrarunt per bis septem, hoc est, quatuordecim [h]) dies. 66. Die octavo rex populum dimisit, qui ei gratias egit et domum rediit laetus et hilaris propter magnam illam felicitatem, quam Deus Davidi et Israëli, populo suo, concesserat.

CA-

h) Dedicatio templi celebrata est per septem dies, deinde per alios septem dies festum tabernaculorum; cf. 2 Chron. 7, 8.

CAPUT IX.

Deus Salomoni iterum in ſomnio apparet, atque ad conſtantiam in religione et cultu ſibi praeſtando hortatur 1—9. Oppida, quae Salomo Hiramo ex pacto dat, ei non placent 10—14. De aliis oppidis et aedificiis publicis a Salomone exſtructis. Ejus annua ſacra. Navigatio in Ophiram 15—28.

1. Poſtquam Salomo templum Jovae, ſuum palatium, et omnia, quae facere voluerat, abſolverat, 2. iterum ei Jova apparuit, uti antea jam Gibeone, 3. atque hunc in modum ad eum eſt locutus: Audivi preces et ſupplicationes tuas, conſecravi hanc aedem, quam aedificaſti ad cultum religioſum mihi ibi praeſtandum; in perpetuum ei providebo, et curam ejus geram ſingularem. 4. Si tu ad exemplum Davidis, patris tui, ea animi integritate et rectitudine mihi vives, ut facias omnia, quae tibi praecepi, et leges et inſtituta mea ſerves: 5. ego quoque ſtabiliam thronum regni tui in Iſraëlitas in perpetuum, quemadmodum id ipſum Davidi, patri tuo, promiſi, ei non deſuturum eſſe, qui throno Iſraëlitico inſideat. 6. Quodſi vos et poſteri veſtri a me defeceritis, neque praeceptis et legibus vobis latis obtemperaveritis, ſed ad Deos peregrinos converſi eos adoraveritis: 7. ejiciam vos e terra, quam eis dedi, atque hanc aedem, quam mihi ſacravi, repudiabo; vos quidem dicterio et ludibrio eritis inter omnes gentes; 8. hanc aedem autem adeo celebrem [a]) viatores obſtupefacti exſi-

a) Verba textus יְהוּדָה עֶלְיוֹן (quanquam eadem legerunt *οἱ ὁ*: *καὶ ὁ οἶκος οὗτος ἔσται ὁ ὑψηλός*, quae male cohaerent cum ſequentibus, pro quibus habet Vulgatus: *domus haec erit in ex-*

ſibilabunt, quaerentes, cur Jova ſic fecerit huic terrae et huic aedi? 9. quibus reſpondebitur: Quoniam relicto Jova, Deo ſuo, qui eorum majores ex Aegypto eduxerat, alios Deos ſectati ſunt, quos adorarent et colerent, propterea Jova mala iſta omnia in eos adduxit. — 10. Poſt viginti annos, quibus Salomo duas domos, nempe aedem Jovae et arcem regiam, exſtruxerat, 11. dedit Hiramo, a quo materia cedrina, abietina et auro ex voto ſuo adjutus fuerat, viginti oppida in terra Galilaea. 12. Ad quae oppida viſenda Hiramus Tyro profectus eſt, ſed ei non placuerunt. 13. Hinc dixit *Salomoni*: Qualia ſunt haec oppida, mi frater, quae mihi dediſti? unde nomen acceperunt terrae Cabul, *) quod etiamnum gerunt. 14. Miſerat autem Hiramus regi centum et viginti talenta auri. — 15. Quod ad operarios attinet; quibus rex Salomo uſus eſt in exſtruendo templo Jovae et ſuo palatio, Millone et muris Hieroſolymitanis, Haſore, Megiddone et Geſere. (16. Pharao, rex Aegypti, hoc Geſer bello ceperat et combuſſerat occiſis ejus incolis Cananaeis, idque filiae ſuae, Salomonis uxori, dotis loco dederat.) 17. Hoc Geſer Salomo reſtauravit, ut et Bethhoronem inferiorem. 18. Aedificavit quoque Baalatham et Tadmorem in deſerto regio-

exemplum,) ex loco parallelo 2 Chron. 7, 21. emendanda ſunt, ubi legitur אֲשֶׁר הָיִת עֲלוֹת. Sic quoque habet *Kennicotti* cod. 176.

*) Joſephus antiq. l. VIII. c. 5. §. 3. refert, hanc vocem in Phoenicum lingua ſignificare *οὐκ ἀρεσκον*. Aliorum judicio eſt i. q. גְּבוּל fines, vel i. q. חָבוּל, in pignus acceptum. Aptiſſima vero interpretatio videtur eſſe ea, qua idem eſt atque קָבוּל acceptum, donum; קבל enim in conjug. Piel *accipere* ſignificat, quam vim primae quoque conjugationi inuſitatae tribuere licet.

gionis *Syriae*, 19. oppida promtuaria quadrigariorum et equitum, et quaecunque praeterea ei Hierosolymae et in Libano [b]) et in omnibus ditionis suae partibus aedificare visum fuerat. 20. *His aedificiis exstruendis operarios adhibuit* superstites ex Amoritis, Hethitis, Pherefitis, Hevitis et Jebusitis, qui non erant ex Israëlitis, 21. *hoc est*, eorum posteros post illos superstites, quos Israëlitae exstirpare non potuerant, hos Salomo [c]) in servitutem redegit. 22. Ex Israëlitis vero neminem servum fecit, sed eis militibus, aulicis, ducibus, praefectis et magistris curruum et equitum usus est. 23. Praefectos vero operum suorum habebat Salomo quingentos et quinquaginta, hi praeerant operis. 24. Postquam filia Pharaonis ex urbe Davidis in aedem ei exstructam migraverat, aedificavit Salomo Millonem. 25. Ter quotannis sacra solennia fecit holocaustis et sacrificiis eucharisticis super altari, quod Jovae exstruxerat; in eo vero, quod erat coram Jova, suffitum obtulit, postquam aedis structuram absolverat. — 26. Aedificavit quoque naves Eziongebere, quod est prope Elatham in littore sinus Arabici in finibus Idumaeae. 27. In his navibus misit Hiramus servos suos, homines nauticos maris peritos, cum servis Salomonis. 28. Hi Ophiram profecti sunt, atque illinc exportarunt auri talenta viginti et quadringenta, quae ad Salomonem regem retulerunt.

CA-

b) Videtur intelligenda domus illa, quae supra descripta est cap. 7. 2. sub nomine *domus silvae Libani*. Quae fortasse sic dicta sit propter consitas et excultas in hac villa Salomonis cedros.

c) Hunc sensum verborum וַיַּעֲלֵם לְמַס־עֶבֶד esse, probatur ex sequenti versu, in quo illis respondent נָתַן עֶבֶד.

CAPUT X.

Regina Arabiae Salomonem cum magno comitatu invisit 1—13. Divitiae ejus ingentes ex mercatura, tributo, muneribus et navigatione, et luxus inde proveniens in ejus aula et in urbe 14—29.

1. Regina Sabaeorum, cum audisset famam Salomonis et nominis [a]) Jovae, venit ad illum tentandum aenigmatibus. 2. Ingressa est Hierosolymam cum comitatu perquam magno, cum camelis ferentibus aromata, auri magnam copiam et gemmas. Cum Salomonem conveniret, proposuit ei omnia, quae excogitaverat. [b]) 3. Ille vero ei ad omnia respondit, nec quidquam eum latuit. 4. Postquam autem contemplata fuerat ejus sapientiam, palatium, 5. victum mensae, conclavia aulicorum, munera ministrorum, eorumque vestitum, et pincernas ejus, et sacrificium, quod in templo Jovae offerebat, prorsus obstupefacta 6. dixit regi: Vera sunt, quae audivi in terra mea de rebus tuis et de sapientia tua; 7. at fidem habere dictis nolui, nisi ipsa venirem et viderem oculis meis. Sed ne dimidium quidem narratum est. Multum tu superas sapientia et virtute famam, quam audieram. 8. O felices homines tuos! felices hos tuos ministros, qui tibi perpetuo adstant tuamque audiunt sapientiam! 9. Laudetur Jova, Deus tuus, qui te ita dilexit, ut te in solio Israëlitarum posuerit pro perpetuo suo in eos amore, atque te regem con-

---

a) Pro לְשֵׁם legendum videtur וְשֵׁם. Sic *oi ó*, Syrus et Arabs. Codex *Kennicotti* 178. habet a prima manu ב vel בו, et in cod. 490. ל deest.

b) Hebr. *quae erant in corde ejus.* Intelligo aenigmata vers. 1.

conſtituerit ad juſtitiam recte exercendam. 10. Donavit regi centum et viginti talenta auri, aromatum autem copiam ingentem et lapides pretioſos. Nondum advecta fuerat tanta aromatum copia, quantam regina Sabaeorum regi Salomoni dedit. 11. Naves quoque Hirami non ſolum aurum ex Ophire afferebant, ſed etiam ligna ſandalorum [c]) perquam multa et gemmas. 12. Ex quibus ſandalis rex fabricandos curavit cancellos in aede Jovae et in ſuo palatio et citharas et nablia cantoribus. Nunquam antea ſandalorum ligna innotuerant. 13. Donavit Salomo reginae Sabaeorum omnia, quae ſibi expetebat, praeter ea, quae ei pro liberalitate regia dabat; et ſic revertit in patriam ſuam cum ſuis. 14. Pondus auri, quod Salomoni ſingulis annis proveniebat, fuit ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum, 15. praeter ea, quae ei ſolvebant portitores ſ. publicani *merces inſpicientes*, mercatores, Arabum reges et provinciarum praefecti. 16. Fecit Salomo ducenta ſcuta ex auro ductili, 17. et trecentos clypeos ex eadem materia. Illorum ſingulis inſumebantur ſexcenti ſicli aurei, horum autem tres minae. Quae depoſita ſunt in aedibus ſilvae Libani. 18. Fecit quoque ſolium eburneum magnum, quod auro optimo obduxit. 19. Sex gradus habebat ſumma ejus pars, a tergo erat rotundum, manus habebat utrinque ad locum ſeſſionis et duo leones ſtabant juxta manus, 20. duodecim vero in ſex gradibus hinc et

c) Ligna אלמגים quae ſint, prorſus incertum. *Celſius* in hierobot. p. I. p. 171. ligna ſandalorum vocat, ſed argumentis parum firmis; cf. *Michaelis* in quaeſtionibus Arabicis quaeſt. 91. p. 255.

et illinc. Cujusmodi opus in nullo regno unquam factum fuerat. 21. Omnia vasa potoria regis Salomonis erant aurea, nec non omnis supellex domus silvae Libani erat aurea, et quidem ex auro purissimo; argentum temporibus Salomonis nihili aestimabatur. 22. Nam naves Tartessi regiae una cum navibus Hirami tertio quoque anno redibant advehentes aurum et argentum, ebur, simias, pavones. 23. Sic superavit Salomo omnes istarum regionum reges divitiis et sapientia. 24. Homines omnium regionum cupiebant eum videre et audire ejus sapientiam, qua a Deo praeditus erat, 25. qui omnes munera offerebant, vasa argentea et aurea, vestes, arma, aromata, equos, mulos, eaque singulis annis. 26. Comparavit sibi quoque Salomo currus et equites. Currus quidem habuit mille et quadringentos, equitum vero duodecim millia, quos partim in oppidis curruum, partim apud se Hierosolymae disposuit. 27. Effecit, ut tanta esset argenti copia Hierosolymae, quanta lapidum; et cedrorum, quanta sycomororum in planitie. 28. Adducebantur Salomoni equi ex Aegypto. Mercatores ejus privilegium habebant, quod pro pecunia soluta eis concedebatur. [d]) 29. Pretium vero cujusque cur-

d) De h. l. difficili cf. *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. II. cap. IX. p. 171. *Beck* ad paraphrasin Chald. libror. Chron. p. II. p. 7. *Clericus* in comment. ad h. l. et *Michaelis* in appendice ad p. III. juris Mos. de equorum cultura in Palaestina p. 79. Quorum conjecturas non opus est ut h. l. proferam, cum libri ipsi facile possint inspici. Liceat mihi tantum, meam conjecturam afferre. Vocabulum מִקְנֵה, in quo omnis est difficultas, putem explicari posse de *privilegio*, ut vulgo dicitur, *exclusivo* coëmendi equos, quod negotiatores regis pro certa pecuniae

currus conſtabat ſexcentis ſiclis argenteis; equi vero centum et quinquaginta. Sic omnibus Hethitarum et Syriae regibus ab eis adducebantur.

CAPUT XI.

Salomo in ſenectute ſua a peregrinis uxoribus ad idololatriam ſeducitur 1—8. Propterea Deus minatur, partem regni ejus filio ereptum iri 9—13., variosque in eum adverſarios excitat, e quibus Jerobeamus primarius fuit, cui ab Ahija propheta regnum promittitur 14—40. Moritur Salomo 41—43.

1. At rex Salomo amavit mulieres peregrinas praeter filiam Pharaonis, Moabiticas, Ammoniticas, Edomiticas, Sidonias et Hethiticas, 2. ex gentibus, de quibus Deus Iſraëlitis interdixerat, ne cum eis conſuetudinem haberent, neque eas ad ſe admitterent; futurum enim eſſe, ut iſtae eorum animos ad Deos ſuos inclinarent. His amore junctus fuit Salomo. 3. Habuit enim ſeptingentas mulieres principes et trecentas pellices, 4. quae eum ſub ſenectutem ad peregrinos Deos inclinabant, ut non eſſet ea animi integritate in Jovam, Deum ſuum, qua David, pater ejus, fuerat. 5. Sectatus enim eſt Aſtoretham, Deam Sidoniorum, et

---

niae ſumma erant conſecuti. Sic enim deſcribitur illud מקוה in textu וקחו מקוה במחיר. Poteſt vero מקוה hanc habuiſſe ſignificationem ex conjugat. VIII. verbi قوي *licitatus fuit rem, auctoque ad ſummum pretio acquiſivit*; cf. *Gelius* p. 1987. Hujusmodi autem privilegium regem Aegypti Salomoni, genero ſuo, conceſſiſſe, nemo improbabile dixerit. Hic igitur per ſuos homines, qui propterea vocantur סוחרי המלך, equos coëmit, quos deinde pretio pro arbitrio ſuo conſtituto vendebat.

et Milconum, idolum Ammonitarum. 6. Qua re Salomo Jovam graviter offendit, neque tam constanter, quam David, pater ejus, eum coluit. 7. Exstruxit sacellum Camosо, idolo Moabitarum, in monte, qui est e regione Hierosolymae; itemque Molocho, Ammonitarum idolo. 8. Sic fecit in gratiam omnium mulierum peregrinarum, quae suffitus faciebant Diis suis et sacrificia. 9. Igitur iratus est Jova Salomoni, quod animum averterat a se, Israëlitarum Deo, qui bis ei apparuerat, 10. atque illud ipsum interdixerat, ne alios Deos sectaretur, neque tamen obtemperaverat. 11. Propterea haec ei minatus est: Quoniam legem et praecepta mea non servas, eripiam tibi regnum, idque dabo servo tuo. 12. Neque tamen hoc te vivente faciam propter Davidem, patrem tuum. Sed filio tuo illud eripiam, 13. et ne huic quidem integrum, unam tribum obtinebit propter Davidem, cultorem meum, et propter Hierosolymam, cui hanc praerogativam concessi. — 14. Postea exstitit, Jova sic permittente, adversarius Salomoni Hadadus, Edomita e stirpe regia. 15. Hic, cum esset David in Idumaea, postquam Joabus, dux exercitus, qui omnes mares Idumaeae interfici jusserat, ad mortuos sepeliendos profectus fuerat, (16. Mansit autem ibi Joabus sex menses cum toto Israëlitarum *exercitu*, dum omnes Idumaeae mares exscindebantur.) 17. tunc hic, *inquam*, Hadadus cum viris quibusdam Edomiticis, patris sui servis, fugit in Aegyptum, ipse quidem adhuc tenerae aetatis. 18. Ex Midianitide venerunt in *solitudinem* Paran, atque inde, assumtis aliis quibusdam hominibus, in Aegyptum

ad Pharaonem regem; qui ei domum dedit, victum assignavit et agros quoque largitus est, 19. atque adeo favit, ut ei sororem Tahpenesae principis, suae uxoris, in matrimonium daret; 20. ex qua sustulit filium Genubathum, qui a Tahpenesa in aula Pharaonis inter alios ejus liberos educabatur. 21. Cum autem Hadadus in Aegypto audiret, Davidem et Joabum, exercitus duces, mortuos esse, petiit a Pharaone, ut sibi in patriam suam redire permitteret. 22. Pharao eum interrogavit, num quid ei deesset, ut in patriam reverti vellet? Nihil, respondit ille, attamen rogo, ut me dimittas. — 23. Alius deinde *Salomonis* adversarius ex Dei voluntate fuit Hesjon, [a]) Eljadae filius, qui ab Hadad-

a) Cf. de hac pericopa verss. 23., 24., 25. Celeb. *Koehlerus* in repertorio pro litterat. orient. p. II. p. 262. In eo quidem non possum assentiri Viro Doctissimo, quod totum hunc locum habet pro interpolatione, quae ex nota marginali textui sit inserta. Nam cum scriptor hoc agat, ut, quos Salomo adversarios expertus sit, enarret, non potuit hunc Resonem s. Chesjonem omittere. Sed quod textus emendationes attinet, in his, una excepta, assentior. Primo pro רְזוֹן legendum puto חֶזְיוֹן propter locum cap. 15, 18., ubi Benhadad, filius Tabrimonis, nepos vocatur Hesjonis, non Resonis; et sic quoque vocatur ab interpretibus antiquis. Deinde vers. 24. pro יִקְבֹּץ עָלָיו *οἱ ὁ*, Syrus et Arabs legerunt יִקָּבְצוּ אֵלָיו *congregati sunt ad eum*, sc. Hesjonem. — Porro pro יִמְלְכוּ Vulgatus, Syrus et Arabs יַמְלִיכוּהוּ *constituerunt eum regem Damasci*. Addo, conjugationem Hiphil etiam exhibere quinque codd. *Kennicatti*, in quibus scriptum exstat יַמְלִיכוּ. — Tandem in vers. 25. pro וְאֵת הָרָעָה *οἱ ὁ* et Vulg. habent וְזֹאת הָרָעָה, quam lectionem etiam probat Cel. *Koehlerus*. Sed haec minime apta videtur contextui. Nam in his verbis sermo est de inimicitia Hadadi, regis illius Edomitarum, de quo vers. 14. seqq., quae comparatur cum illa, qua Hesjon, alter ille adversarius Salomo-

dadeſero, rege Zobenſi, domino ſuo, aufugerat. 24. Ad quem confluxerunt milites, quorum dux fuit, cum David Zobenſes concideret. Venerunt Damaſcum, ibi conſederunt eumque regem conſtituerunt. 25. Hunc Iſraëlitae hoſtem experti ſunt, quamdiu Salomo vixit, praeter Hadadum non minus eis moleſtum, qui Edomitarum rex factus Iſraëlitas multum infeſtavit. — 26. Tandem Jerobeamus, Nebati filius, Ephrathaeus ex Zereda, (cujus mater, quae vidua erat, Zerua vocabatur) ſervus Salomonis, contra eum rebellavit. 27. Cujus rebellionis haec erat occaſio. Cum Salomo Millonem aedificaret et partem dirutam urbis Davidis, patris ſui, obſtrueret, 28. vidit Jerobeamum, juvenem ſtrenuum et in opere faciundo aſſiduum, propterea eum praefecit omnibus operis Joſephitarum. 29. Eo tempore Jerobeamus Hieroſolyma egreſſus occurrit Ahijae, Silonitae prophetae. Ille novo pallio erat indutus. Cum ambo ſoli eſſent in via, 30. Ahija prehendit pallium Jerobeami novum, idque in partes ſcindit duodecim, 31. atque ſic eum alloquitur: Sume tibi decem partes, hoc enim fatur Jova, Deus Iſraëlitarum: En! ego eripiam regnum Salomoni, tibique dabo decem tribus, 32. una tribus ei manebit propter Davidem meum et propter Hieroſolymam, quam ego ex omnibus tribuum Iſraëliticarum urbibus hoc honore di-

gna-

monis, Iſraëlitas infeſtavit. Senſus autem exſiſtit perquam durus, ſi legatur: *hoc eſt malum, quod Hadad fecit*, de quo in his verſibus ſermo non fuit, ſed de Hesjone, rege Damaſci. Igitur רֹאשׁ explico per *cum*, cujus ſenſum in verſione modo magis Latino indicavi. — In fine verſus pro עַל אֲרָם cum τοῖς ὁ, Syro et Arabe legendum puto עַל אֹרֶם. Sic quoque duo codd. *Kennicotti* 93. et 150. a prima manu.

gnabor, 33. quoniam *ille cum ſuis* me relicto adoravit Aſtoretham, Deam Sidoniorum, Camoſum, Moabitarum Deum, et Milcomum Ammonitarum, neque ad praeſcripta mea vivens fecit id, quod mihi probaretur, obtemperando meis legibus et inſtitutis, ſicuti David, pater ejus. 34. Nec tamen toto regno eum privabo, imo quamdiu vivet, ipſe regnabit propter Davidem, quem amavi et qui legibus meis et praeceptis morem geſſit. 35. Sed filio ejus *partem* regni eripiam, tibique dabo decem tribus, 36. filio autem ejus tantum unam, ut ſuperſtes ſit aliquis ex poſteris Davidis perpetuo Hieroſolymae, quam volo, ut de nomine meo nominetur. 37. Te vero regem conſtituam, et pro lubitu tuo imperabis Iſraëlitis. 38. Quodſi mihi in omnibus, quae tibi praecepi, obtemperaveris, et ad normam meam vivens feceris, quae mihi probantur, et leges et ſtatuta mea ſervaveris, quemadmodum hoc fecit David mihi deditus: tibi adero, tuamque familiam ſervabo, ſicuti Davidis. Tuum erit regnum Iſraëliticum. 39. Poſteros autem Davidis affligam, quod hoc neglexerint, nec tamen in perpetuum. — 40. Salomo quidem volebat Jerobeamum interficere, ſed hic fugit ad Siſakum, regem Aegypti, ibique manſit usque ad mortem Salomonis. 41. Reliquae res geſtae Salomonis et ſapientia ejus deſcriptae leguntur in hiſtoria vitae ejus. 42. Regnavit Salomo Hieroſolymae in omnes Iſraëlitas annos quadraginta, 43. tandemque obdormivit cum majoribus ſuis, et ſepultus eſt in urbe Davidis, patris ſui. Succeſſit ei in regno ejus filius Rehabeamus.

CA-

CAPUT XII.

Propter duram Rehabeami responsionem, quam populo remissionem petenti dat, decem tribus ab eo deficiunt, regemque sibi constituunt Jerobeamum 1—20. Bellum, quod illo contra hunc parat, omittitur ex admonitione prophetae 21—24. Jerobeamus cultum religiosum vitulorum aureorum Dane et Bethele instituit 25—32.

1. Omnes Israëlitae convenerant Sichemi, ut regem crearent Rehabeamum, qui propterea quoque eo se contulit. 2. Quod cum audisset Jerobeamus, Nebati filius, qui adhuc in Aegypto, quo propter Salomonem regem fugerat, degebat, inde rediit, [a]) 3. et vocatus adfuit una cum omnibus Israëlitarum legatis, qui sic cum Rehabeamo egerunt: 4. durum sibi ab ejus patre jugum fuisse impositum; jam si remitteret aliquid ab illa duritie, et jugum, quo ab ejus patre pressi essent, levaret, sese ei submissuros esse. 5. Respondit eis Rehabeamus: discederent in praesentia, et post triduum reverterentur. 6. Postea consuluit seniores, qui Salomoni, patri suo, a consiliis fuerant, quid censerent populi legatis esse respondendum? 7. Illi ei demonstrarunt, si jam quidem eis paullulum concederet, et benigne et humane responderet, eos perpetuo sibi deditos futuros esse. 8. At *Rehabeamus*, neglecto seniorum consilio, juniores, qui cum eo educati fuerant et jam ministrabant, consuluit. 9. Quid vos censetis, inquiebat, ut respondeam populo? 10. Tunc illi suadent, ut populo ad petita sua sic respondeat: Digi-

a) Pro וַיֵּשֶׁב בְּמִצְרַיִם legendum esse וַיָּשָׁב מִמִּצְרַיִם, partim contextus docet, partim locus parallelus 2 Chron. 10, 2., partim *oi ὁ* et Vulgatus.

gitus meus minimus craſſior erit patris mei lateribus. 11. Pater ille meus gravi jugo vos oneravit, ego jugum illud veſtrum augebo; ille vos ſcuticis caſtigavit, ego ſcorpiones in vobis caſtigandis adhibebo. 12. Tertio die Jerobeamus omnesque populi legati veniunt ad Rehabeamum, ſicuti ab eo juſſi erant, 13. qui eis dure reſpondit, neglecto ſeniorum conſilio, quod ei dederant, 14. atque juniorum conſilium ſecutus dixit: Pater meus aggravavit onus veſtrum, ego illud augebo; ille vos ſcuticis caſtigavit, ego vos ſcorpionibus plectam. 15. Sic rex nihil conceſſit populo, Jova rem ſic dirigente, ut impleretur id, quod per Ahijam Silonitam ad Jerobeamum, Nebati filium, dixerat. 16. Iſraëlitae igitur, cum viderent, regem precibus ſuis locum non dare, ei reſponderunt: nihil jam ad ſe pertinere Davidem, nec quidquam ſe ſperare poſſe a filio Iſaei; proinde quisque domum reverteretur, et familia Davidis ſibi ipſi proſpiceret. Et ſic omnes Iſraëlitae ad ſua redierunt. 17. Tantum eis, qui Judaeae oppida incolebant, Rehabeamus imperavit. 18. Miſit quidem *deinde* Adoramum, qui tributis praeerat, [b]) ſed Iſraëlitae eum lapidibus obrutum interfecerunt. Rex ipſe Rehabeamus aegre [c]) potuit currum conſcendere, et Hieroſolymam effugere. 19. Sic defecerunt Iſraëlitae a domo Davidis, ne nunc quidem ei juncti. 20. Poſtquam Iſraëlitae cognoverant, Jerobeamum rediiſſe, miſerunt ad eum; et ad conventum vocarunt, in quo ab omnibus

rex

b) Sine dubio eo conſilio, ut animos concitatos placaret.

c) Sic vertendum puto הִתְאַמֵּץ propter ſequens לָכוּם, non, ut *Clericus* vult, *animo confirmato*, quaſi Rehabeamus in ſua ſententia perſtitiſſet.

rex creatus est. Unà tantum tribus Judaica faciebat cum domo Davidis. 21. At Rehabeamus, cum Hierosolymam venisset, congregavit Judaeos et tribum Benjaminiticam, centum et octoginta millia hominum lectissimorum et belli peritorum, ut bellum inferret Israëlitis, et regnum sibi, Salomonis filio, recuperaret. 22. Sed jussit Deus Semajam, prophetam, 23. Rehabeamo, Salomonis filio, regi Judae, Judaeis et Benjaminitis reliquoque populo 24. suo nomine dicere: ne popularibus suis Israëlitis bellum inferrent, sed omnes domum redirent, se enim hujus rei esse auctorem. Cui mandato divino quoque obtemperarunt, atque domum discesserunt. — 25. Jerobeamus autem munivit Sichemum in montibus Ephraimiticis, ibique habitavit, deinde quoque Pnuelem instauravit. 26. Sed verebatur, ne regnum ad familiam Davidis iterum transferretur, 27. si populus sacrorum causa ad templum Jovae Hierosolymam proficisceretur; futurum esse, ut tunc animi reconciliarentur Rehabeamo, regi Judae, et se interfecto eum regem agnoscerent. 28. Igitur consilio inito fecit duos vitulos aureos, et persuasit Israëlitis, nimis molestum eis futurum esse, si Hierosolymam proficiscerentur; hic jam adesse Deum, qui eos ex Aegypto eduxisset. 29. Atque alterum horum vitulorum Bethele, alterum Dane posuit. 30. Quod omnibus peccandi occasionem dedit, nam populus utriusque videndi causa ad Danem usque proficiscebatur. 31. Exstruxit quoque sacella in locis editis, et sacerdotes constituit ex omnibus,[d]) qui

d) מִקְצוֹת הָעָם non *ex infima plebe*, sed *ex omnibus sine discrimine*. Sic קָצֶה alias quoque dicitur Genes. 47, 2. et cap. seq. v. 33.

hoc interdixit, jussitque, ut alia via redirem, quam qua venissem. 18. Tunc hic illi: Ego quoque propheta sum, et angelus mihi nomine Jovae mandavit, ut te domum meam reducerem, tibique panem et aquam praeberem. Sed mentiebatur. 19. Sic redit cum eo, cibumque et potum domi ejus sumit. 20. His accumbentibus propheta, qui alterum reduxerat, Jovae impulsu 21. hunc, qui ex Judaea venerat, sic alloquitur: Haec dicit Jova: Quoniam tu mihi morem non gessisti, neque obtemperasti praecepto, quod tibi dederam, 22. sed reversus cibum potumque sumsisti in loco, in quo ne sumeres vetueram, non veniet corpus tuum in sepulcrum tuorum majorum. 23. Convivio finito sternit asinum prophetae, quem reduxerat, 24. qui in itinere occurrit leoni, a quo interficitur. Corpus in via projectum jacebat adstante asino et leone. 25. Quod cum quidam eo iter facientes videant, narrant hoc in urbe, in qua senex ille propheta habitabat, 26. qui, simulac hoc audit, dicit: Hic est ille propheta, qui Jovae dicto audiens non fuit; tradidit eum Jova leoni, a quo trucidatus est et occisus, quod ipsum Jova ei est minatus. 27. Simul jubet filios suos asinum sternere: quod cum fecerint, 28. ille profectus invenit corpus in via abjectum, et asinum et leonem ei adstantes. Leo corpus non devoraverat, neque dilaceraverat asinum. 29. Tunc corpus prophetae asino impositum reducit in oppidum, in quo habitat, ut justa ei solvat. 30. Sepelit nempe eum in sepulcro suo, et ut fratrem luget. 31. Postquam eum sepelivit, dicit filiis suis: Cum mortuus fuero, me quoque sepelite in sepulcro, in quo

pro-

propheta hic conditus eſt, juxta oſſa ejus mea quoque reponite. 32. Certo enim evenient, quae ex Jovae mandato pronunciavit contra hanc aram et contra ſacella excelſorum in oppidis Samariae. — 33. His omnibus tamen Jerobeamus non permotus eſt, ut malos ſuos mores mutaret, ſed iterum ſacerdotes locorum excelſorum promiſcue faciebat, et, prouti libuit, ad ſacerdotium inauguravit. 34. Haec vero cauſa fuit noxae familiae Jerobeami, ut funditus e terrarum orbe deleretur.

CAPUT XIV.

Jerobeamus mittit uxorem ad Ahijam prophetam, ut eum de morbo filii conſulat. Ahija eum graviter propter idololatriam, cujus auctor ſuaſorque fit populo, reprehendit, et ſeveras Dei poenas annunciat 1—16. Moritur puer et Jerobeamus 17—20. Rehabeamus quoque Deum vita ſua offendit. Siſakus, rex Aegypti, irruptione facta ſpoliat templi et regiae theſauros. Moritur Rehabeamus, cui ſuccedit Abiam filius 21—31.

1. Eo tempore Jerobeamus, cum Abija, ejus filius, aegrotet, 2. rogat uxorem ſuam, ut mutato habitu, ne quis cognoſcat, ſe ejus uxorem eſſe, Siluntem proficiſcatur. Ibi eſſe Ahijam prophetam, qui ſibi dixerit, ſe regem futurum. 3. Afferat muneris loco decem panes, placentas et lagenam mellis. Quem ſi convenerit, indicaturum ei eſſe, quid puero futurum ſit. 4. Exſequitur mandata uxor Jerobeami, proficiſcitur Siluntem, adit domum Ahijae, qui coecutit, oculis ejus prae ſenectute torpentibus. 5. At Jova eum praemonuerat, venturam eſſe Jerobeami uxorem ad conſulendum eum de morbo filii ſui. Simul dicendis

dis eum instruxerat. Cum igitur illa veniret et se dissimularet, 6. Ahija, simulac eam intrare audivit, Ingredere, uxor Jerobeami! inquiebat, Quid te dissimulas? Missus ego ad te sum durus nuncius. 7. I renunciatum Jerobeamo: Haec Jova, Deus Israëlitarum, dixit: Quoniam te e media plebe principem constitui populi mei Israëlis, 8. et regnum familiae Davidis ereptum tibi tradidi, tu vero minime te gessisti uti cultor ille meus Davides, qui praecepta mea observans ex animo mihi deditus fuit, et nihil omisit, quod mihi placeret; 9. sed potius omnes, qui ante te fuerunt, impietate superasti, et alios Deos tibi finxisti, fusa simulacra, ad me irritandum, me prorsus spreto et neglecto: 10. propterea adducam contra domum tuam mala, exscindam tuos omnes, ubicunque inter Israëlitas lateant, abstergam familiam tuam penitus, uti solet stercus abstergi. 11. Qui de tuis morietur in urbe, hunc canes, qui rure, aves rapaces devorabunt. Hoc Jova minatur. 12. Igitur tu, *uxor Jerobeami*, surge, pete domum tuam; simulac urbem fueris ingressa, morietur puer. 13. Hunc lugebunt omnes Israëlitae, et sepelient. Sed hic unus est, qui ex familia Jerobeami sepulcrum adipiscetur, quoniam in eo boni aliquid inventum est erga Jovam, Deum Israëlitarum. 14. Excitabit sibi regem [a]) Jova, qui exscindet domum Jerobeami suo tempore, fortasse non longe remoto. [b]) 15. *Praeterea* quoque affliget Israëli-

a) Hic fuit Baësa, de quo cap. 15, 27. seqq.

b) Verba textus זֶה הַיּוֹם וּמָה גַּם־עַתָּה sunt valde difficilia. Ego עתה refero ad יום. Versiones antiquae nullum dissensum

itas, quemadmodum ſolet arundo in aqua agitari; ulſos ex hac terra bona, quam eorum majoribus dit, diſperget trans Euphratem, propterea quod fi- ulacra ſibi fecerunt et Jovam irritarunt. 16. Hoſti- s eos tradet propter peccata Jerobeami, qui non lum ipſe peccavit, ſed etiam Iſraëlitas ad peccan- m ſeduxit. 17. Tum uxor Jerobeami disceſſit, et rzam rediit. Vix limen aedium transgreſſa erat, m puer moriebatur. 18. In ejus funere lugebant m omnes Iſraëlitae, quemadmodum Jova per mini- um ſuum Ahijam prophetam praedixerat. 19. Re- uae res geſtae Jerobeami, ejus bella et quomodo gnarit, litteris conſignata ſunt in annalibus regum raëliticorum. 20. Regnavit omnino duo et viginti nos. Poſt mortem ejus ei ſucceſſit in regno Nada- s filius. — 21. In Judaea regnavit Rehabeamus, lomonis filius, unum et quadraginta annos natus, [c]) cum

ſum a lectione recepta produnt, ſed, quod nos facimus, divinaſſe ſenſum tantum videntur.

c) Hic numerus *Cappello* (in critica ſ. lib. I. cap. X. §. 11.) ſuſpectus videtur, et pro eo legendum putat 21. Nam Rehabeami mater fuit Naama Ammonitis, 1 Reg. 14, 21. Salomo autem regnavit annos tantum 40. Si ergo Rehabeamus natus fuit annos 41, cum coepit regnare, ſusceptus fuerat et natus Salomoni anno uno, antequam coepiſſet regnare. Atqui tum erat adhuc puer ſerme (1 Chron. 22, 5. et 1 Reg. 3, 7.) et vivebat pater ejus David; an ergo tum ea aetate duxiſſet uxorem Ammoniticam, vivente et videnti patre Davide, etc. Haec *Cappellus*. Approbant haec *Grotius*, *Clericus*, *Hubigantius*. Hic tamen non numerum 21 annorum ſubſtituere vult, ſed quatuordecim, qui numero textus Hebraei propius accedat. Sed quis audeat, in re prorſus incerta aliquid definire? Verſiones antiquae omnes in lectione textus recepta conſentiunt.

cum regnum capesseret, quod septendecim annos tenuit Hierosolymae, quam urbem Jova ex omnibus tribubus Israëliticis elegerat, ut ibi coleretur. Matrem habuit Ammoniticam, nomine Naamam. 22. Judaei autem Jovam graviter offenderunt, ejusque iram peccatis magis quam eorum majores provocarunt, 23. exstruentes sibi sacella in locis excelsis, statuas et lucos in collibus eminentioribus et sub arboribus frondosis. 24. Cinaedi quoque in terra fuerunt. *Paucis*, eadem prorsus scelera horrenda patrarunt, propter quae Jova gentes ante Israëlitarum adventum ejecerat. 25. Anno quinto Rehabeami Sisakus, rex Aegypti, aggressus est Hierosolymam, 26. et abstulit omnes templi et regiae thesauros, in his quoque aureos illos clypeos, quos Salomo fecerat. 27. Quorum in locum substituit Rehabeamus aeneos, eosque deposuit apud satellites ad palatium regium excubantes, 28. qui eos, quando rex ad aedem Jovae ibat, gestabant, deinde eos ad stationem suam referebant. 29. Reliquae res gestae Rehabeami scriptae exstant in ephemeridibus regum Judae. 30. Bellum autem perpetuum fuit inter Rehabeamum et Jerobeamum. 31. Tandem mortuus est Rehabeamus, et sepultus apud majores suos in urbe Davidis. Nomen matris fuit Naama Ammonitis. Successit ei Abijamus filius.

CA-

CAPUT XV.

Abijamus rex Judae malus 1—8., bonus Asa, ejus filius 9—15. Hic conatus regis Israëlitarum ope Syrorum irritos reddit 16—24. Nadab, Jerobeami filius, a Baësa interficitur, qui regno potitur 25—34.

1. Anno duodevicesimo regis Jerobeami, Nebati lii, in Judaea Abijamus regnavit 2. tres annos Hi-rosolymae. Mater ejus fuit Maacha, Absalomi filia. Patris sui peccata in omnibus imitatus est, neque nimo integro fuit in Jovam, Deum suum, sicuti Da-d, atavus ejus. 4. Cujus causa tantum factum est, Rehabeamo prolem ejusque filium ei substitueret, et conservaret Hierosolymam. 5. Ille David Jovae obabatur, quoniam praecepta ejus nunquam per nnem vitam neglexerat, nisi in isto cum Uria He-ita facinore. 6. Bellum perpetuum fuit inter Abija-um [a]) et Jerobeamum. 7. Reliquae res gestae Abi-mi memoriae proditae sunt in annalibus regum Judae. Mortuus et sepultus est in urbe Davidis. Successo-m habuit Asam, filium suum. — 9. Hic Asa anno cesimo Jerobeami, regis Israëlis, regnum Judae iniit, . atque unum et quadraginta annos Hierosolymae re-avit. Matrem habuit nomine Maacham, filiam Absa-ni. 11. Fecit, quae Jovae placebant, plane uti Da-vid,

a) In textu vulgari legitur quidem *Rehabeam*, sed lectio haud dubie falsa est, nam non de *Rehabeamo*, sed de ejus filio *Abijamo* sermo est. Quam lectionem quoque *Kennicottus* in octo codicibus invenit. Omittit hunc versum cod. Vat. et Arabs. Syrus legit: *inter Abijamum, filium Rehabeami*, etc., et omittit in sequenti versu repetitionem eorundem verborum. Quod ego quoque feci.

vid, ex quo ortus erat. 12. Ejecit cinaedos e terra, et ſustulit omnes idolorum ſtatuas, quas ejus majores fecerant. 13. Matrem adeo Maacham removit a principatu, quoniam in luco horrendum idolum collocaverat, quod dejectum ad torrentem Kidronem combuſſit. 14. Modo ſacella in locis editis non ſublata ſunt, attamen animo integro Aſa Jovam per omnem vitam coluit. 15. Aurum, argentum et vaſa, quae cum pater ejus, tum ipſe conſecrarat, intulit in aedem Jovae. 16. Inter eum et Baëſam, regem Iſraëlis, per omnem vitam bellum fuit. 17. Hic Baëſa expeditione in Judaeam facta munivit Ramam, ut impediret commercium cum Aſa, Judaeae rege. 18. Tunc Aſa ſumſit omne argentum et aurum, quod in theſauro aedis Jovae et regiae ſupererat, et per ſuos homines miſit ad Benhadadum, Tabrimmonis filium, Hesionis nepotem, regem Syriae, Damaſci habitantem, cui ſuo nomine dicerent: 19. Foedus pangamus, quale jam inter meum et tuum patrem interceſſit. Mitto tibi munus auri et argenti, ut disſolvas foedus, quod tibi eſt cum Baëſa, Iſraëlis rege, ut a me discedat. 20. Benhadad annuit votis regis Aſae, et miſſo exercitu in Iſraëlitarum oppida cepit Ijjonem, Danem, Abelem, Bethmaacham, totum tractum Cinnereth et terram Naphtalitarum. 21. Quod cum Baëſa audiviſſet, omiſit munitionem Ramae, et ſe Tirzae continuit. 22. Tunc rex Aſa convocavit omnes Judaeos nullo immuni, ut auferrent lapides et ligna, quibus Baëſa ad Ramae munitionem uti voluerat, atque eis munivit Gibeam Benjaminitarum et Mizpam. 23. Reliquae res geſtae Aſae, ejus potentia,

tia, et quae oppida exſtruxerit, haec omnia memoriae prodita ſunt in annalibus regum Judae. Sub ſenectutem pedibus laboravit. 24. Poſtquam diem ſuum obierat, ſepultus eſt apud majores ſuos in urbe Davidis, patris ſui. Regnavit poſt eum Joſaphatus filius. — 25. Anno ſecundo Aſae, regis Judae, Nadabus, Jerobeami filius, duos annos in Iſraëlitas regnavit. 26. Deum offendit, dum patris ſui mores imitabatur, ejusque peccato inhaerebat, quo Iſraëlitas ſeduxerat. 27. Conjuravit contra eum Baëſa, filius Ahijae, e tribu Iſaſchar, eumque interfecit prope Gibbethonem, b) quod tum Philiſtaei tenebant, ſed ille Nadabus cum omni Iſraëlitarum exercitu oppugnabat. 28. Factum hoc eſt anno tertio Aſae, regis Judae. 29. Regno poſt eum potitus omnem Jerobeami familiam trucidavit nemine relicto, prorſus eam delevit, prouti hoc Jova minatus fuerat per miniſtrum ſuum Ahijam Silonitam, 30. propter peccata, quae ille Jerobeamus ipſe commiſerat, et quod auctor fuerat Iſraëlitis, ut peccarent, atque hoc facto Jovam, Deum Iſraëlitarum, graviter offenderat. 31. Reliqua, quae Nadabus geſſerit, ſcripta exſtant in annalibus regum Iſraëliticorum. 32. Bellum inter Aſam et inter Baëſam fuit perpetuum. 33. Aſa vero in Judaea jam tertio anno regnabat, cum Baëſa, Ahijae filius, regnum Iſraëliticum occuparet, quod Tirzae per quatuor et viginti annos tenuit. 34. Jovam offendit, dum Jerobeami exemplum imitabatur, et eodem peccato Iſraëlitas ſeducebat.

b) Quae urbs antea Danitarum et Levitarum fuit, Joſ. 19, 44.

CAPUT XVI.

Jehu propheta Baëſae poenas annunciat 1—7., quas exſequitur Simri, qui Elam, Baëſae filium, cum tota familia interficit 8—14. Simri ab Omri interficitur, qui ſedem regiam Tirza Samariam transfert a ſe exſtructam 15—28. Ipſe homo peſſimus filium habuit adhuc pejorem, Ahabum. Jericho inſtauratur 29—34.

1. Jehu, Hanani filius, juſſu Dei Baëſam ſic eſt allocutus: 2. Quoniam te ex infima ſortis conditione populi mei Iſraëlis principem conſtitui, et tu tamen eum ad exemplum Jerobeami ſeduxiſti, ut me peccatis offendat, 3. te tuamque domum delebo, uti domum Jerobeami, Nebati filii. 4. Qui de tuis in urbe morietur, hunc canes, qui rure, hunc aves rapaces devorabunt. 5. Reliquae res a Baëſa geſtae ejusque potentia memoriae proditae ſunt in annalibus regum Iſraëliticorum. 6. Mortuus eſt et ſepultus Tirzae. Succeſſit ei Ela filius. 7. Quae Jova per prophetam Jehum, Hanani filium, minatus fuerat Baëſae ejusque familiae, eadem ei eventura eſſe, quae familiae Jerobeami, eumque occiſum iri propter tot ſcelera, quibus Jovam offendiſſet, iramque ejus malefactis ſuis provocaſſet, *ſic ſunt impleta*: *) 8. Poſtquam Ela, Baëſae filius, in Iſraëlitas duos annos Tirzae regnaverat, (qui incidunt in annum ſextum et viceſimum Aſae, regis Judae) 9. conjuravit in eum Simri, homo aulicus, dux dimidiae partis quadrigarum ipſius, eum-

*) Rectius hic verſus ſic transferendus eſt: Etiam per Jehu, Hanani filium, prophetam, Jova Baëſae ejusque familiae minatus fuerat propter omnia ſcelera, quibus Jovam offenderat, ut ejus iram malefactis ſuis provocaſſet, et familiam Jerobeami aequiparaſſet, et quoniam iſtam deleverat.

eumque Tirzae in aedibus Arzae, praefecti palatio, potantem et ebrium 10. aggressus trucidavit, (quod factum est anno septimo et vicesimo Asae, regis Judae) et regnum pro eo occupavit. 11. Quod cum obtinuisset, interfecit omnem Baësae familiam, nemine prorsus relicto, propinquos omnes et amicos. 12. Sic delevit Simri omnem Baësae familiam, prouti Jova ei per Jehum prophetam minatus fuerat, 13. in poenam peccatorum Baësae et Elae, ejus filii, qui non solum ipsi peccarant, sed etiam Israëlitis auctores fuerant, ut Jovam, Deum suum, idolorum cultu irritarent. 14. Reliquae res gestae Elae scriptae exstant in ephemeridibus regum Israëlis. — 15. Anno septimo et vicesimo Asae, regis Judae, Simri tantum septem dies Tirzae regnavit. Nam cum milites, qui tum Gibbethonem Philistaeorum obsidebant, 16. audirent, eum facta conjuratione regem interfecisse, omnes Omrem, ducem exercitus, regem in castris proclamarunt, 17. qui cum toto Israëlitarum exercitu Gibbethone discessit ad Tirzam oppugnandam. 18. Simri, qui videbat, urbem expugnatum iri, palatium regium ingressus se una cum eo concremavit. 19. Qua morte poenas luit peccatorum suorum, dum Jovam offendit iisdem Jerobeami peccatis, quibus Israëlitas seduxit. 20. Reliquae res gestae Simri ejusque conjuratio narrantur in annalibus regum Israëliticorum. 21. Tunc divisus fuit populus Israëliticus in duas partes. Altera Tibnem, Ginathi filium, altera Omrem regem elegerat. 22. Sed praevaluerunt Omriani Tibnianis, et mortuo Tibne Omri rex factus est. 23. Anno primo et tricesimo

Asae,

Asae, regis Judae, regnum Israëliticum obtinuit, atque omnino duodecim annos regnavit; Tirzae vero tantum sex annos. 24. Nam post haec emit montem Samariae a Semero quodam duobus talentis argenti. In quo monte urbem exstruxit, quam a Semero, priori montis possessore, Samariam vocavit. 25. Sed hic Omri magis quam omnes, qui eum praecesserant, Jovam vita sua offendit. 26. Omnia commisit peccata Jerobeami, Nebati filii, qui Israëlitas ad irritandum Jovam idolorum cultu seduxerat. 27. Reliquae res Omris et fortiter ab eo gesta litteris consignata sunt in annalibus regum Israëliticorum. 28. Mortuus et sepultus est Samariae. Ahabum filium successorem habuit. 29. Hic Ahabus regnum in Israëlitas iniit anno duodequadragesimo Asae, regis Judae, atque Samariae duos et viginti annos regnavit. 30. Omnes antecessores suos impietate in Jovam superavit. 31. Leve hoc ei videbatur, imitari scelera Jerobeami, Nebati filii. Nam postquam in matrimonium duxerat Isabelam, Ethbaalis, regis Sidoniorum, filiam, coluit quoque Baalem, eumque adoravit, 32. eidemque erexit aram in templo, quod Samariae exstruxerat. 33. Lucum quoque paravit, atque omnino magis, quam omnes Israëlitarum reges, qui eum praecesserant, Jovam offendit. — 34. Ejus temporibus Hiel Bethelensis instauravit Hierichuntem. Cum *muri* fundamenta jaceret, amisit Abiramum, primogenitum suum filium, et cum portas collocaret, Segubum, natu minimum, quemadmodum Jova per Josuam, filium Nunis, praedixerat.[a])

CA-

a) Jos. 6, 26.

CAPUT XVII.

Elia Ahabo famem futuram praedicit, ipse ad Cerithum torrentem ab illius regionis incolis alitur 1—6. Postquam ille torrens exaruit, Sareptam se confert, ubi a vidua paupere alitur 7—15., cujus filium mortuum in vitam revocat 16—24.

1. Elia Tisbita, ex incolis Gileaditicis, Ahabum sic est allocutus: Per Jovam immortalem, Israëlitarum Deum, cujus ego minister sum! non ros, non pluvia decidet per hos annos, nisi cum dixero. 2. Deinde jussit Jova Eliam 3. illinc discedere, et versus orientem latere ad torrentem Cerithum, qui est ex adverso Jordani; 4. ex hac torrente biberet, se vero curaturum, ut Orebenses [a]) eum alerent. 5. Ille igitur fecit, quod Jova jusserat. Abiit, et habitavit ad fontem Cerithum, qui est e regione Jordani. 6. Orebenses ei afferebant mane et vespere panem et carnem,

a) Num עֹרְבִים jussi a Deo Eliae cibum afferre *corvi* sint, an *homines*? dissentiunt interpretes. Utraque sententia suos nacta est defensores. Qui posteriorem sententiam tuentur, iterum in partes abeunt. Alii volunt esse עֹרְבִים *mercatores*, coll. Ezech. 27, 27.; alii *Arabes*, aliis punctis subjectis legentes עַרְבִים 2 Chron. 21, 16. Nehem. 4, 7.; alii nomen proprium loci esse dicunt *Horbo*, non procul a Scythopoli. — Equidem fateor, mihi posteriorem sententiam maxime probabilem videri, cum doctissimi interpretes et theologi consentiant, praeter necessitatem, non esse miracula augenda, neque Deum praeternaturalia media adhibere, ubi naturalia suppetant. Quoniam igitur illud sine multis miraculis cogitari non potest, malim utique hanc vocem de nomine proprio incolarum loci cujusdam intelligere. Non obstat, quod hoc nomen alibi non legatur, nam neque Teseb, patria Eliae, neque torrens Cerith aliaq occurrit. — Objectionibus *Bocharti*, qui priorem sententiam defendit, (hieroz. tom. II. cap. 13. p. 214.) satisfecit *Clericus* ad h. l.; cf. *Reland* in Palaestina p. II. p. 913. *Deyling* in observatt. l. tom. I. obs. XXV. Mitto alios.

nem, ex torrente autem bibebat. 7. Anno autem exacto torrens propter defectum pluviae exaruit. 8. Tunc Jova jussit Eliam 9. se Sareptam conferre, quod est Sidoniorum oppidum, ibique manere, mulierem viduam eum esse alituram. 10. Igitur eo profectus, cum prope oppidi portam venisset, vidit mulierem viduam ligna colligentem. Hanc allocutus rogavit, ut sibi paullulum aquae in vase afferret ad bibendum. 11. Cum illa petitum iret, clamavit post eam, ut quoque panis frustulum ei praeberet. 12. Tum illa, Per Jovam immortalem, Deum tuum! inquit, non panem habeo, sed tantum pugillum farinae in cado et olei paullulum in lagena. Jam hic colligebam aliquot ligna, quibus illa mihi meoque filio pararem, atque his consumtis moriemur. 13. Respondit ei Elias: Bono animo sis, fac, quod dixisti, mihi vero primo coque panem parvum, quem mihi foras afferto, deinde tibi tuoque filio parato. 14. Sic enim Jova, Deus Israëlitarum, jubet: Farina cadi non consumetur, nec lagenae oleum deficiet, [b]) donec pluviam Jova in terram demiserit. 15. Illa igitur abiit, et fecit, uti Elias dixerat. Neque victus defuit cum huic, tum illi et familiae illius per tempus bene longum. 16. Farina cadi non consumta est, nec lagenae oleum defecit, quemadmodum Jo-

b) Hanc Eliae promissionem S. R. *Niemeyer* in characterist. p. V. p. 854. putat posse de singulari providentia divina intelligi, qua effectum fuerit, ut vidua aliorum liberalitate adjuta non careret. Sed neque verba ipsa videntur mihi hunc sensum admittere, neque video, quid obstet, simile miraculum hac occasione statuere, quale bis Jesus patravit, ubi etiam perexiguus panum et piscium numerus sufficiebat, aut quale discipulus Eliae, Elisa, praestitit, 2 Reg. 4, 42.

Jova per Eliam promiferat. — 17. Poftea filius illius mulieris matrisfamilias morbo laborabat, qui adeo ingravefcebat, ut tandem eo exftingueretur. 18. Tunc illa Eliae dixit: Utinam te nunquam vidiffem, o propheta! nam quod tu ad me venifti, jam poenas luo peccati mei, hinc filius meus mortuus eft. 19. Tum Elia juffit, ut fibi filium traderet, quem e finu ejus exceptum fustulit in conclave, in quo verfari folebat, et in lecto fuo repofuit. 20. Quo facto ad Deum precatus eft in hunc modum: O Jova, mi Deus, num tu viduam, cujus hofpitio ego utor, tantopere affliges, ut filium ejus ei morte eripias? 21. Tunc ter fe fuper filio extendit, et Jovam invocans, O Jova, mi Deus, inquit, fac, ut vita redeat huic puero. 22. Exaudivit Jova Eliam, et reddidit vitam puero, 23. quem deinde Elia e conclavi domum deduxit et matri tradidit, En! filium tuum vivum, inquiens. 24. Ad haec mulier Eliae dixit: Jam quidem plane intelligo, te effe virum divinum, et Jovam per te loqui.

CAPUT XVIII.

Elias a Deo juffus, ut Ahabum conveniat, occurrit in itinere Obadjae, homini aulico, quem de confilio fuo certiorem facit 1—15. Is Ahabum ad eum ducit, cum quo Elias loquitur, et jubet, ut Ifraëlitas et omnes Baalis facerdotes convocet. In quorum conventu probat miraculofa facrificii combuftione, Jovam verum Deum effe, non Baalem. Cujus facerdotes propterea jubet trucidari 16—40. Tandem pluit 41—46.

1. Poft dies complures, anno nempe tertio, juffit Deus Eliam adire Ahabum, velle fe pluviam in ter-

terram demittere. 2. Profectus igitur eſt Elias, ut Ahabum conveniret. Fames autem ingraveſcebat Samariae. 3. Propterea Ahabus vocavit Obadjam, domus procuratorem, (Hic Obadja Jovam quam maxime reverebatur. 4. Cum Iſabel Jovae prophetas vellet exſcindere, ille centum ſubduxerat, eosque quinquagenos in ſpeluncis abditos pane et aqua ſustentarat.) 5. eique mandavit, ut totius regionis fontes et fluvios inviſeret, ſi forte gramen invenirent, quo equi et muli ſervarentur, ne prorſus jumentis privarentur. 6. Igitur terram peragrandam ſic inter ſe diviſerunt, ut Ahabus eam ab una, Obadja vero ab altera parte ſeorſim obiret. 7. In hoc itinere occurrit Obadja Eliae, quem ſtatim agnovit et in faciem prolapſus interrogavit: Tune es dominus meus Elias? 8. Sum, inquit ille, i nunciatum domino tuo, me adeſſe. 9. Ille vero reſpondit: Quid peccavi, ut me Ahabo tradas interficiendum? 10. Per Jovam immortalem, Deum tuum! non gens, non regnum eſt, quo non miſerit dominus meus ad te quaerendum. Si negabant, te adeſſe, jusjurandum ab eis exegit, *quo confirmarent*, te non eſſe inventum. 11. Tu quidem jam jubes, ut domino meo annunciem, te adeſſe; 12. ſed ſi a te disceſſero, ſpiritus Jovae te transferet in locum mihi ignotum, tunc ſi Ahabus te non inveniret, me interficeret. Ego vero inde a juventute mea Jovam ſum reveritus. 13. Fortaſſe tibi narratum non eſt, mi domine, quid fecerim, cum Iſabel prophetas Jovae occideret? Tunc ego eorum centum, nempe quinquagenos in ſingulis cavernis, abdidi et pane et aqua ſus-

ten-

tentavi. 14. Noli igitur jubere, ut domino meo adventum tuum annunciem, ne me occidat. 15. Ad haec Elias respondit: Per Jovam immortalem et omnipotentem, cujus minister ego sum! hodie eum videbo. 16. Tunc Obadja Ahabo obviam ivit et *Eliam adesse* nunciavit. Ille igitur huic occurrit, 17. et cum eum videret, Tune, inquit, is es, qui Israëlem perturbat? 18. Non ego, respondit ille, perturbo Israëlem, sed tu et domus tua paterna, dum vos neglectis Jovae praeceptis Baales sectamini. 19. Jam vero mitte, ut ad me convocentur omnes Israëlitae ad monten Carmelum, ut et prophetae Baalis quadringenti et quinquaginta, et prophetae lucorum quadringenti, qui ab Isabele aluntur. 20. Igitur Ahabus omnes Israëlitas et *Baalis* prophetas ad montem Carmelum convocavit. 21. Hic Elias accessit, et universum populum sic est allocutus: Quousque divisi eritis duabus his opinionibus? Si Jova Deus est, hunc sequimini; sin Baal, huic adhaerete. Cum populus nihil responderet, 22. sic pergebat Elias: Ego solus Jovae propheta superstum, et prophetarum Baalis sunt quadringenti et quinquaginta. 23. Sed dentur nobis duo juvenci, quorum unum sibi eligant et disfectum lignis imponant, ignem vero non subjiciant. Alterum juvencum ego instruam, et lignis imponam igne non submoto. 24. Tunc vos invocate Deos vestros, et ego Jovam invocabo. Qui Deus igne demisso respondebit, hic Deus habeatur. Universus populus dixit: aequas esse conditiones. 25. Tunc Elias Baalis prophetas jussit eligere sibi alterum juvencum, et initium facere, quod plures eorum

rum essent, invocarent Deum suum, ignem tamen non adhiberent. 26. Illi igitur oblatum juvencum sumunt, sacrificium instruunt, et Baalem a mane ad meridiem invocant clamitantes: Baal, exaudi nos. Sed nulla vox audiebatur, nemo respondit. Saltabant quoque circa aram, quam fecerant. 27. Circa meridiem deridebat eos Elias, et dicebat: Clamate voce magna, nam Deus est, fortasse meditatur, aut aliud agit, aut in itinere est, fortasse dormit, igitur excitetur. 28. Tunc magna voce clamarunt, et inciderunt se pro more suo gladiis et lanceis, ut sanguis flueret. 29. Post meridiem violentis motibus se jactabant [a]) usque ad tempus oblationis *vespertinae*. Sed nulla vox audiebatur, nemo respondit, nemo attendit. 30. Hic Elias jussit universum populum ad se accedere. Quod cum fecissent, restauravit aram Jovae dirutam. 31. Deinde sumsit duodecim lapides pro numero tribuum filiorum Jacobi, (cui ipse Jova nomen Israëlis dederat) 32. quos in aram Jovae sacram exstruxit. Circum eam duxit fossam, ad spatium duorum satorum seminis, 33. tum ligna struxit, et cum juvencum dissectum eis imposuisset, 34. jussit quatuor amphoras aquae plenas super holocaustum et ligna effundere, idque iterum et tertia vice fieri jussit. 35. Hinc aqua aram circumfluxit et ipsam fossam implevit. 36. Jam cum tempus esset, quo sacrificium vespertinum offerri debebat, accessit Elias propheta, et dixit: O Jova, Deus Abrahami, Isaaci et Israëlis! fac, ut hodie innotescat, te esse Israëlitarum Deum, me vero tuum ministrum, meque ista omnia tuo

a) יִתְנַבְּאוּ; cf. 1 Sam. 18, 10.

tuo jussu facere. 37. Responde, Jova, responde, ut hic populus cognoscat, te Jovam Deum esse, et mentem ejus converte! 38. Tum ignis Jovae decidit, et consumsit holocaustum, ligna, lapides et terram, aquam quoque ex fossa lambit. 39. Quod cum omnes viderent, abjecerunt se in facies suas, clamantes: Jova Deus est, Jova Deus est. 40. Tunc Elias jussit, ut prehenderent Baalis sacerdotes, nec ullum eorum sinerent evadere. Quos comprehensos deduxit ad torrentem Kisonem, ibique jugulavit. 41. Deinde Ahabum monuit, ut cibum caperet, nam se audire jam pluviae strepitum. 42. Quod cum hic fecisset, ille ascendit verticem Carmeli, et corpore ad terram incurvato faciem inter genua posuit, 43. jussitque famulum suum versus mare prospicere. Ille ei renunciavit, se nihil videre. Postquam hoc septies fecerat, uti jussus fuerat, 44. septima vice retulit: se videre nubeculam instar volae humanae ascendere e mari. Abi, inquit Elia, dic Ahabo, ut equis currum jungat, ne a pluvia opprimatur. 45. Interim dum haec geruntur, coelum nigrescit nubibus et vento, et magna exstitit pluvia. Ahabus curru conscenso Jesreelem contendit. 46. Elias autem vi divina impulsus lateribus constrictis antevertit Ahabum currendo usque ad Jesreelem.

CA-

CAPUT XIX.

Iſabel audita caede ſacerdotum Baalis mortem minatur Eliae, qui in deſertum fugit, ubi cibo ab angelo recreatus jubetur ad montem Horebum ire 1—8. Ibi apparet ei Deus, et jubet eum reverti, et ungere Haſaëlem, regem Syrorum, Jehum, Iſraëlitarum regem, et Eliſam, prophetam, in munere ſuo ſucceſſorem. Huic quidem in ipſo reditu occurrit, eumque ad munus vocat 9—21.

1. Cum Ahabus Iſabelae narraſſet, quid Elias feciſſet, quomodo nempe *Baalis* ſacerdotes omnes ab eo eſſent jugulati, 2. miſit ei nuncium, qui ei diceret: nolle ſe habere Deos ſibi propitios, niſi ipſe cras eandem cum illis ſortem ſit habiturus. 3. Tunc ille, ſibi timens,[a]) ut ſuae ſaluti proſpiceret, profectus Berſebam Judaeae, ibique famulo ſuo relicto 4. ipſe in deſerto unius diei itinere progreſſus tandem ſub geniſta conſedit, ſibique mortem optavit: Jam ſatis eſt, inquiens, Jova, auſer hanc animam, non ego melior ſum meis majoribus. 5. Cum deinde ſub illa geniſta obdormiviſſet, excitavit eum angelus, juſſitque eum ſurgere et cibum capere. 6. Reſpexit et vidit prope caput ſuum panem recens coctum et ampullam aquae. Edit et bibit, et recubuit. 7. Tum iterum eum Jovae angelus excitavit, et juſſit, ut cibum caperet, quod longum iter ei eſſet ingrediendum. 8. Surrexit igitur, et cibo ſumto hujus vi iter quadraginta dierum totidemque noctium fecit ad montem Dei Horebum. 9. Quo cum veniſſet, et ſpeluncam eſſet ingreſſus, Jova eum al-

a) In textu recepto legitur וַיַּרְא *et vidit*. Sed *oi ó*, Syrus et Vulgatus legerunt וַיִּירָא *et timuit*. Sic quoque codex *Kennicotti* 614. et 110. a prima manu.

allocutus eſt et dixit: Quid hic agis, Elia? 10. Reſpondit: Ego tui ſtudio, Jova, Deus omnipotens, flagro, nam Iſraëlitae, relicto tuo foedere, aras tuas diruerunt, prophetas tuos gladio interfecerunt, ego ſolus relictus ſum, et mihi quoque inſidiantur. 11. Tum ille juſſit eum exire *e ſpelunca*, et in monte coram Jova conſiſtere. Et ecce, Jova transiit, praeceſſit eum ventus magnus et validus, disrumpens montes et confringens petras. Sed Jova non fuit in illo vento. Secutus eſt eum terrae motus, neque in hoc fuit Jova. 12. Hunc ignis excepit, nec in igne fuit Jova. Poſt ignem auditus eſt ſonus debilis et demiſſus. 13. Cum Elias hunc audiret, texit faciem ſuam pallio et egreſſus in introitu ſpeluncae ſubſtitit. Tunc ei vox eſt audita, quae diceret: Quid hic agis, Elia? 14. Reſpondit: Ego tui ſtudio, Jova, Deus omnipotens, ſum incenſus. Nam Iſraëlitae, neglecto tuo foedere, aras tuas deſtruxerunt, prophetas tuos gladio interfecerunt, ego ſolus relictus ſum, et mihi quoque inſidiantur. 15. Reſpondit ei Jova: Revertere ad ſolitudinem Damaſcenam, et unge Haſaëlem, regem Syrorum, 16. Jehum autem, Nimſaei filium, regem Iſraëlitarum, et Eliſam, Saphati filium, Abelmeholanum unge prophetam, qui tibi ſuccedat. 17. Futurum enim eſt, ut, qui evaſerit gladio Haſaëlis, hunc Jehu occidat, et qui Jehui gladio evaſerit, hunc Eliſa occidat. 18. Ego vero mihi inter Iſraëlitas ſervavi ſeptem hominum millia, qui omnes neque genua ſua flexerunt Baali, neque eum ſunt osculati. 19. *Elias* igitur illinc digreſſus incidit in Eliſam, Saphati filium, qui arabat. Una aderant duodecim paria boum.

Ipſe

Ipſe aratrum agebat duodecimum. In hunc praeteriens jecit pallium ſuum. 20. Tunc ille ſtatim bubus relictis ad eum properavit, et petiit, ut ſibi modo concederet, parentibus ſuis valedicere, poſthaec eum ſecuturo. Abi, inquit ille, ſed redi, memor, quid tibi fecerim. b) 21. Poſtquam ab eo disceſſerat, par boum mactavit, et carnem lignis aratri coctam distribuit inter populares ſuos. Quo facto Eliam ſecutus eſt, eique miniſtravit.

CAPUT XX.

Ahabus Benhadadum, Syriae regem, quem fruſtra muneribus placare ſtudet, ex promiſſione prophetae magna clade afficit 1—22., atque iterata ab illo expeditione denuo vincit, ſed capto regi parcit et pacem concedit 23—34., graviter propterea a propheta reprehenſius 35—43.

1. Benhadadus, rex Syriae, congregato omni exercitu ſuo, comitantibus eum regibus triginta duobus cum equitatu et curribus, expeditionem fecit in Samariam ad eam obſidendam et oppugnandam. 2. *Antea* tamen miſit legatos in urbem ad Ahabum, Iſraëlitarum regem, 3. qui ei dicerent: Benhadadum jubere, ut argentum, aurum, mulieres et liberos formoſos ei traderet. 4. Ad haec rex Iſraëlitarum reſpondit: ſe imperata facturum, ſua omnia in regis, domini ſui, eſſe poteſtate. 5. Sed redierunt legati cum hujusmodi man-

---

b) Verba textus כִּי מָה עָשִׂיתִי לָךְ obſcura ſunt, ſi interrogative vertuntur: *nam quid tibi feci?* Sed ſi affirmative accipiuntur, plana ſunt et contextui aptiſſima. Quod jam *Grotius* vidit, qui ſic explicat: cogita, ad quantum munus te vocarim.

mandatis a Benhadado ad Ahabum: quae de tradendo argento, auro, mulieribus et liberis ab eo postulasset, sic esse intelligenda: 6. cras se missurum esse homines suos, qui ejus palatium et ministrorum ejus aedes perquirerent, et optima quaeque secum auferrent. 7. Tunc rex Israëlitarum convocavit omnes ditionis *suae* primores, eisque considerandum et deliberandum proposuit, annon *rex Syriae* perniciem ipsius intenderet, cum non recusarit, ei mulieres, liberos, argentum et aurum tradere. 8. Illi unanimi consensu suaserunt, ne obtemperaret aut morem gereret. 9. Tunc Ahabus legatis Benhadadi respondit: Dicite regi, domino meo, omnia, quae primum mihi imperaverit, me facturum esse, in hoc autem me concedere non posse. Cum hoc legati retulissent, 10. iterum misit Benhadadus, et dici jussit: nolle se, Deos sibi esse propitios, si pulvis Samariae pugillis militum, quos adducere vellet, explendis sufficeret. [a]) 11. Respondit rex Israëlitarum: dicerent *domino suo*, ne triumphum canerent ante victoriam. [b]) 12. Quibus auditis Benhadadus, qui tum cum regibus in tentoriis compotabat, jussit, ut milites castra propius urbi admoverent. Quod igitur fecerunt. 13. Tum accessit propheta quidam ad Ahabum, regem Israëlitarum, eumque sic est allocutus: Hoc

a) Est hyperbolica descriptio ingentis exercitus, quocum Samariam velit expugnare, et sensus est: si milites singuli pugillum plenum pulveris Samariae auferrent, nihil de terra et oppido superfuturum, et ne quidem suffecturum.

b) Verba Hebraica sunt: *ne glorietur accinctus aeque ac discinctus*. Quam dictionem proverbialem cum alia simili permutavi.

Hoc Jova dixit: Vides ingentem istam multitudinem. Trado tibi eam, ut intelligas, me Jovam esse. 14. Per quem? quaerit Ahabus. Respondet: Per famulos praefectorum provinciarum, promittit Jova. Quis proelium incipiet? pergit ille; et hic: Tu ipse. 15. Recensitis igitur famulis praefectorum ducentis et triginta duobus, militum autem Israëliticorum septem millibus, 16. illi circa meridiem eruptionem fecerunt, Benhadado cum illis duobus et triginta regibus auxiliariis in tentoriis compotante. 17. Cum missi ab eo exploratores indicarent, egressos esse nonnullos ex Samaria, 18. jussit, ut eos vivos comprehenderent, sive pacis sive belli causa venirent. 19. Illi vero praefectorum famuli, quos exercitus sequebatur; 20. singuli singulos sibi obvios caedunt, et fugant Syros, Israëlitae eos persequuntur, et Benhadadus, Syrorum rex, equo vectus cum equitibus evadit. 21. Rex vero Israëlitarum concidit equitatum et currus, et magna clade Syros affecit. 22. Adiit eum deinde vates, et admonuit, ut sese confirmaret, et deliberaret, quid agendum esset, quoniam sequenti anno rex Syriae bellum esset redintegraturus. 23. *Atque ita etiam factum est.* Duces enim exercitus ei persuadent, Deos Israëlitarum Deos esse montanos, hinc eos sibi praevaluisse; sed si in locis campestribus cum eis pugnarent, haud dubie se victores futuros esse. 24. Propterea se suadere, ut omitteret reges illos *auxiliarios*, atque in eorum locum duces substitueret. 25. Deinde exercitum compararet ei, quem amisisset, parem, neque minus equitatum et currus, tunc velle se cum eis con-

congredi in planitie, neque ſe dubitare, quin ſuperiores ſint futuri. Obtemperavit *rex* his conſiliis. 26. Sequenti anno coëgit exercitum, quem Aphekam in expeditionem adverſus Iſraëlitas eduxit. 27. Hi quidem recenſitis ſuis copiis et commeatu inſtructi obviam eis profecti ſunt, ſed caſtra eorum exiguis caprarum gregibus ſimilia videbantur, cum Syri totam terram replerent. 28. Tum acceſſit vates ille ad regem Iſraëlitarum, eique nomine Jovae promiſit, quoniam Syri dixiſſent: Jovam eſſe montium tantum Deum, non vallium, propterea ſe velle totam illam multitudinem ejus manibus tradere, ex quo poſſent intelligere, ſe Jovam eſſe. 29. Poſtquam uterque exercitus in caſtris ſibi oppoſitis ſeptem dies ſeſe continuerat, ſeptimo tandem die proelium eſt commiſſum, in quo Iſraëlitae Syros profligarunt, et centum millia peditum uno die conciderunt. 30. Reliqui, numero ſeptem et viginti millia, in oppidum Aphekam confugerunt; a moenibus collapſis obruti. Benhadadus quoque oppidum ingreſſus, in conclavi interiori ſeſe *abdidit*. 31. Tunc aulici ejus ei demonſtrarunt: ſe audiviſſe, Iſraëlitarum reges eſſe benignos, velle ſe centonibus amicti et laqueis a capite pendentibus ad regem Iſraëlitarum egredi, fortaſſe vitam ei concederet. 32. Igitur illi eo habitu regem adierunt, et dixerunt: Servus tuus Benhadadus rogat, ut vitam ei dones. Reſpondit rex: Si vivit, frater meus eſt. 33. Tunc illi, ut explorarent, num ex animi ſententia hoc dixiſſet, reſponderunt: Frater tuus Benhadadus *vivit*. Adducite eum, inquit. Igitur Benhadadus egreſſus, et *ab Ahabo* curru exceptus, 34. ei

promisit, velle se oppida a suo patre ejus patri erepta restituere. Oppida quoque munita exstruere ei liceret contra Damascum, quemadmodum pater suus exstruxisset contra Samariam. Ego vero, *inquit Ahabus*, his pacis conditionibus te dimittam. Atque hoc foedere cum eo inito eum dimisit. — 35. Tunc prophetarum quidam Dei jussu ab alio postulavit, ut se feriret. Quod cum hic facere recusaret, 36. ille ei dixit: Quoniam voluntati divinae adversatus es, te, simulac a me discesseris, leo interficiet. Atque sic quoque evenit, nam ab eo digressus occurrit leoni, qui eum trucidabat. 37. Alium deinde nactus ab eo postulavit, ut se feriret. Hic vero eum percussit et sauciavit. 38. Tum ille constitit in via, qua rex venturus erat, et ligavit fascia [c]) oculos suos. 39. Cum rex praeteriret,

c) Verba textus וַיִּתְרַחֵשׁ בָּאֵפֶר עַל־עֵינָיו ex vulgari lectione et interpretatione *mutavit cinere oculos suos* non commodum sensum praebent. Quomodo enim cinerem oculis adsperserit ille propheta, ut agnosci non posset ab Ahabo, et quomodo faciem sic conspurcatam statim purgare potuerit, non satis apparet. Sed o, o et Chaldaeus haud dubie veram lectionem nobis servarunt. Illi quidem vertunt: *καὶ κατεδήσατο ἐν τραυμάτι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ*, *et ligavit fascia oculos suos*. Nempe legebant יִתְרַחֵשׁ בָּאֶסֶר, uti jam *Cappellus* conjectavit, (in crit. s. lib. IV. cap. IV. §. 12.). Quod quidem *Buxtorfius* negavit, sed argumentis parum firmis. Nam vocabulum אֶסֶר, quod in nostro loco legitur et ab interpretibus nonnullis per *cinerem* vertitur, qui tamen Hebraice אֵפֶר dicitur, confert cum סָאַר, quae investigandae significationis ratio ex litterarum transpositione a philologis recte improbatur. Chaldaeus interpres eandem lectionem exhibet, dum vertit וּכְרִיכָן בְּרִיעָרָא *involvit fasciae*. Tandem consilium quoque prophetae id ipsum videtur fuisse, cum se feriri pateretur, ut sic in

iret, eum his verbis inclamavit: Cum in aciem essem egressus, vir quidam adduxit ad me alium, quem mihi hac lege custodiendum tradidit, ut, si amissus esset, ego vel vitam meam pro ejus vita darem, aut talentum argenti solverem. 40. Cum vero huc et illuc dispicerem, [d]) ille amissus est. Respondit rex: Ipse sententiam in te dixisti. 41. Tum ille protinus fasciam ab oculis removit, et rex eum prophetarum aliquem esse agnovit. 42. Qui regem sic est allocutus: Hoc Jova dicit: Quoniam tu virum, quem devotioni addixeram, dimisisti, tu illius vitam tua vita redemisti, et tuus populus erit in locum alterius. 43. Tum rex tristis et indignabundus discessit, venitque Samariam.

CAPUT XXI.

Nabothus, quoniam vineam suam Ahabo vendere recusat, jussu Isabelae falso accusatur et supplicio afficitur 1—16. Elias propterea Ahabo et Isabelae severum Dei judicium minatur, quod tamen ad tempus differre Deus promittit signis quibusdam poenitentiae ab Ahabo editis permotus 17—27.

1. Postea Ahabus a Nabotho Jesreelensi, qui vineam prope palatium regis Jesreele possidebat, 2. peti-

---

in facie vulneratus obligare s. tegere posset vulnus. Alias nulla apparet ratio, cur illud fieri jusserit. Pulvere enim aut cinere conspergere faciem potuisset etiam sine vulnere.

d) Pro עֹשֶׂה *faciens*, cui sequentia הֵנָּה וְהֵנָּה *huc et illuc* parum conveniunt, legendum puto שֹׁעֶה. Sic οἱ ὁ: περιεβλέψατο. Item Syrus ܡܬܦܢܐ et Chaldaeus מִתְפְּנֵי *dispiciens*, et Vulgatus: *dum autem ego turbatus* (unde hoc addat, nescio) *huc illucque me verterem.*

tiit; ut sibi eam vineam venderet, velle se ex ea viridarium facere, quoniam suo palatio esset propinqua. Simul ei promisit vel aliam vineam illa meliorem, vel, si mallet, paratam pecuniam ex pretio. 3. At Nabothus negavit, se per religionem vendere posse regi fundum a majoribus acceptum. 4. Ahabus domum venit tristis et indignabundus, quod Nabothus recusarat, ei patrimonium suum vendere; in lecto decubuit, et aversо vultu cibum non sumsit. 5. Tum Isabela conjux eum invisit, et interrogavit, cur animo esset aegro et a cibis abstineret? 6. Respondit ei: se cum Nabotho Jesreelensi locutum esse, ut sibi venderet vineam suam, vel pro pecunia, vel, si magis placeret, accepta alia vinea, eum vero nolle vineam suam vendere. 7. Jam tu, inquit Isabela, pro auctoritate tua regia in Israëlitas agere potes. [a]) Surge, ede et bono animo esto, curabo, ut tua fiat vinea Nabothi. 8. Tum scripsit litteras nomine Ahabi, quas sigillo ejus obsignatas misit ad senatores et proceres oppidi, in quo Nabothus habitabat. 9. Sic vero scripserat: Indicite jejunium, et Nabothum in primo conventus loco collocate. 10. Subornate deinde duos homines perditos, qui contra eum testentur, quod Deo et regi maledixerit. Tunc educite eum, et lapidationis supplicio afficite. 11. Senatores et proceres istius oppidi, in quo Nabothus habitabat, fecerunt, sicuti Isabela ad eos scripserat. 12. Indicto jejunio Nabotho primum in conventu locum de-

de-

a) Alii ironice haec dicta volunt: Tu scilicet egregie administras regnum Israëliticum. Alii interrogative explicant: Nonne tu rex es Israëlitarum?

derunt. 13. Tum prodierunt duo homines perditi, qui eum coram omnibus accusarunt, quod Deo et regi maledixerit. Hinc eum ex oppido eductum lapidibus obruerunt. 14. Deinde miserunt ad Isabelam, eamque de morte Nabothi certiorem fecerunt. 15. Qua cognita, Isabela Ahabo dixit: Age, jam occupa vineam Nabothi Jesreelensis, quam tibi pecunia vendere renuit. Non amplius est in vivis, sed mortuus. 16. Ahabus, cum haec audiret, abiit ad occupandam illam Nabothi vineam. 17. Sed tunc Jova Eliam Tisbitam jussit 18. ei occurrere, 19. atque dicere: Hoc Jova fatur: Non satis tibi est, occidisse, etiam possessionem invadis? Eodem in loco, hoc Jova minatur, quo canes sanguinem Nabothi lamberunt, tuum quoque sanguinem lambent. 20. Tum Ahabus Eliae dixit: Jam iterum habes, quod in me reprehendere possis, tu, qui semper mihi inimicus es? Immo vero, inquit, habeo, quod tu temet ipsum addixisti ad Jovam offendendum. 21. Adducam in te mala, perdam tuos, eosque omnes exscindam, ubicunque inter Israëlitas lateant. 22. Efficiam, ut tua domus eadem experiatur, quae domus Jerobeami, filii Nebati, et Baësae, filii Ahijae, quod tu auctor fuisti Israëlitis, ut iram meam peccatis suis provocarent. 23. Isabelae autem haec Jova minatur: Canes Isabelam devorabunt in muro Jesreelis. 24. Qui de Ahabi familia in urbe morietur, hunc canes, et qui ruri, hunc aves rapaces consument. (25. Ac sane non similis fuit Ahabo, qui ad quaevis scelera patranda pronus erat, instigante eum Isabela conjuge. 26. Adeo turpiter se dedit, ut eadem idola coleret, quae Amo-

ri-

ritae coluerant, quos Jova ante Iſraëlitas ejecerat.) 27. Cum Ahabus iſtas comminationes audiret, veſtes ſuas laceravit, centonem induit, jejunavit, cubuit quoque in centone, et lente inceſſit. 28. Tunc Jova Eliae dixit: Videsne, quantopere Ahabus ſeſe mihi ſubmittat? Propterea quoque non adducam eo vivente hanc calamitatem in familiam ejus, ſed in ejus filium.

CAPUT XXII.

Ahabus bellum parat in Syros. Joſaphatus, belli ſocius, poſtulat, ut Jova antea conſulatur 1—8. Micha, verus Dei propheta, infelicem exitum praedicit, quanquam pſeudoprophetae Ahabi contrarium affirmant 9—28. Ahabus in proelio vulneratus moritur 29—40. Joſaphati laudes et mors. Ahabo Ahasja filius patri ſimilis ſuccedit 41—54.

1. Per tres annos bellum non fuerat inter Syros et Iſraëlitas. 2. Anno tertio, cum Joſaphatus, rex Judae, regem Iſraëlis conveniret, 3. hic ſuis declaravit: dubitari non poſſe, quin ipſorum ſit Ramotha Gileaditidis. Igitur non debere ſe diutius morari, ut eam Syris eriperent. 4. Simul Joſaphatum interrogavit, num vellet ſocius ſuus eſſe in hoc bello? Reſpondit ei Joſaphatus: ſe ſuosque milites et equos eandem fortunam eſſe experturos. 5. Attamen ſe ſuadere, ut antea Jovam conſuleret. 6. Igitur congregavit rex Iſraëlis prophetas fere quadringentos, atque ex eis quaeſivit: num deberet expeditionem facere contra Ramotham in Gileaditide, an ab ea abstinere? Reſponderunt: faceret, Deum traditurum eſſe *oppidum* regi. 7. Tum Joſaphatus dixit: An non praeter-

terea adeſt Jovae propheta, quem conſulere poſſimus? 8. Reſpondit rex Iſraëlis: Eſt quidem adhuc unus, quem de Jovae voluntate percontari licet, ſed ego eum odi, quoniam nunquam mihi fauſta, tantum infauſta vaticinatur. Hic eſt Micha, filius Jimlae. At Joſaphatus: Non decet regem ita loqui, inquit. 9. Tunc rex Iſraëlis vocavit aulicum quendam, cui mandavit, ut ſtatim Micham, filium Jimlae, arceſſeret. 10. Sedebant autem rex Iſraëlis et Joſaphatus, rex Judae, uterque in ſolio ſuo veſtibus pretioſis induti in area portae Samariae, et prophetae illi coram eis vaticinabantur. 11. E quibus Sedekias, filius Cenaanae, ſibi fecerat cornua ferrea et dixit: Hoc Jova fatur: His feries Syros, donec eos confeceris. 12. Similiter omnes illi prophetae divinabant: Aggredere Ramotham Gileaditidis, felix eris, Jova tibi eam tradet. 13. Nuntius autem, qui Micham arceſſitum iverat, hortabatur eum, ut, quoniam prophetae uno ore fauſta regi praedicerent, ipſe quoque idem faceret. 14. Reſpondit Micha: Per Jovam immortalem! quod Jova mihi dicet, eloquar. 15. Igitur cum ad regem veniſſet, rex ſic eum eſt allocutus: Micha, bellumne inferemus Ramothae Gileaditidis, an non? Reſpondit: Infer feliciter, tradet tibi eam Jova. 16. At rex: Iterum iterumque te obteſtor, ut non niſi verum mihi dicas nomine Jovae. 17. Tum Micha: Vidi, inquit, Iſraëlitas diſperſos per montes, uti oves, qui paſtorem non habent, et Jova dixit: Non habent illi dominos, domum revertantur incolumes. 18. Tum rex Iſraëlis Joſaphato: Nonne tibi dicebam, hunc nunquam fauſta, ſemper infauſta mihi praedicere?

19.

19. At Micha: Sane audi, quod tibi nomine Jovae dicam: Vidi Jovam ſedentem in throno ſuo, coeli miniſtris a dextra et ſiniſtra ſtipatum. 20. Quis pelliciet, inquit, Ahabum, ut Ramotham Gileaditicam aggrediatur ibique cadat? Atque alio aliud dicente 21. prodiit ſpiritus dixitque Jovae: Ego eum pelliciam. Per quem? inquit ille. 22. Egrediar, ajebat, et mendacia ſuggeram omnibus ejus prophetis. Tunc ille: Pellicies *eum*, ſuccedet tibi, age, perfice. 23. Scito igitur, falſa tibi vaticinari prophetas tuos omnes, Jova hoc concedente, qui malum in te decrevit. 24. Tum Sedekias, filius Cenaanae, colaphum inflixit Michae, et dixit: Quandonam ſpiritus Jovae a me disceſſit, ut per te loqueretur? 25. Reſpondit Micha: Videbis tunc, cum te in conclavibus interioribus occultabis. 26. Rex vero Iſraëlis juſſit Micham abduci ad Ammonem, oppido praefectum, et ad Joaſum Beamelechum, 27. qui eum carceri includerent, et panem et aquam tantum ad neceſſitatem praeberent, donec ſalvus redierit. 28. Si ſalvus redieris, inquit Micha, Jova per me non eſt locutus. Audite hoc omnes, ait. 29. Sic rex Iſraëlis et Joſaphatus, rex Judae, Ramotham in Gileaditide profecti ſunt. 30. Tunc ille huic dixit: Ego veſtes mutabo, [a]) dum in pugnam procedam, tu vero tuas veſtes in-

a) Pro imperativis וְבוֹא הִתְחַפֵּשׂ *muta tu veſtes et veni* legendum eſſe in prima perſona וָאָבוֹא אֶתְחַפֵּשׂ *ego mutabo veſtes et veniam*, contextus plane probat atque verſionum antiquarum teſtimoniis confirmatur. *Oi ó* habent: *συγκαλύψομαι καὶ εἰσελεύσομαι εἰς τὸν πόλεμον.* Syrus: ܐܬܚܦܫ et Chaldaeus: אֶשְׁתַּנֵּי *alium me ſimulabo et ingrediar bellum.* Vulgatus tan-

indue. Sic rex Iſraëlis veſtitu mutato proelio interfuit. 31. Rex autem Syriae praeceperat ducibus quadrigarum, quos triginta duos habebat, ne quem alium ſive parvum ſive magnum impeterent; niſi unum regem Iſraëlis. 32. Igitur cum quadrigarum duces Joſaphatum viderent, exiſtimabant, hunc eſſe regem Iſraëlis, [b]) atque arma in eum vertebant. Sed clamante Joſaphato 33. intellexerunt, eum non eſſe regem Iſraëlis, atque ab eo perſequendo deſtiterunt. 34. Tunc forte quidam arcum tendens regem Iſraëlis vulneravit inter commiſſuras loricae. Ille igitur juſſit aurigam currum reflectere et ſe ex proelio educere, quod vulneratus eſſet. 35. Cum autem eo die acrius pugnaretur, rex perſiſtere coactus eſt in curru adverſus Syros, et veſpere mortuus eſt ſanguine in cavum currus effuſo. 36. Sub occaſum ſolis in acie proclamatur, ut quisque in urbem et patriam ſuam revertatur. 37. Rex mortuus Samariam defertur ibique ſepelitur. 38. Cum currum et arma abluerent [c]) ad

---

tantum vertit: *Sume arma et ingredere proelium.* Fortaſſe legit הִתְחַמֵּשׁ. Sed quidquid legerit, ſenſus eſt ineptus. Miror, *Kennicottum* in nullo codice veram lectionem, quae a vulgari tantum una littera differt, inveniſſe. *)

*) Poteſt tamen lectio recepta defendi ex regula apud *Glaſſium* in philol. ſ. p. 290., ut ſint infinitivi, ad quos verbum finitum ſupplendum eſt.

b) Quod ex armis inſignioribus colligebant.

c) Verba textus וְהַזֹּנוֹת רָחָצוּ tantum *οἱ ὁ* ex vulgari lectione et ſignificatione vocis verterunt *καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο.* Sed omnino eorum verſio h. l. valde corrupta videtur. Vulgatus vertit: *et habenas laverunt.* Chaldaeus: *vaſa armorum laverunt.* Syrus ordinem verborum transponit: *cum laviſſent currum in locis editis Samariae, et arma ejus laviſſent, lin-*

ad piſcinam Samariae, linxerunt canes ejus ſanguinem, quod Jova futurum eſſe praedixerat. 39. De reliquis Ahabi rebus geſtis, de domo eburnea, quam aedificavit, et de oppidis, quae exſtruxit, ſcriptum exſtat in annalibus regum Iſraëliticorum. 40. Mortuo Ahabo ſucceſſit Ahasja, ejus filius. — 41. Joſaphatus, Aſae filius, rex Judae factus eſt anno quarto Ahabi, regis Iſraëlis. 42. Quintum et triceſimum aetatis ſuae annum agebat, cum regnum capeſſeret, quod viginti quinque annos Hieroſolymae tenuit. Mater ejus erat Aſuba, Silhaei filia. 43. Hic in omnibus Aſam, patrem ſuum, imitatus eſt, ut faceret, quae Jovae probarentur. 44. Tantum loca excelſa non ſublata ſunt, hinc populus in eis adhuc ſacrificabat et ſuffitum faciebat. 45. Pacem coluit cum rege Iſraëlis. 46. Reliquae res geſtae Joſaphati, ejus potentia, qua valuit, et bella litteris confignata ſunt in ephemeridibus regum Judae. 47. Reliquos cinaedos, qui ex temporibus Aſae, patris ſui, reſtabant, e terra ejecit. 48. Rex tum nullus fuit in Idumaea, tantum praefectus regis *Judae*. 49. Naves aedificarat Joſaphatus, quae Tarteſſum irent, ut aurum ex Ophire peterent. [d]) — 50.

---

linxerunt canes ejus ſanguinem ſecundum verbum Domini. Recte. Nam utique illa verba cum prioribus ſunt connectenda. Arabs ea prorſus omiſit. Explicandum eſſe vocabulum זֹנוֹת non de *ſcortis*, ſed de *armis* ex ſignificatione Chald. et Syr. זַיְנִין, jam a pluribus eſt obſervatum.

d) Secutus ſum *Hubigantium*, qui verſum 50. h. l. interferendum putat propter locum parallelum 2 Par. 20, 36., qui alias cum hoc noſtro nullo modo poteſt conciliari. Ex quo ſimul intelligitur, in verſ. 50. pro לֹא אָבָה *non voluit* legendum eſſe לוֹ אָבָה

50. Tunc Ahàsja, Ahabi filius, a Josaphato petierat, ut sui cum ejus servis navigarent, et hic quoque votis ejus annuerat. — (49.) Sed irritum fuit negotium, nam classis naufragium passa est Ezeongebere. 51. Mortuus est Josaphatus, et sepultus apud majores suos in urbe Davidis, patris sui. Successit ei Joramus filius. — 52. Regnum capessivit Ahasja, Ahabi filius, in Israëlitas Samariae anno septimo decimo Josaphati, regis Judae, sed duos tantum annos regnavit. 53. Jovam offendit vita sua. Mores enim imitatus est parentum suorum, et Jerobeami, filii Nebati, qui Israëlitas seduxit. 54. Baalem coluit eumque adoravit, et Jovam, Deum Israëlitarum, eodem prorsus modo, quo pater ejus, irritavit.

אָבָה *annuit ejus votis* Josaphatus. Tunc omnia in utroque loco optime cohaerent.

RE-

R E G U M

LIBER II.

CAPUT I.

Ahasja aegrotus de eventu morbi Baalem consulit. Eliae nuncii occurrit et mortem regi denunciat 1—8. Rex mittit pentecontarchum cum quinquaginta militibus ad capiendum prophetam, qui igne coelitus delapso consumitur, itemque alter a rege missus 9—12.; tertius precibus a propheta impetrat, ut regem conveniat, cui iterum mortem praedicit 13—18.

1. Post mortem Ahabi Moabitae ab Israëlitis defecerunt. — 2. Cum Ahasja per cancellos cubiculi sui delapsus Samariae aegrotaret, legatos misit, qui Baalsebubum, Deum Ekronensem, consulerent, num ex hoc morbo suo esset convaliturus? 3. Tum angelus Jovae jussit Eliam obviam ire legatis regis Samariae, eisque dicere: An nullus Deus est inter Israëlitas, ut vobis consulendus sit Baalsebub, Ekronitarum Deus? 4. Propterea hoc Jova dicit: Non surges e lecto, in quo decumbis, sed haud dubie morieris. Tunc ille discessit. 5. Legati autem redierunt ad Ahasjam, qui eos interrogavit, cur redirent? 6. Responderunt: Homo quidam nobis occurrebat, nosque jubebat ad te reverti et dicere: Hoc Jova fatur: An Deus non est inter Israëli-

elitas, ut tibi consulendus sit Baalsebub, Deus Ekronitarum? Propterea ex lecto, in quo decumbis, non surges, haud dubie morieris. 7. Tum *rex*: Quinam erat habitus, inquit, hominis illius, qui vobis occurrit atque ista dixit? 8. Veste hirsuta erat indutus, inquiebant, et cingulo pelliceo in lateribus constrictus. Hic fuit Elias Tisbita, inquit. 9. Et misit ad eum pentecontarchum cum quinquaginta militibus. Qui, cum ad eum ascendisset, sedebat enim in vertice montis, dixit: Vir divine, rex jubet, ut descendas. 10. Respondit Elias pentecontarcho: Si vir divinus sum, ignis coelo descendat, teque cum tuis quinquaginta consumat. Et ignis coelitus delapsus absumsit eum cum suis quinquaginta. 11. Tum *rex* iterum ad eum misit pentecontarchum cum quinquaginta militibus, qui eum sic est allocutus: Vir divine, rex jubet, ut propere descendas. 12. Si vir divinus sum, inquit Elias, ignis coelo descendat, teque cum tuis consumat. Et ignis coelitus delapsus absumsit eum et qui cum eo erant. 13. At *rex* tertium misit pentecontarchum cum quinquaginta militibus. Qui cum ad Eliam venisset, flexis genibus ei supplicavit et dixit: Parce, quaeso, vir divine, vitae meae et vitae horum quinquaginta. 14. Ignis quidem coelitus demissus absumsit duos priores pentecontarchos cum turmis suis, jam vero meae salutis rationem habeas. 15. Tum vero angelus Jovae Eliam admonuit, ut cum eo descenderet, nec sibi timeret. Igitur descendit et venit ad regem, 16. quem sic est allocutus: Hoc Jova dicit: Quoniam legatos misisti, qui Baalsebubum, Ekronitarum idolum, con-

ſulerent, quaſi inter Iſraëlitas Deus non eſſet, cujus oraculum percontarere, propterea e lecto, in quo decumbis, non ſurges, ſed haud dubie morieris. 17. Sic mortuus eſt, quemadmodum Jova per Eliam praedixerat. Succeſſit ei Joramus *frater*, quoniam filium non habebat, anno ſecundo Jorami, filii Joſaphati, regis Judae. 18. De reliquis Ahasjae rebus ſcriptum exſtat in annalibus regum Iſraëliticorum.

CAPUT II.

Elias in tempeſtate in coelum fertur 1—12. Eliſa ejus ſpiritu praeditus Jordano fiſſo transit et a prophetarum diſcipulis reverenter excipitur 13—18. Fontem aquae noxium ſalubrem reddit. Puerorum Bethelenſium deriſionem ulciſcitur 19—25.

1. Cum Jova in tempeſtate auferre in coelum Eliam vellet, hic cum Eliſa Gilgalem profectus 2. ei dixit: Mane, quaeſo, hic, nam Jova me Bethelem miſit. Reſpondit Eliſa: Per Jovam immortalem et per vitam tuam! non te relinquam. Igitur Bethelem iverunt. 3. Ibi prophetarum diſcipuli Eliſam interrogarunt, num ſciret, Jovam hodie ejus magiſtrum ei eſſe erepturum? Scio, inquit ille, tacete. 4. Tum Elias ei dixit: Mane, quaeſo, hic, nam Jova me miſit Hierichuntem. At hic reſpondit: Per Jovam immortalem et per vitam tuam! non te relinquam. Cum Hierichuntem veniſſent, 5. prophetarum diſcipuli, qui tunc ibi commorabantur, dixerunt Eliſae: Noſtine, Jovam hodie magiſtrum tuum tibi eſſe erepturum? Novi, inquit, ſed ſilete. 6. Tum porro Elias eum rogavit, ut ibi maneret, quod a Jova ad Jordanem miſſus eſſet, ſed ille rurſus per Jovam et vi-

vitam ejus jurans negavit, se eum esse relicturum. Sic ambo profecti sunt. 7. Quinquaginta autem e discipulis prophetarum e longinquo eos subsecuti sunt, cum ad Jordanum venissent. 8. Hic sumsit Elias pallium suum, eoque convoluto aquam percussit, quae statim hinc atque illinc divisa est, et ambo in sicco transierunt. 9. Quo facto Elias Elisae dixit: Pete, quid tibi facere debeam, antequam a te auferar. Respondit Elisa: Detur mihi duplex spiritus tui portio. 10. Rem sane magnam petiisti, inquit. Si me videris, dum tibi eripiar, fiet; sin minus, non fiet. 11. His ita ambulantibus et inter ambulandum colloquentibus currus igneus et equi ignei utrumque separarunt, et ascendit Elias in turbine in coelum, 12. vidente Elisa et clamante: Mi pater, mi pater! o Israëlitarum praesidium et tutamen! [a]) Et cum eum non amplius videret, prehendit vestes suas, easque in duas partes scidit. 13. Sublato deinde pallio Eliae, quod ab eo ceciderat, rediit et substitit ad ripam Jordani, 14. atque illo Eliae pallio percussit aquam. [b]) *Quae cum non divideretur,* di-

a) Hebr. *currus Israëlis et equites ejus.* Sed dictionem hanc esse proverbialem, neque Elisam alludere ad currus et equos igneos, quos videbat, uti multi interpretes existimant, plane apparet ex altero loco, qui legitur infra cap. 13, 14., in quo eadem verba leguntur, neque talis allusionis indicium est. Propterea sensum tantum hujus proverbii in versione indicavi.

b) Qui haec verba attente legit, facile ipse suspicari potest, aliquid deesse. Nam quae sequuntur verba: *ubi est Deus Eliae?* sunt hominis conquerentis, et repetita aquarum percussio indicat causam, ob quam conquestus erat Elisa, nempe aquam non esse divisam. Atque haec ipsa verba, quae contextus requirit, sup-

dixit: Ubi igitur eſt Jova, Deus Eliae? et cum *iterum* aquam percuteret, diviſa eſt hinc et illinc, et Eliſa transiit. 15. Viderunt eum ex adverſo diſcipuli prophetarum Hierichuntini, et dixerunt: Reſedit Eliae ſpiritus in Eliſa; eique obviam progreſſi ſubmiſſe honorem exhibuerunt. 16. Deinde ab eo petierunt, ut ſibi liceret, mittere quinquaginta viros, homines ſtrenuos, quos ſecum haberent, ad perveſtigandum ejus magiſtrum, ſi forte eum ſpiritus Jovae in montem aliquem aut vallem demiſerit. Sed noluit, eos mitti. 17. Cum vero pertinacius c) inſtarent, conceſſit. Miſſi igitur ſunt quinquaginta illi viri, qui, poſtquam Eliam per triduum inveſtigarant, nec invenerant, 18. redierunt ad Eliſam, qui *adhuc* Hierichunte commorabatur. Nonne vobis disſuaſeram, inquit, ut mitteretis? — 19. Tunc oppidani ei demonſtrarunt, ſitum oppidi commodum quidem eſſe, uti ipſe videret, ſed aquam eſſe noxiam, et terram ſterilem. 20. Tunc juſſit ſibi afferri patinam novam, et in ea ſal poni. Quae cum eſſent allata, 21. exiit ad fontem illius aquae et abjecit in eum ſal, et dixit: Hoc Jova fatur: Salubrem reddo hanc aquam, nec ſit ea deinceps noxia aut lethifera. 22. Atque ex hoc Eliſae effato ad

ſupplet Vulgatus, qui habet: *percuſſit aquas, et non ſunt diviſae.* Eadem habent *οἱ ὁ* in editione Complutenſi: *καὶ οὐ διηρέθη.* Illud אַף־הוּא, in quo iidem interpretes haeſerunt, dum vocem Hebr. retinuerunt *ἄφφω*, jungo, nam ſane commodam non admittit explicationem, cum אֱלִיָּהוּ, et lego אֲפוֹא, quod interdum idem eſt, quod *igitur*, ut cap. 10, 10. Cf. *Hubigantius.*

c) עַד־בֹּשׁ non eſt a בּוֹשׁ *pudere*, ſed a בשש *morari.* Sic Jud 35, 2. et infra cap. 8, 11.

ad hunc usque diem aqua illa est salubris. — 23. Hinc Bethelem profectus est. Cum in via ad oppidum ascenderet, pueri parvi ex oppido eum deridebant, Ascende, calve, ascende, calve, dictitantes. 24. Ad quos conversus eis imprecatus est per Jovam. Et prodierunt ex silva duae ursae, quae quadraginta duo horum puerorum lacerarunt. 25. Hinc ad montem Carmelum contendit, unde Samariam est reversus.

CAPUT III.

Joramus, rex Israëlis, bellum infert Moabitis, qui ab eo defecerant, una cum Josaphato, rege Judae, belli socio 1—8. In deserto aqua laborant, qua inopia levantur singulari Dei beneficio per Elisam impetrato 9—20. Bellum contra Moabitas feliciter gerunt tota eorum terra vastata. Sed regem Moabitarum obsidentes horrendo ejus sacrificio commoti domum revertuntur 21—27.

1. Joramus, Ahabi filius, regnum in Israëlitas capessivit Samariae anno duodevicesimo Josaphati, regis Judae, annosque duodecim regnavit. 2. Jovam offendit, minus tamen quam ejus parentes, sustulit enim statuam Baalis a patre suo factam. 3. At institutis pessimis Jerobeami, Nebati filii, qui Israëlitas seduxerat, adhaesit, ab illis non recessit. 4. Mesa, rex Moabitarum, qui rem pecuariam colebat, regi Israëlitarum *quotannis* pendebat centena millia agnorum, totidemque vervecum [a]) lanatorum. 5. Sed post mortem Ahabi ab Israëlitis defecerat. 6. Propterea

a) אֵילִים h. l. sunt *verveces*, quod tot *arietes* in gregibus ali non solent. *Clericus.*

rex Joramus Samaria profectus delectum habuit omnium Iſraëlitarum, 7. miſitque *legatos* ad Joſaphatum regem, qui ei indicarent: regem Moabitarum a ſe defeciſſe, et rogarent, num belli ſocius eſſe vellet contra eos? Ille reſpondit, velle ſe, atque ipſum cum peditatu et equitatu ſuo eum, uti luberet, eſſe adjuturum. 8. Simul quaeſivit, qua via proficiſci vellet, et ille reſpondit: Per deſertum Moabiticum. 9. Poſtquam reges Iſraëlis, Judae et Idumaeae ſeptem dierum iter confecerant, milites et jumenta aqua deſtituebantur. 10. Tunc rex Iſraëlis dixit: Eheu! Jova decrevit, hos tres reges tradere Moabitis. [b]) 11. At Joſaphatus interrogavit, annon propheta hic eſſet, per quem Jovam poſſent conſulere. Reſpondit unus ex ſervis regis Iſraëlitici: Eſt hic Eliſa, Saphati filius, qui Eliae [c]) miniſtravit. 12. Jova per hunc loquitur, inquit Joſaphatus. Igitur iverunt ad eum rex Iſraëlis, Joſaphatus et rex Idumaeae. 13. Tum Eliſa regem Iſraëlis ſic eſt allocutus: Quid tibi mecum rei eſt? Abi ad prophetas patris tui et ad prophetas matris tuae. Reſpondit ei rex Iſraëlis: Non, ſed Jova decrevit, hos tres reges tradere Moabitis. 14. Ad haec Eliſa: Per Jovam immortalem, cujus miniſter ego ſum! niſi ego Joſaphati, regis Judae, rationem haberem, te ne adſpectu quidem dignarer. 15. Jam vero arceſſatur fidicen. Atque eo fidibus canente, divino impulſu conci-

b) His verbis Joramus videtur indicare, Jovam eſſe auctorem hujus mali, atque eum quoque tantum poſſe auxilium praeſtare; cf. v. 13.

c) Hebr. *qui fudit aquam in manus Eliae.*

citatus 16. dixit: Jova jubet, ut in hac valle foſſas complures faciatis. 17. Quanquam enim, hoc Jova promittit, nec ventum nec pluviam videtis, tamen haec vallis aqua complebitur, ut habeatis, quod cum vos, tum pecora et jumenta veſtra bibant. 18. Atque hoc quidem leve eſt Jovae, tradet vobis praeterea Moabitas. 19. Oppida eorum munita expugnabitis, alia elegantiora, ut et arbores frugiferas dejicietis, fontes obſtruetis et agros fertiles lapidibus obruetis. 20. Poſtridie, cum fertum offerri ſolet, tanta aquarum copia inde ab Idumaea veniebat, ut terram impleret. 21. Moabitae autem de regum adventu certiores facti cum juniores tum ſeniores [d]) ad arma convocarunt et in finibus *terrae ſuae* conſtiterunt. 22. Mane, cum ſol ſuper aqua ſplenderet, videbatur eis aqua inſtar ſanguinis rubere. 23. Tum dixerunt: Sanguis hic eſt. Semet ipſos reges hi deſtruxerunt, gladio ſe mutuo occiderunt; jam ad praedam, Moabitae! 24. Sed cum caſtra Iſraëlitarum invaderent, hi illos conciderunt et in fugam verterunt. Irruperunt in eorum terram [e]) eam-

---

d) Hebr. *ab omni cingente cingulum et deſuper*; cf. Num. 1, 20.

e) Lectio textualis eſt וַיָּבֹ בָהּ (littera א deficiente ut 1 Reg. 12, 12.) *et venit* ſc. Iſraël *in eam*, nempe *in terram Moabiticam*, niſi potius legendum eſt וַיָּבֹאוּ. Pluralem enim expreſſerunt verſiones antiquae. Nimirum *οἱ ὁ*: *καὶ εἰςῆλθον εἰςπορευόμενοι*, qui pro בָהּ legiſſe videntur בֹּא; Vulgatus: *venerunt igitur, qui vicerant, et percuſſerunt Moab*; Syrus: ܘܥܠܘ ܒܗܘܢ *ingreſſi ſunt in eos*. Unus Chaldaeus habet lectionem marginalem ſ. Keri וַיַּכּוּ *et percuſſerunt*. Quae tamen oppido falſa eſt, quanquam *Kennicottus* eam in compluribus codd.

eamque destruxerunt, 25. vastantes oppida, et agros optimos congestis in eos lapidibus obruentes, aquarum fontes obstruentes et arbores frugiferas dejicientes, donec tandem lapides Kirharesetb [f]) reliqui essent, quod oppidum cinxerunt funditores et oppugnare coeperunt. 26. Rex Moabitarum, qui videbat, se oppugnationem sustinere non posse, cum septingentis militibus perrumpere ad regem Edomitarum tentavit. Sed cum non posset, 27. sumsit filium suum primogenitum, regni heredem, eumque in muro immolavit. Cujus facti atrocitate Israëlitae commoti oppugnationem solverunt et in terram suam redierunt.

CAPUT IV.

Elisa viduae pauperi oleum miraculose auget, quo debita sua solvat 1—7. Mulieri Sunamithidi filium promittit, quem mortuum in vitam revocat 8—37. Cucurbitas agrestes reddit innocuas 38—41. Viginti panibus centum homines cibat 42—44.

1. Mulier quaedam de discipulis prophetarum Elisam implorans ei demonstrat, mortuo marito suo, quem sciret hominem pium fuisse, creditorem velle duos suos filios in servitutem abducere. 2. Elisa eam interrogat: quid velit sibi ab ipso fieri, quid domi habeat? Respondet illa: nihil omnino praeter ampullam olei. 3. Tum ille jubet eam petere a vicinis suis vasa va-

codd. invenit. Nam de clade et fuga Moabitarum modo dictum est. Jam sequitur de invasione Israëlitarum in terram Moabiticam et ejus vastatione.

f) Est dictio hyperbolica. Nomen oppidi legitur quoque Jes. 16, 7. 11.

vacua, eaque non pauca, 4. deinde, foribus post se filiosque suos conclusis, transfundere in vasa illa, et impleta seponere. 5. Mulier ab eo digressa includit se cum filiis suis, qui ei *vasa* porrigebant, ipsa vero infundebat. 6. Vasis repletis jubet, ut filius plura praebeat; ille vero negat, plura adesse, et sic olei *fluxus* substitit. 7. Tum illa venit ad prophetam, et *quid factum sit* renunciat. Ille jubet eam oleum vendere, aes alienum solvere, et ex reliquo cum filiis suis vivere. — 8. Aliquando Elisa profectus est Sunemam. Ibi retinuit eum mulier quaedam dives ad cibum capiendum. Quoties deinde per illum locum iter faciebat, eo consilio ibi divertit. 9. Tum illa marito suo demonstrat, se plane persuasam esse, prophetam illum, qui suo hospitio semper utatur, virum esse sanctum. 10. Paremus, quaeso, inquit, conclave parvum in muro, [a]) quod lecto, mensa, sella et candelabro instruamus, quo, quando ad nos venerit, diversetur. — 11. Aliquando, cum illuc venit et in conclavi illo divertit, 12. jubet Gehasum, famulum suum, vocare illam Sunamithidem. Cum venit, 13. jubet, ut ei dicat, cum tam sollicitam pro se curam gerat, an aliqua ratione ei prodesse possit, habeatne aliquod negotium apud regem aut apud ducem exercitus? Illa vero respondet, se inter populares suos habitare. [b])

14.

---

a) עֲלִיָּה est pars quaedam domus orientalis separata a reliquis ejus partibus, ad quam scala ascenditur huic ipsi עלית propria. Propterea h. l. videtur additum esse קיר, cum alias simpliciter עלית vocetur; vid. *Sluiw* in itinerar. p. 188. vers. Germ. et *Faber* in archaeol. Hebr. p. 441.

b) Procul ab aula aulaeque negotiis. *Clericus*.

14. Qua igitur ratione, interrogat Elisa Gehasum, commodare ei possumus? Filium non habet, inquit Gehasus, et maritus ejus jam senex est. 15. Tum jubet eam vocare. Illa evocata ante fores substitit, 16. et hic eam sic alloquitur: Tu anno vertente hoc ipso tempore filium amplexaberis. Noli, inquit illa, mi domine, noli mihi imponere. 17. At mulier gravida facta peperit filium anno sequenti, eo ipso tempore, quod Elisa praedixerat. 18. Hic puer, cum jam adolevit, aliquando patrem suum convenit apud messores, 19. et de capitis doloribus conqueritur. Pater jubet famulum reducere eum ad matrem. 20. Ad quam cum rediit et in gremio ejus ad meridiem usque sedit, moritur. 21. Tunc illa *ad conclave* prophetae ascendit, puerum in ejus lecto deponit, et janua post eum clausa egreditur, 22. maritum vero suum rogat, ut sibi mittat servum et asinam, velle se propere prophetam invisere et *mox* reverti. 23. Quaerenti illi, cur hodie eum velit convenire, cum neque novilunium neque sabbatum sit, respondet: Bene habet. 24. Asina instrata dicit servo: Age jam, nec me morare in vehendo, nisi tibi dixero. 25. Sic illa contendit in montem Carmelum ad prophetam, qui, cum eam e longinquo videt, famulo suo Gehaso dicit: En! Sunamithis venit. 26. Occurre ei et interroga eam, num ipsa valeat, num maritus ejus, num puer? Valent, inquit illa. 27. Sed cum ad prophetam in montem venit, prehendit pedes ejus. [c]) Accedit Gehasus ad eam arcendam. Sed propheta: Sine eam, inquit, nam animo aegra est, et Jova me rem cella-

c) Sc. postquam se ad pedes prophetae abjecerat.

lavit, neque mihi indicavit. 28. Tunc illa: Num petieram a te, inquit, filium, mi domine; nonne, ne me falleres, rogabam? 29. Hic Gehaſo *Eliſa* dicit: Accinge te et ſume baculum meum tecum, et abi. Si quem offenderis, eum ne ſalutes, et ſi quis te ſalutat, huic ne reſpondeas, baculum autem meum impone faciei pueri. 30. At mater pueri reſpondet: Per Jovam immortalem et per vitam tuam! te non relinquam. Igitur ille ſurgit eamque ſequitur. 31. Gehaſus eos praeceſſerat et impoſuerat baculum faciei pueri. Sed cum nulla vox, nullus ſenſus *prodeat*, redit illi obviam et renunciat, puerum non excitari. 32. Tum Eliſa domum ingreſſus invenit puerum mortuum, jacentem in lecto ſuo. 33. Se cum illo includit et Jovam precatur, 34. *quo facto* incumbit puero, ita ut os ori, oculos oculis, manus manibus imponat, et ſic ſe pronum ſuper puero expandat, ut ejus corpus incaleſcat. 35. Deinde, poſtquam per aedes ultro citroque obambulavit, iterum aſcendit et ſe ſuper puero expandit. Tunc hic ſepties ſternutat et oculos aperit. 36. Quo facto Gehaſum vocat, jubetque, ut Sunamithidem arceſſat. Quae cum veniſſet, dixit ei: Recipe filium tuum. 37. Tum illa ei ad pedes concidit, ſubmiſſe gratias agit et cum filio ſuo discedit. — 38. Deinde Eliſa Gilgalem revertit, ubi tunc fame laborabant. Aderant prophetarum diſcipuli, igitur jubebat famulum ſuum *igni* apponere ollam magnam et coquere pultem pro eis. 39. Egreſſus fuerat aliquis in agrum ad colligenda olera, et invenerat vitem agreſtem, [d]) et collegerat ex eo cucurbitas agreſtes,

d) Sic vocatur, quoniam folia ejus ad vitis ſimilitudinem accedunt; fructus vero ſunt ſaporis amariſſimi. *Celſius* in hierob. p. I. p. 393.

ſtes, quantum ejus veſtis capiebat, et reverſus *eas* diſſectas *conjicit* in ollam, neſciebant enim, quid eſſet. 40. Effuderunt deinde viris ad edendum. Sed cum pulmentum illud guſtarent, exclamarunt: Mors in olla, o vates! 41. Tum hic juſſit farinam ollae injicere. Quo facto iterum juſſit *pulmentum* pro populo effundere. Tunc comederunt, nec quidquam noxium fuit in olla.— 42. *Aliquando* vir quidam venerat ex Baalſaliſa, et obtulerat prophetae panes primitiarum hordeaceos viginti et ſpicas virides in glumis ſuis. Jubet ille famulum ſuum ea his, qui aderant, comedenda praebere. 43. Reſpondet famulus: Quid iſta porrigam centum hominibus? Sed ille: Appone, inquit, ut comedant. Haec enim Jova promittit: Comedent, et reliqua erunt. 44. Sic ille appoſuit et comederunt, et reliqua fuerunt, ut Jova promiſerat.

CAPUT V.

Naaman Syrus lepra affectus ſanatur ab ea, poſtquam ſepties ſe in Jordano ex praeſcripto Eliſae abluit 1—19. Gehaſus ab eo, inſcio Eliſa, munus rogat et impetrat, lepra propterea punitur 20—27.

1. Naaman, dux exercitus regis Syriae, vir magnae auctoritatis et dignitatis apud dominum ſuum, (nam Jova per eum victoriam Syris dederat) fortis ille quidem, ſed leproſus erat. 2. Aliquando Syri irruptionem fecerant in terram Iſraëliticam, atque ex ea captivam abduxerant puellam, quae uxori Naamanis ſerviens 3. dixit *huic* herae ſuae: Utinam dominus meus adire poſſet prophetam, qui Samariae eſt, is haud dubie

bie eum a lepra ſanaret. 4. *Naaman regi*, domino ſuo, narravit, quae puella illa Iſraëlitica dixiſſet. 5. Rex Syriae juſſit eum proficiſci et litteras ſe daturum ad regem Iſraëlis promiſit. Ille igitur iter ingreſſus eſt ſecum ferens decem talenta argenti, ſex millia *ſiclorum* aureorum et decem veſtes novas. 6. Obtulit regi Iſraëlitarum litteras hujus argumenti: Simulac hae litterae ad te venerint, Naamanem, miniſtrum meum, quem ad te mitto, a lepra ejus ſanato. 7. Poſtquam rex Iſraëlis has litteras legerat, laceravit veſtes ſuas et dixit: Num Deus ego ſum, qui poſſim occidere et in vitam revocare, ut ille mittat ad me hominem, quem a lepra ſanem? Sed jam cognoſcite et videte, eum tantum occaſionem in me captare. 8. Cum Eliſa propheta audiret, regem Iſraëlis ſcidiſſe veſtes ſuas, per nuntium ei indicavit, non eſſe, cur veſtes ſcinderet, veniret homo ille ad ſe, eum intellecturum, prophetam eſſe in Iſraële. 9. Venit igitur Naaman cum equis, et curru ſuo *vectus* ante fores aedium Eliſae ſubſtitit. 10. Sed Eliſa miſit ad eum nuntium, qui ei diceret: abiret et ablueret ſe ſepties in Jordano, tunc carnem ejus reſtitutum et mundatum iri. 11. Hic Naaman ira commotus disceſſit et dixit: Equidem arbitrabar, eum exiturum et Jovam, Deum ſuum, invocaturum, et manu loco infecto admota lepram eſſe ablaturum. 12. Nonne Abana et Parpar, Damaſci flumina, praeſtant omnibus Iſraëlitarum aquis? Nonne in illis poſſem me abluere et mundari? Poſtquam ſic iratus disceſſerat, 13. veniebant ad eum ſtipatores ejus et dicebant: Nonne, domine, ſi rem magnam tibi propheta juſſiſſet, eam ſa-

cturus fuiſſes? Quanto magis, cum jubet, ut te laves et munderis? 14. Annuit eorum votis, abiit et immerſit ſe ſepties Jordano, uti propheta juſſerat. Quo facto reſtituta ei carnis mundities inſtar pueri parvi. 15. Tunc ille rediit ad prophetam cum omni comitatu ſuo, atque cum eum conveniret, dixit: Jam quidem ego plane perſuaſus ſum, non eſſe alium *verum* Deum in toto terrarum orbe, niſi inter Iſraëlitas. Rogo igitur, ut a me munus accipias. 16. Sed *Eliſa* jurejurando per Jovam, cui ſerviret, negavit, ſe aliquid eſſe accepturum, et quamquam ille inſtabat, tamen recuſavit. 17. Tunc Naaman: Rogo igitur, inquit, ut mihi detur terrae onus tantum, quantum duo muli ferre poſſunt. Etenim non amplius holocauſta aut ſacrificia faciam aliis Diis, ſed tantum Jovae. 18. Hoc vero mihi Jova condonabit, quod, cum dominus meus templum Rimmonis adorandi gratia ingreditur, meaeque manui innititur, me in templo Rimmonis inclinem. Hanc inclinationem mihi Jova ignoſcet, quae ibi a me hac de cauſa fiet. 19. Reſpondit ei Eliſa: Abi in pace. Cum ille circiter milliare progreſſus eſſet, 20. coepit Gehaſus ſic ſecum loqui: En! noluit dominus meus a Naamane, Syro iſto, munera oblata accipere. Per Jovam immortalem! ego eum curſu conſequar et ab eo aliquid accipiam. 21. Igitur eum currendo ſubſequitur. Quod cum Naaman videret, deſiliit e curru eique obviam properat, et quaerit, num ſalva res ſit? 22. Salva, inquit ille, ſed mittit me dominus meus, ut tibi indicem, veniſſe ad eum duos prophetarum diſcipulos e montibus Ephraimiticis, *teque rogem*, velis eis donare

ta-

talentum argenti duasque veſtes novas. 23. Immo vero, inquit Naaman, placeat tibi, dari duo talenta, et coëgit eum, duo argenti talenta duobus loculis illigata duasque veſtes novas accipere, quae duobus ſervis tradit, ut ea illi ferant. 24. Cum ad clivum venerunt, accipit omnia ab eis et domi recondit. Hominibus illis dimiſſis 25. venit ad dominum ſuum. Undenam, Gehaſi? quaerit ille. Ego quidem nusquam fui, reſpondet Gehaſus. 26. At ille: Quaſi ego non animo praeſens fuiſſem, cum vir ille e curru ſuo tibi obviam veniebat. Num hoc tempus erat accipiendi argentum et veſtes, aut de *acquirendis* oleis, vineis, pecore et armento, ſervis et ancillis *cogitandi*? 27. Lepra Naamanis tibi poſterisque tuis inhaerebit perpetuò. Tunc disceſſit ab eo lepra affectus *candicans* inſtar nivis.

CAPUT VI.

Ferrum ſecuris, quod in aquam deciderat, Eliſa natare facit 1—8. Conſilia Syrorum bellum cum Iſraëlitis gerentium regi indicat. Miſſos ab illis ad eum capiendum Samariam ducit, unde tamen ſalvi et incolumes dimittuntur 9—23. Samariae ex obſidione dira fame laboratur. Cujus mali cauſam rex Eliſae imputat eique mortem minatur 24—33.

1. Prophetarum diſcipuli petierunt *aliquando* ab Eliſa, ut, quoniam locus, in quo apud eum habitarent, ſibi eſſet anguſtior, 2. permitteret, ut ad Jordanum irent, et inde trabes afferrent, ex quibus ſibi domicilia conſtruerent. Cum hoc eis concederet, 3. rogavit eum quidam, ut ipſe cum eis ire vellet. Non recuſavit. 4. Ivit cum illis. Cum ad Jordanum veniſ-

niſſent, et arbores caederent, 5. accidit, ut cujusdam, qui trabem caedebat, ferrum *ſecuris* in aquam decideret. Eheu! mi domine, clamabat ille, *perdidi*, quod commodatum fuit. 6. Interrogavit propheta, quo decidiſſet. Loco monſtrato lignum ſecuit atque eo abjecit, et ſic fecit, ut ferrum nataret, 7. ille vero porrecta manu ferrum prehendit. — 8. Rex Syriae bellum gerens contra Iſraëlitas conſilium ceperat cum ducibus ſuis de inſidiis certo quodam loco collocandis. 9. Tum propheta miſit ad regem Iſraëlis, eumque monuit, ut ſibi caveret, quo minus in illum locum veniret, [a]) quod Syri inſidias ibi ſtruxiſſent. 10. Itaque rex Iſraëlis ad illum locum, quem ſibi propheta indicarat, et de quo eum monuerat, adhibita circumſpectione miſit, idque iterum iterumque factum eſt. 11. Qua re animo commotus rex Syriae convocavit duces ſuos, eosque interrogavit, an ſcirent, quis conſilia ſua omnia proderet Iſraëlitarum regi. 12. Reſpondit unus ex illis: Non ita eſt, domine rex, ſed Eliſa propheta, qui eſt apud Iſraëlitas, indicat regi Iſraëlitarum, quae tu in conclavi tuo loqueris. 13. Juſſit, ut explorarent, ubi eſſet, ſe miſſurum eſſe, qui eum caperent. Poſtquam indicatum eſt, eum eſſe Dothane, 14. miſit eo equites et currus, multosque pedites, qui noctu oppidum cinxerunt. 15. Mane, ubi famulus prophetae ſurrexit et egreſſus eſt, vidit, copias militares, equos et currus, oppidum circumveniſſe. Tunc ille exclamavit: Eheu! mi domine, quid faciemus? 16. At hic: Noli metuere, inquit, nam plu-

a) Sc. ſecure, nihil mali timens.

ures sunt, qui nos, quam qui illos defendunt. 17. Si-
ul precatus est Elisa ad Jovam: Aperi, quaeso, ocu-
s ejus, ut videat. Et aperuit Jova famulo oculos,
videret montem equis et curribus igneis plenum
cum Elisam. 18. Cum deinde *hostes* ad eum veni-
nt, Deum rogavit, ut eis caecitatem immitteret.
stquam hoc ad preces Elisae factum erat, 19. hic
dixit: Non haec via est, *quam quaeritis*, neque
c oppidum; me sequimini, ducam vos ad hominem,
em vultis. Sic duxit eos Samariam. 20. Quo cum
nissent, Elisa iterum Jovam precatus est, ut oculos
aperiret. Et patefactis a Jova eorum oculis anim-
verterunt, se Samariae esse. 21. Tunc rex Israëlis,
m eos videret, Elisae dixit: Concidamne, mi pater?
. At hic respondit: Non concides. Num, quos in
llo captivos fecisti, concidere soles? b) Appone eis
ium et potum, ut saturati redeant ad dominum su-
n. 23. Igitur eis paravit lautum convivium, quo
mto eos dimisit. Neque deinceps ausi sunt Syri ir-
ptiones facere in terram Israëliticam. — 24. Postea
nhadadus, rex Syriae, coactis copiis suis omnibus
gressus est Samariam eamque oppugnavit. 25. Qua
pugnatione tanta fames orta est in urbe, ut caput
ni octoginta, et quarta pars cabi cicerum c) quinque
siclis

b) Sensus est: cum captivis tuis soleas ignoscere, multo magis his, quos non cepisti, ut ignoscas, aequum est. Sic *Clericus* h. l. explicavit.

c) De hoc loco, in cujus explicatione viri docti valde laborarunt, fuse egit *Bochartus* in hieroz. p. II. lib. I. cap. 7. p. 88., ubi probavit, דְּרֵי יוֹנִים *stercus columbarum* esse *ciceris* quoddam

ficlis argenteis venderetur. 26. Tunc, cum rex Israëlis ad murum iret, clamavit ad eum mulier: Serva me, domine rex. 27. Ni Jova te servat, inquit ille, unde ego te potero servare, num ex area, an e torcularі? [d]) 28. Sed quid habes? pergebat rex. Tum illa infit: Mulier haec rogabat me, ut filium meum comedendum darem, velle se, ut sequenti die idem fieret suo filio. 29. Igitur coximus et comedimus filium meum. Postridie, cum postularem, ut filium suum comedendum traderet, eum abscondit. 30. Cum rex haec audiret, vestes suas laceravit et perrexit ad murum. Omnes autem videbant eum in ipsa carne centone esse amictum. 31. *Deinde* vero dixit: Deus me puniat, nisi Elisae, Saphati filio, hoc ipso die caput praecidi jussero. [e]) 32. Elisa vero sedebat domi suae et senatores apud eum erant, cum rex aliquem mitteret, *qui supplicium ab eo sumeret.* Antequam vero ille nuncius veniret, dixit ille senatoribus: Scitote, istum homicidae filium [f]) mittere aliquem, qui capite me plectat. Cum venerit, fores claudite, et a janua eum prohibete. Audio jam ejus dominum subsequentem. 33. Adhuc cum eis colloquente venit nuncius, et *rex, qui eum secutus fuerat,* [g]) di-

dam genus, quod apud Arabes Usnen eodem nomine vocetur, et in Judaea magna copia provenerit, et tostum inprimis pro cibo fuerit.

d) H. e. cibo an potu.

e) Elisa haud dubie dissuaserat regi deditionem urbis, et auxilium divinum promiserat. Quod cum nimis diu differretur, rex impius tantam in prophetam iram concepit.

f) Joramus, Ahabi filius.

g) Haec supplenda esse, et regem, quem fortasse jussi sui poenitebat, nuncium illum, quem miserat, esse subsecutum, apparet par-

ixit: Cum tanta calamitas nobis a Deo sit immissa, uid amplius ab eo exspectem?

CAPUT VII.

Elisa in diem crastinum promittit magnam rerum omnium copiam et abundantiam, de quo tribunus quidam regius dubitat 1—2. Quatuor leprosi castra Syrorum deserta inveniunt. Perterriti enim Syri vano timore divinitus immisso aufugerant 3—9. Quod cum leprosi in urbem renunciant, omnes ad castra diripienda erumpunt. Inde subito magna annonae caritas in abundantiam mutatur, spectante tribuno illo, qui a turba hominum in porta conculcatur, uti Elisa praedixerat 10—20.

1. Tunc Elisa: Audite, inquit, Jovae effatum. Ioo enim promittit: Crastino die satum similae siclo et luo hordei sata siclo vendentur in porta Samariae. 2. Repondit tribunus, cujus manui rex inniti solebat, prohetae: Si Jova seneſtras in coelo faceret, fieri hoc non osset. Atqui tu ipse oculis tuis videbis, inquit ille, ıec tamen de eis comedes. — 3. Quatuor homines leiroſi erant ante portam *urbis*, qui sic inter se consulare coeperunt: Quid hic sedemus, donec moriamur? 4. Si urbem ingredimur, fame peribimus; si hic manemus, itidem moriemur. Agite igitur, fugiamus in castra Syrorum; si nos conservaverint, vivemus; sin occiderint, moriemur. 5. Igitur sub crepusculum ad castra Syrorum ire contendunt. Cum ad extrema castra venerunt, neminem ibi offendunt. 6. Deus enim fecerat, ut per castra Syrorum audiretur sonitus curruum et

tim ex sequentibus verbis, quae non possunt esse nisi ipsius regis, partim ex sequentis capitis septimi versu 17. et 18.

et equorum magnique exercitus. Hinc veriti, regem Israëlis contra eos Hethitarum et Aegypti reges conduxisse, 7. fugae se dederant sub crepusculum, relictis suis tentoriis, equis, asinis et castris, uti fuerant, saluti suae fuga tantum prospicientes. 8. Cum ergo leprosi illi ad extrema castra venerunt, ingrediuntur unum tabernaculum, edunt, bibunt, auferunt inde argentum, aurum, vestes, occultant ea, et reversi aliud tabernaculum intrant, et inde ablata abscondunt. 9. Deinde inter se deliberare coeperunt, non se recte facere, si hoc die, qui dies sit laeti nuncii, taceant; si ad lucem matutinam exspectent, criminis reos futuros esse, propterea eundum esse nunciatum regiae. 10. Veniunt igitur, et clamant ad janitores, [a]) eisque nunciant, se venisse ad Syrorum castra, in quibus nec hominem nec vocem humanam audiri, equos et asinos vinctos *stare*, et tentoria, prouti esse soleant. 11. Janitores clamore sublato [b]) renunciant haec regiae interiori. 12. Rex noctu surgit, atque hunc in modum ad aulicos suos verba facit: Indicabo vobis, quod mihi consilium Syrorum esse videtur: Norunt nos fame laborare, igitur egressi sunt e castris, ut se in cam-

a) Pro שֹׁעֲרֵי הָעִיר legendum videtur שֹׁעֲרֵי הָעִיר, sequitur enim: *indicarunt* לָהֶם. *Oi ó* legerunt שַׁעַר, *ad portam urbis*. Syrus, Arabs et Chaldaeus pluralem exprimunt: *janitores*. *Kennicottus* praeter matrem lectionis שדער in aliquod codd. nihil observavit.

b) Pro יִקְרָא decem codd. *Kennicotti* habent pluralem וקראו quem utique sequens nomen pluralis numeri הַשֹּׁעֲרִים requirit. Et sic quoque *οἱ ὁ: καὶ ἐβόησαν οἱ θυρωροί*, et Chaldaeus. Syrus vero et Vulgatus legerunt יִקְרְבוּ, quo ipso verbo ille utitur, hic vero *iverunt*.

s abderent, ſperantes, ut nos urbe egreſſos vi-
ıpiant et ſic urbe potiantur. 13. Ad haec qui-
ex aulicis dicit: Mittantur quinque illi equi, qui
ſunt in urbe; idem eis eveniat, quod toti multi-
Iſraëlitarum, quae ſuperſtes eſt *in urbe*, ean-
ſortem habeant cum Iſraëlitis, qui perierunt; mit-
:, ut explorent. 14. Igitur mittit rex duos cur-
qui exercitum Syrorum ſequantur et explorent.
i usque ad Jordanum Syros ſecuti vident viam
m veſtibus et armis, quae illi prae nimia fe-
one abjecerant. Reverſi rem regi renunciant.
unc populus urbe egreditur, diripit caſtra Syro-
et venditur ſatum ſimilae ſiclo et duo ſata hor-
clo, ſicuti Jova promiſerat. 17. Rex autem tri-
n illum, cujus manui inniti ſolebat, portae prae-
ıt. Hunc populus ibi conculcavit, ut moreretur,
admodum id ipſum propheta praedixerat, cum
ıum conveniret. 18. Ille enim huic promiſerat,
ut duo ſata hordei ſiclo et ſimilae ſatum ſiclo
no die venderetur in porta Samariae. 19. Et tri-
ı ille prophetae reſponderat, fieri hoc non poſſe,
l. feneſtras Jova in coelo faceret. Tunc hic ei
at: ipſum ſuis oculis hoc viſurum eſſe, neque
ı comeſurum. 20. Hoc ei accidit, nam oppreſ-
populo in porta interiit.

CAPUT VIII.

Elisa Sunamithidi consilium dat emigrandi propter famem im tem. Post reditum ei fundus favore regis restituitur 1 — 6. Benhadado mortem et Hasaëli regnum Syriae praedicit ; Josaphato in regno Judae succedit Joramus, huic Ahasja, que impius 16 — 29.

1. *Postea* Elisa suasit mulieri, cujus filium i tam revocaverat, ut cum familia sua, ubicunque let, peregrinaretur, quoniam Jova septem annoru mem terrae esset immissurus. 2. Illa prophetae temperavit, atque cum suis apud Philistaeos per se annos peregrinata est. 3. Quibus exactis rediit e Philistaeorum, atque volebat regem implorare de s suo *sibi restituendo*. 4. Rex tunc cum Gehasi, s prophetae, colloquebatur, eumque rogabat, ut sibi racula ab Elisa patrata narraret. 5. Igitur cum hi exponeret, quomodo mortuum in vitam revocasset, supervenit mulier, cujus filium vitae restitueraf, gem de domo et agro suo imploraret. Tunc Ge Haec est, inquit, domine rex, mulier, cujus Elisa in vitam revocavit. 6. Postquam rex rem muliere narratam cognoverat, mandavit aulico, varet ei omnia restituenda, ut et fundi proventus, quo illa patriam reliquisset usque ad praesens temp 7. Cum Elisa Damascum venisset, idque Benha regi Syriae, qui tum aegrotabat, esset nunciatum, 8. sit Hasaëlem munere secum sumto prophetam conv atque Jovae oraculum ex eo percontari, num ess morbo ille convaliturus? 9. Hasaël igitur se con ad prophetam, afferens munus de omnibus Damasci nis in quadraginta camelis onustis. Cum ad eum ve

ei indicat, se a Benhadado, Syriae rege, missum esse, qui ab eo petat, velit sibi indicare, num sit ex morbo, quo laboret, convaliturus? 10. Respondet ei Elisa: I renunciatum Benhadado, eum convaliturum esse. [a]) Sed Jova mihi revelavit, eum moriturum esse. 11. Tum *propheta Hasaëlem* immoto vultu diu adspexit, tandemque in lacrimas erupit. 12. Hic Hasaël: Quid lacrimaris, mi domine, inquit. Quoniam novi, ait ille, quae mala tu illaturus sis Israëlitis, oppida eorum munita igne combures, juvenes gladio occides, parvulos allides, gravidas mulieres disecabis. 13. Respondit Hasaël: Quis ego sum, homo vilissimae conditionis, qui tanta sim patraturus? Jova, inquit Elisa, mihi indicavit, te regem Syriae futurum esse. 14. Postquam ab Elisa discesserat, venit ad dominum suum, qui eum interrogavit: quid ille responderit? Respondit, inquit Hasaël, te convaliturum esse. 15. Sed postridie sumsit stragulum, quod in aquam immersum expandit in ejus faciem, ut moreretur. Ipse vero regno ejus est potitus. — 16. Anno quinto Jorami, Ahabi filii, regis Israëlitici, [b]) Joramus, Josaphati filius, regnum obtinuit

a) Lectioni textuali s. τῷ Cetib marginalis s. Keri sine dubio praeferenda est, quam etiam exhibent versiones antiquae et complures codd. *Kennicotti.* Neque adeo magna mihi videtur difficultas, quam nonnulli interpretes in his verbis invenerunt, quasi nempe propheta non verum dicat, si Hasaëlem jubeat domino suo renunciare, eum convaliturum esse, et tamen statim addat, eum esse moriturum. Nempe dicit Elisa, quod haud dubie factum fuisset, Benhadadi morbum non futurum esse lethalem, sed eum moriturum esse vi oppressum ab Hasaële. Priora verba igitur hic ad illum referre debebat; posteriora autem huic praedicebant, quid esset eventurum.

b) Omitto verba, quae sequuntur: *et Josaphatus, rex Judae.* omis-

nuit Judaicum. 17. Annum agebat ſecundum et tricesimum, cum regnum capesseret, regnavit autem omnino octo annos Hieroſolymae. 18. Imitatus eſt mores regum Iſraëliticorum, uti familia Ahabi, cujus filiam in matrimonio habuit. Igitur Jovam offendit. 19. Hic tamen nolebat Judam perdere propter Davidem ſuum, cui promiſerat dare et filiis ejus [c]) ſucceſſorem in perpetuum. 20. Hujus Jorami temporibus defecerunt Edomitae ab imperio Judaeorum, atque ſibi ipſi regem elegerunt. 21. Propterea ille proſectus eſt Sairam cum curribus ſuis omnibus, atque noctu aggreſſus eſt, et profligavit Edomitas, qui eum circumdederant, inprimis curruum principes, hinc omnes ad tentoria ſua confugerunt. 22. Attamen *iterum* defecerunt, atque in hunc usque diem *ſe in libertatem vindicarunt*. Libna quoque eo tempore defecit. 23. Reliquae res geſtae Jorami memoriae proditae ſunt in annalibus regum Judae. 24. Poſt mortem ſepultus eſt apud majores ſuos in urbe Davidis. Succeſſorem habuit Ahasjam, filium ſuum, 25. qui regnum Judaicum obtinuit anno duodecimo Jorami, filii Ahabi, regis Iſraëlis, 26. annos natus duos et vi-

omiſſa quoque a Syro, Arabe et τοῖς ὁ in editione Complut. et in multis codd. Latinis, quae cum reliqua chronologia non poſſunt conciliari. Nam cap. 3, 1. dictum eſt, Joramum regem factum eſſe duodeviceſimo anno Joſaphati. Et quae de Joramo a patre ſuo Joſaphato in regni ſocietatem aſſumto nonnulli dicunt, vim faciunt verbis textus, et novas pariunt difficultates; cf. *Hubigantius*.

c) Pro לְבָנָיו οἱ ὁ, Vulgatus, Chaldaeus et quadraginta fere codd. *Kennicotti* habent לְבָנָיו. Hanc igitur lectionem tot teſtibus probatam ſum ſecutus.

viginti. Unum autem tantum annum regnavit Hierosolymae. Matrem habuit Athaljam, filiam Omri, regis Israëlitici. 27. Imitatus est mores familiae Ahabi. Jovam nempe offendit uti illa, cui quoque affinitate junctus fuit. 28. In bello, quod Joramus, Ahabi filius, cum Hasaële, Syriae rege, gessit, vulneratus fuerat. 29. Propterea revertit Jesreelem, ut ex istis vulneribus suis sanaretur. Eo quoque venit Ahasja, Jorami filius, rex Judae, ad eum invisendum.

CAPUT IX.

Jehu a propheta rex Israëlis ungitur, eum mandato, ut familiam Ahabi deleret 1—12. Quod etiam exsequitur. Primo Joramum Jesreele degentem occidit, Ahasjam, regem Judae, in fuga vulnerat, qui Megiddone moritur 13—29., deinde Isabelam e fenestra praecipitari jubet, cujus cadaver a canibus devoratur 30—37.

1. Elisa propheta vocavit aliquem ex prophetarum discipulis, eique dixit: Accinge te, et tecum ferens hanc olei lenticulam proficiscere Ramotham in Gileaditide. 2. Quo cum perveneris, offendes ibi Jehum, Josaphati filium, nepotem Nimsi. Hunc evocato e coetu sodalium suorum, et in conclave interius seducito. 3. Deinde hanc olei lenticulam in caput ejus effundito his verbis: Sic fatur Jova: Unxi te regem Israëlis, et ostio aperto fugito sine mora. 4. Igitur profectus est propheta ille juvenis Ramotham in Gileaditide, 5. ibique invenit exercitus duces congregatos. Habeo ad te, inquit, mandatum, dux. Ad quem nostrum omnium, respondet Jehu; et ille: Ad te,

te, dux. 6. Tum surrexit, et domum ingressus est; propheta autem oleum in caput ejus effudit, eique dixit: Sic fatur Jova, Deus Israëlitarum: Unxi te regem populi mei Israëlis. 7. Tu perdere debes familiam Ahabi, domini tui. Nam ulciscar caedes in servis meis, prophetis, commissas, nempe eorum, quos Isabela interfecit. 8. Tota Ahabi familia perdi debet. Volo, ut nullus omnino e familia Ahabi superstes inter Israelitas relinquatur. 9. Volo, ut eandem habeat sortem cum Jerobeamo, Nebati filio, et Baësa, filio Ahijae. 10. Isabelam devorare debent canes in agris Jesreelis, neque sepeliatur. — *Haec locutus propheta* januam aperuit, et fugit. 11. Jehu autem ad sodales suos egressus est, qui eum interrogarunt: Num bene habet? Cur ad te venit hic insanus? Respondit Jehu: Nostis virum et sermones ejus. 12. Minime, inquiunt, sed expone nobis. Tunc ille ejus dicta repetiit, eisque narravit, se Jovae jussu rex Israëlitarum ab eo esse unctum. 13. Ad haec illi statim suam quisque vestem in scalae fastigio suppofuerunt Jehuo, et tuba clangentes eum regem proclamarunt. 14. Sic conjuravit Jehu, Josaphati filius, Nimsi nepos, contra Joramum, qui tum Ramothae in Gileaditide cum omni Israëlitarum exercitu Hasaëlem, Syriae regem, observabat. 15. Sed Jesreelem redierat ad sananda vulnera ei a Syris inflicta in pugna adversus Hasaëlem. Jehu autem *suos* admonuit, ut, si eis quoque ita videretur, nemo ex oppido evaderet, qui rem Jesreele nunciaret. 16. Tunc equum conscendit, et Jesreelem profectus est, ubi Joramus decumbebat, quo etiam Ahasja,

rex

x Judae, ad Joramum invisendum venerat. 17. Speculator in turre Jesreelis videbat agmen Jehui approquantis, referebat igitur, se agmen videre. Joramus propterea jubet, ut eques obviam mittatur, qui aerat, num amico animo veniat? 18. Occurrit ues Jehuo, eumque nomine regis interrogat, num ıicus veniat? Respondet Jehu: Quid hoc ad te? Seıere me. Speculator nunciat, venisse ad eos nunım, sed non reverti. 19. Tunc mittit *Joramus* alrum equitem, qui, postquam ad eos pervenit, quaet nomine regis, num amici sint? Respondet Jehu: uid hoc ad te? Sequere me. 20. Hoc quoque specutor refert, venisse nempe *equitem* ad eos, sed non verti, et incessum esse sicuti incessus Jehui, Nimsi ;potis, cum celeriter incedat. 21. Tum Joramus jut currum equis jungi. Quo facto ipse cum Ahasja, ;ge Judae, uterque in curru suo obviam procedunt ;huo, eique occurrunt in fundo Naboti Jesreëlensis. 2. Cum Joramus Jehum videt, quaerit, num ami› animo veniat? Respondit Jehu: Quid amice, dum dhuc durant Isabelae, matris tuae, idololatria et tot jus incantationes? 23. Hic Joramus convertit habeas et fugit, Ahasjam de fraude admonens. 24. Sed ehu arcum tendit, et Joramum inter scapulas ita vulerat, ut ei sagitta per pectus exeat, et in curru suo rosternatur. 25. Tum Jehu jubet Bidbakum, tribuum, abjicere eum in agrum Naboti Jesreelensis. Nam nemini, inquit, me teque equitantes binos Ahabum, atrem ejus, comitari, cum Jova hanc in eum sententiam pronunciaret: 26. Profecto ego caedem in Nabo-

boto et filiis ejus nuper commiſſam tibi rependam in hoc ipſo fundo: id quod ego Jova minitor. — Igitur tolle eum et abjice in fundum illum, prouti Jova dixit. 27. Ahasja autem, rex Judae, cum haec videret, fugit verſus domum hortenſem, ſed perſecutus eſt eum Jehu, et juſſit, ut hunc quoque in curru ſuo ferirent; *quod etiam factum eſt* in clivo Guris prope Jibleamum. Sed effugit Megiddonem, ibique mortuus [a]) eſt. 28. Inde eum ſervi ejus Hieroſolymam deduxerunt, et ſepelierunt apud majores in urbe Davidis. 29. Anno undecimo Jorami, Ahabi filii, Ahasja regnum Judaicum obtinuerat. — 30. Deinde Jehu venit Jeſreelem. Quod cum audiret Iſabela, fucavit oculos ſuos, et comſit caput, et per feneſtram proſpiciens 31. Jehuo per portam intranti dixit: Salvusne fuit Simri, qui dominum ſuum interfecit? [b]) 32. At ille ſublata ad feneſtram facie dixit: Quis mecum facit? Quis? et cum duo aut tres aulici ad eum proſpicerent: 33. Praecipitate eam, inquit. Tum illi eam praecipitarunt, ut ejus ſanguine murus et equi conſpergerentur, et conculcavit eam. [c]) 34. Ingreſſus deinde *regiam* ad cibum et potum ſumendum dixit ſuis: Curate, ut ſcelerata iſta ſepeliatur, quod regis filia eſt. 35. Sed qui ad eam ſepeliendam iverant, nihil invenerunt praeter cranium, pedes et palmas manuum. 36. Quod cum ad eum retuliſſent, reſpondit: Id ipſum eſt, quod Jova per miniſtrum ſuum Eliam Tisbitam di-

a) Haec breviter narrata ſunt, reliqua ſupplenda ex 2 Chron. 22, 9.

b) Cf. 1 Reg. 16, 10. 16.

c) Sc. Jehu equis ſuper eam actis.

dixit: In agro Jeſreelenſi devorabunt canes carnem Iſabelae, 37. eritque cadaver Iſabelae ſicut ſtercus in agro, in fundo Jeſreelenſi, ut dici non poſſit, hic Iſabelam *jacere.* [d])

CAPUT X.

Jehu mittit Samariam, ibique ſeptuaginta Ahabi filios jubet interſici 1—10.; ipſe Jeſreele reliquos de Ahabi familia et Ahasjae cognatos ei in itinere occurrentes interficit 11—16. Samariae Baalis cultores dolo convocatos omnes trucidat et templum ejus evertit. Ipſe tamen vitulorum Jerobeami cultor 17—36.

1. Cum Ahabi filii, ſeptuaginta numero, Samariae eſſent, miſit Jehu litteras ad principes civitatis, [a]) ſenatores et ad nutritores *filiorum* Ahabi, in haec verba: 2. Simulac hae litterae ad vos pervenerint, quoniam filii domini veſtri apud vos ſunt, vosque currus, equos, urbem munitam et arma habetis, 3. videte, qui ex filiis domini veſtri optimus ſit et maxime idoneus, quem in ſolio patrio collocetis, et pugnate pro domo domini veſtri. 4. Ad haec illi ſummo timore ſunt perculſi, facile intelligentes, cum duo reges ei reſiſtere non potuiſſent, multo minus ſe contra eum aliquid eſſe effecturos. 5. Propterea praefectus palatio, praetor urba-

d) Haec quidem non leguntur 1 Reg. 21, 23., ſed h. l. plenius narrantur.

a) In textu eſt: אֶל־שָׂרֵי יִזְרְעֶאל, ſed *oi ó* habent: *πρὸς τοὺς ἄρχοντας Σαμαρείας*, et Vulgatus: *ad optimates civitatis.* Quae lectio verior videtur. Nam qui h. l. vocantur *principes Jeſreelis*, verſu 5. dicuntur *praepoſiti domus et urbis*, ad quos Jehu litteras miſerat, qui et filios Ahabi Samariae in urbe regia educaverant. Codex *Kennicotti* 174. habet etiam שומרון.

banus, ſenatores et nutritores miſerunt ad Jehum, ſe in ejus poteſtate futuros, omnia imperata facturos, faceret, quod luberet. 6. Tunc iterum ad eos ſcripſit in hunc modum: Si mei eſtis, mihique morem geritis, cum capitibus filiorum domini veſtri cras ad me Jeſreelem venite. (Erant autem filii regii ſeptuaginta, proceres civitatis eos educabant.) 7. Quibus litteris ad eos perlatis comprehenderunt filios regis, et mactarunt eos, ſeptuaginta homines, eorumque capita in caniſtris poſita miſerunt ad eum Jeſreelem. 8. Cum nuncius indicaret, allata eſſe capita filiorum regis, juſſit ea in duos acervos congeri ante portam usque ad craſtinum. 9. Poſtridie mane egreſſus hos, qui aderant, ſic eſt allocutus: Vos innocentes eſtis, ego vero conjuravi [b]) contra dominum meum, eumque interfeci. Ecquis vero hos omnes percuſſit? 10. Agnoſcite igitur, nihil eorum, quae Jova familiae Ahabi minatus eſt, irritum fuiſſe, ſed Jovam praeſtitiſſe, quae per Eliam, miniſtrum ſuum, eſt locutus. 11. Poſtquam deinde Jehu reliquos quoque domus Ahabi Jeſreele, ejusque magnates, familiares et ſacerdotes interfecerat, nemine prorſus ſuperſtite relicto, 12. Samariam ire contendit. In itinere, cum ad domum ligationis paſtorum [c]) veniſſet, 13. incidit in conſanguineos Ahasjae, regis Judae, qui ab eo interrogati, quinam eſſent? reſpondebant, ſe Ahasjae conſanguineos eſſe, atque ire jam ſalutatum regis et regi-

nae

b) Haec ironice dicta ſunt, ut probet, ſe non ſolum eſſe, qui contra Ahabum conſpirarit, ſed etiam Samariae principes.

c) Hebr. בֵּית עֲקֵד הָרֹעִים locus ſ. caſa paſtoritia, in qua paſtores forte oves ligabant ad tonſuram. Praeter h. l. non legitur.

nae filios. 14. Tunc eo jubente comprehenſi et jugulati ſunt prope fontem illius domus ligationis, duo et quadraginta homines, neminem eorum ſuperſtitem eſſe ſivit. 15. Hinc progreſſus occurrit Jonadabo, Rechabi filio, quem, ubi ſalutavit, interrogat, num animo [d]) ſit tam benevolo in ſe, quam ipſe in eum? Sum, inquit ille. Si es, ait hic, da manum. Quo facto eum in currum conſcendere juſſit, 16. Veni mecum, inquiens, et vide ſtudium meum pro Jova. Illo in currum evecto 17. venit Samariam. Hic primo omnes e familia Ahabi ſuperſtites ad internecionem usque delevit, ſecundum comminationes Jovae per Eliam praedictas. 18. Deinde populo congregato declaravit, Ahabum parum coluiſſe Baalem, ſe quidem longe diligentiorem ejus futurum eſſe cultorem: 19. igitur convocarent ad ſe omnes Baalis prophetas, cultores et ſacerdotes, ne quis deeſſet; magnum ſe ſacrificium Baali eſſe facturum; qui non adfuerit, vita privatum iri. Hoc vero Jehu fecit per dolum, ut omnes Baalis cultores deleret. 20. Deinde juſſit diem feſtum indici in honorem Baalis; quo indicto 21. miſit per omnem terram Iſraëliticam et convocavit omnes Baalis cultores. Qui, cum omnes conveniſſent, ingreſſi ſunt templum Baalis, quod totum, quantum quidem patebat, impleverunt. 22. Tunc juſſit eum, qui veſtiario praepoſitus erat, proferre veſtes

d) *Clericus* conjectat, approbante *Hubigantio*, poſt אֶת־לְבָבְךָ excidiſſe אֶת־לְבָבִי. Sic ſequenti membro melius reſpondet, et ſic *oi ó* habent: *εἰ ἔστι καρδία σου μετὰ καρδίας μου εὐθεῖα*. Sed defendi poteſt lectio vulgaris, cum conſtet, אֶת־ quoque nominativo praeponi, et ſic Vulgatus: *numquid eſt cor tuum rectum?* Item reliqui.

ſtes Baalis cultoribus, atque hoc quoque facto 23. una cum Jonadabo, Rechabi filio, ingreſſus eſt templum Baalis, juſſitque omnes probe explorare et circumſpicere, ne forte inter eos ſit, qui Jovam colat, ſed tantum Baalis cultores. 24. Cum jam in eo eſſent, ut ſacrificia et holocauſta facerent, Jehu foris diſpoſuerat octoginta homines, quibus edixit: ſi quis eorum, quos jam ipſis traderet, evaſerit, hunc ſua vita deberent redimere. 25. Sacrificio peracto juſſit Jehu ſatellites et tribunos *templum* intrare et occidere, nemine dimiſſo. Illi igitur omnes ferro trucidarunt et ejecerunt. Deinde ingreſſi quoque ſunt conclave templi Baalis interius, e) 26. ex quo ſtatuas idoli protulerunt et combuſſerunt. 27. Everſis omnibus ſimulacris ipſam Baalis aedem demoliti ſunt et in latrinas redegerunt, quae etiamnum exſtant. 28. Quanquam autem Jehu Baalis cultum inter Iſraëlitas ſuſtulerat, 29. tamen ipſe non abstinuit a peccatis Jerobeami, Nebati filii, quibus hic Iſraëlitas obſtrinxerat, a cultu illo aureorum vitulorum Bethele et Dane. 30. Poſtea Jova Jehuo promiſit, quoniam voluntati ſuae prorſus ſatisfeciſſet, atque ea omnia, quae in domum Ahabi decreviſſet, eſſet exſecutus, fore, ut filii ejus ad quartam usque ſtirpem regnum Iſraëliticum tenerent. 31. Attamen Jehu legi divinae animo ſincero

non

e) Hebr. עַד עִיר בֵּית־הַבַּעַל. Significationem vulgarem עיר qua h. l. parum aptam eſſe, quisque intelligit, et quae interpretes de oppidulo in vicinia Samariae dicunt, finguntur ad ſtabiliendam illam explicationem. Sed contextus docet, omnia uno eodemque loco peracta eſſe. Ego verti per *conclave interius*, ex ſignificatione Arabica vocis קִיר *ſpeluncae*, quo nomine iſta penetralia fanorum utique infigniri poterant, quam conjecturam alii dijudicent.

non obtemperavit, non abstinuit a peccatis Jerobeami, qui Israëlitas seduxerat. 32. Illis temporibus coepit Jova Israëlitas atterere. Nam Hasaël vastavit extremas eorum regiones omnes 33. a Jordano versus orientem, omnem Gileaditidem, Gaditas, Rubenitas et Manassitas, ab Aroëre, quod est ad torrentem Arnonem, Gileaditicam et Basaniticam regionem. 34. Reliquae res gestae Jehui ejusque potentia litteris consignatae sunt in ephemeridibus regum Israëliticorum. 35. Mortuus et sepultus est Samariae, successit ei Joahasus filius. 36. Regnavit omnino duodetriginta annos in Israëlitas Samariae.

CAPUT XI.

Athalja, mater Ahasjae, regis Judae, quae omnem prolem regiam interfecerat, regno potitur, quod sex annos tenuit. Sed Joasus, regis filius, in caede ista servatur et educatur a Jojada, summo sacerdote, et septimo aetatis anno in throno patrio constituitur.

1. Athalja, mater Ahasjae, post mortem filii, hujus progeniem omnem peremit. 2. Sed Josaba, filia regis Jorami, soror Ahasjae, Joasum, hujus filium, subduxit ex caede ista filiorum regiorum, eumque una cum nutrice ejus in conclavi lectorum abdidit, ita ut ab Athalja non interficeretur. 3. Sic latuit in templo Jovae per sex annos, Athalja interea regnum obtinente. 4. Anno vero septimo Jojada curavit arcessendos centuriones, milites levis armaturae et satellites, eosque ad se in Jovae templum introductos pacto cum eis inito jurejurando obstrinxit. Fili-

lium regis eis oſtendit, 5. atque in hunc modum eis praecepit: Hoc eſt, quod faciatis. Tertia pars veſtrûm miniſterio ſabbati fungetur, et cuſtodias aget ad palatium regium. 6. Tertia pars ſit in porta Suri, et tertia in porta poſt ſatellites. Cavebitis, ne in templo damnum exſiſtat. 7. Duae partes veſtrûm, qui miniſterio ſabbati functi ſunt, cuſtodiam habebunt in templo Jovae apud regem, 8. quem undique cingetis, arma manibus omnes tenentes, et qui ordines veſtros perruperit, morietur; regem ſemper exeuntem et redeuntem ſtipabitis. 9. Centuriones fecerunt omnia, quae Jojada ſacerdos eos juſſerat. Aſſumtis ſuis hominibus, cum illis, qui miniſterium ſuum hebdomadale ingreſſi fuerant, tum his, qui eo jam erant perfuncti, venerunt ad Jojadam ſacerdotem. 10. Hic eis dedit haſtas et clypeos, *qui inde a temporibus* regis Davidis in templo erant, 11. et ſic ſtabant ſatellites arma manibus tenentes a latere templi dextro ad latus ejus ſiniſtrum, circa altare et ſanctum ſanctorum, regem undique cingentes. 12. Tunc produxit Jojada filium regis, impoſuit ei coronam et inſignia regia tradidit. Deinde eum unxerunt et complofis manibus regem ſalutarunt. 13. Athalja audito hoc populi accurrentis ſtrepitu venit in templum. 14. Ibi videt regem pro more ſtantem ad columnam, et circa eum duces et tubicines, omnem vero populum jubilantem et tubis clangentem. Hic veſtes ſuas lacerat, iterum iterumque clamans: Conjuratio! 15. Sed Jojada ſacerdos jubet centuriones et exercitus praefectos eam e templo extra ordines educere, et qui eam ſequatur, gladio interficere; nolebat enim eam

in

in ipſo Jovae templo ſupplicio affici. 16. Illi igitur manus ei injecerunt, atque cum veniſſet, qua aditus eſt equis ad regiam, ſupplicium ab ea ſumtum eſt. 17. Jojada autem foedus percuſſit inter Jovam, regem et populum. Hic quidem promiſit, tantum Jovam *in poſterum* colere, tum inter regem et populum *pactum eſt*. 18. Quo facto omnes templum Baalis ingreſſi ſunt, idque deſtruxerunt fractis ejus altaribus et ſimulacris. Mattanem, Baalis ſacerdotem, ante aras interfecerunt. Praeſidio a ſacerdote in templo Jovae relicto 19. centuriones, levis armaturae milites et ſatellites, et tota populi concio regem deduxerunt e templo per portam ſatellitum ad palatium regium, ut thronum regium occuparet. 20. Tunc omnes gaviſi ſunt et urbs pacata eſt. Athaljam prope palatium regium gladio peremerant.

CAPUT XII.

Joaſus templum Jovae ex pecunia collecta reſtaurat 1—17. Haſaëlem munere oblato placat, atque ex conjuratione ſuorum perit 18—22.

1. Anno aetatis ſuae ſeptimo Joaſus regnum capeſſivit, 2. qui incidit in ſeptimum Jehui. Regnavit autem omnino quadraginta annos Hieroſolymae. Mater ejus erat Sibja Berſabenſis. 3. Fecit, quae Jovae placebant, quamdiu conſiliis Jojadae ſacerdotis utebatur. 4. Loca tantum excelſa nondum ſublata erant, in quibus populus adhuc ſacrificabat et ſuffitum offerebat. — 5. Jufferat autem Joaſus, ut ſacerdotes pecuniam conſecratam templo Jovae illatam, *porro* pecuniam col-

lectam [a]) et pecuniam ex aestimatione, *tandemque* eam, quam quisque sua sponte ad templum daret, 6. sumerent ab hominibus sibi notis, atque *inde* templi ruinas reficerent, ubicunque exstarent. 7. At enimvero sacerdotes facere hoc neglexerunt usque ad annum tertium et vicesimum regni Joasi. 8. Tunc hic Jojadam, summum sacerdotem, aliosque sacerdotes evocavit, eosque reprehendit, quod ruinas templi non refecissent. Simul eis interdixit, ne pecuniam ab hominibus sibi notis acciperent, ut ruinas templi restaurarent. 9. Obsecuti sunt sacerdotes, neque pecuniam a populo acceperunt, neque templi ruinas refecerunt. 10. Verum Jojada sacerdos arcam, cujus operculum perforaverat, posuit prope aram ad dextram templum ingredientium, ut in eam conjicerent sacerdotes, custodes atrii, omnem pecuniam templo illatam. 11. Quando vero videbant, multum pecuniae esse in arca, veniebant scriba regis et summus sacerdos, numerabant pecuniam, quae reperta fuerat, et *in loculis* colligabant. 12. Deinde hanc librata pecuniam tradebant operis curatoribus, templi praefectis, qui eam erogabant in fabros lignarios et in *alios* structores, qui templum Jovae reficiebant, 13. in caementarios, in lapicidas, ad comparanda ligna et la-

a) Triplicis generis pecunia indicatur ad usum templi colligenda. Primi generis est eorum, qui aetatis annum vicesimum attigerant, hi solvebant semisiclum ad cultum sacrum, quae *pecunia transeuntis* כֶּסֶף עֹבֵר h. l. vocatur. Secundi generis est a, quam quisque solvebat, si votum fecerat, se daturum, quantum aestimatus esset a sacerdote, Levit. 27, 2. Tertii generis est, quae ex liberalitate Israëlitarum dabatur. Sic *Vatablus*. Sed cf. omnino locus parallelus 2 Chron. 24, 4. sqq., qui in nonnullis differt.

lapides caesos, quibus ruinas templi restaurarent, denique ad omnia, quae huic rei essent necessaria. 14. Attamen non insumebatur haec pecunia templo Jovae illata, ut pro eo fierent pelves argenteae, instrumenta musica, crateres, tubae, aut alia vasa aurea et argentea; 15. sed tantum operariis dabatur ad aedem Jovae restaurandam. 16. Neque rationes subducebant cum iis, quorum curae pecunia committebatur, ut eam inter operarios distribuerent; sed bona fide agebant. 17. Pecunia vero pro noxis et delictis templo Jovae non est illata, sed sacerdotum erat. b) — 18. Tunc Hasaël, rex Syriae, Gatham oppugnavit et cepit. Sed cum minaretur, Hierosolymam quoque aggredi, 19. sumsit Joasus, rex Judae, omnia, quae a Josaphato, Joramo, Ahasja, ejus majoribus, Judaeae regibus, nec non quae ab ipso consecrata erant, ut et aurum in thesauris templi Jovae repertum, eaque omnia misit ad Hasaëlem, ut ab Hierosolyma discederet. 20. Reliquae res gestae Joasi memoriae proditae sunt in annalibus regum Judae. 21. Interfectus est a suis in domo Millone, qua Sillam descenditur, facta contra eum conjuratione, 22. a Josachare, filio Simathi, et Josabado, filio Someri. Post mortem sepultus est in urbe Davidis, et successorem habuit Amaziam filium.

---

b) Quia sacerdotum erat ex lege, Levit. 5, 16.

CAPUT XIII.

Joahasus, rex Israëlis, a rege Syriae subjugatur, et in magnas angustias redigitur 1 — 9. Ejus filius Joasus ab Elisa aegrotante, quem invisit, impetrat promissionem victoriae in Syros consequendae 10 — 19. Moritur Elisa. Cujus ossa excitant hominem mortuum in sepulcrum ejus abjectum. Joasi de Syris victoria 20 — 25.

1. Anno tertio et vicesimo Joasi, filii Ahasjae, regis Judae, regnum iniit Joahasus, Jehui filius, in Israëlitas Samariae, quod per annos septendecim obtinuit. 2. Jovam offendit vita sua, deditus peccatis Jerobeami, Nebati filii, quibus Israëlitas obstrinxerat, ab his non recessit. 3. Propterea Jova in Israëlitas ira commotus eos tradidit Hasaëli, regi Syriae, hujusque filio Benhadado. 4. Tunc Joahasus Jovam imploravit, qui quoque eum exaudivit, respiciens calamitatem, qua Israëlitae a rege Syriae affligebantur. [a]) — 7. Nam non reliquerat Joahaso milites, nisi quinquaginta equites, decem currus et decem millia peditum. Reliquos rex Syriae perdiderat, et instar pulveris contriverat. — 5. Sed dedit Jova Israëlitis defensorem, ut ab Syrorum imperio vindicati in tentoriis suis *tuto* uti antea habitare possent. 6. Atque tamen non recesserunt a peccatis Jerobeami, qui eos seduxerat; iis inhaeserunt adeo, ut lucus Samariae extaret. — 8. De reliquis Joahasi rebus gestis et viribus

a) Placuit h. l. trajectio versuum, septimi nimirum post quartum, quam *Hubigantius* ausus est. Qua admissa non solum particula כי, quae versum 7. incipit, apte connectit, quae praecedunt, sed etiam reliquorum versuum nexus est facillimus. In verbis ipsis nihil mutatur. Ordinis autem perturbatio ex similitudine verborum ויתן et ויתר, quae versum quintum et octavum incipiunt, facile oriri potuit.

bus memoriae proditum eſt in annalibus regum Iſraëliticorum. 9. Poſt mortem ſepultus eſt Samariae, ſucceſſit ei filius Joaſus, 10. qui anno ſeptimo et triceſimo Joaſi, regis Judae, regnum in Iſraëlitas iniit Samariae, cui per ſedecim annos praefuit. 11. Enimvero hic quoque Jovam offendit *) peccatis Jerobeami, filii Nebati, qui Iſraëlitas ad peccandum ſeduxerat, quibus b) omni modo ſeſe commiſit. 12. Reliquae res geſtae Joaſi ejusque bella cum Amazia, rege Judae, uberius deſcribuntur in annalibus regum Iſraëliticorum. 13. Mortuus eſt Joaſus (cui Jerobeamus ſucceſſit) et ſepultus Samariae inter alios reges Iſraëliticos. 14. Hic ipſe Joaſus inviſebat Eliſam, cum morbo laboraret, quo etiam mortuus eſt, atque apud eum flens exclamabat: Mi pater, mi pater, Iſraëlitarum praeſidium et tutamen! c) 15. Tum juſſit eum Eliſa ſumere arcum et ſagittas. Quae cum ille ſumſiſſet, 16. juſſit eum arcui manus admovere; quo facto Eliſa ſuas manus impoſuit manibus regis, 17. et denuo feneſtram aperire orientalem juſſit, et jaculari. Quod utrumque cum ille feciſſet: Sagitta victrix, inquit Eliſa, per Jovam, ſagitta victrix contra Syros, hos tu concides prope Aphekam ad internecionem. 18. Tum Sume ſagittas, inquit, et percute terram, et hic ter

*) וַיַּעֲשֵׂהוּ pro וַיַּעַשׂ, uti v. 2. aliasque ſemper et hoc etiam loco in ſex codicibus *Kennicotti* legitur, error ſcribarum eſt ex ſequenti ה ortus.

b) Pro בָּהּ legendum videtur בָּם. Sic codex *Kennicotti* 84., ſed correctus, et veteres omnes.

c) Hebr. *currus Iſraëlis et equites ejus*; cf. obſerv. ad cap. 2, 12.

ter terram percuſſit et deſiit. 19. Hic iratus propheta ei dixit: Si quinquies aut ſexies *terram* percuſſiſſes, Syros prorſus confeciſſes, jam vero tribus tantum vicibus eos caedes. 20. Mortuo et ſepulto Eliſa, anno ſequenti[d]) turmae Moabitarum irruptionem fecerunt. 21. Tunc accidit, ut quidam hominem ſepelientes hoſtibus viſis eum abjicerent in ſepulcrum Eliſae. Ille, ſimulac oſſa Eliſae tetigit, revixit et in pedibus ſuis conſtitit. — 22. Haſaël, rex Syriae, Iſraëlitas vexavit toto Joahaſi tempore. 23. *Tandem* Jova benigne eorum eſt miſertus et rationem habuit propter promiſſiones illas Abrahamo, Iſaaco et Jacobo datas. Noluit eos perdere, aut ex terrarum orbe auferre usque ad illud tempus. 24. Igitur mortuo Haſaële, Syriae rege, cui Benhadadus filius ſucceſſerat, 25. Joaſus, Joahaſi filius, ei eripuit oppida, quae ejus pater hujus patri bello ceperat, illoque ter victo Iſraëlitarum oppida recuperavit.

CAPUT XIV.

Amazia, rex Judae, bonus feliciter cum Edomitis bellum gerit 1—7. Qua victoria elatus provocat ad certamen Joaſum, regem Iſraëlis, et quanquam admonitus, tamen proelium ei committit exitu tum ipſi, tum regno ſuo admodum infelici. Tandem conjuratione perit 8—20. Jerobeamus ſuccedit Joaſo, qui res Iſraëlitarum fere perditas reſtituit 23—29.

1. Anno ſecundo Joaſi, filii Joahaſi, regis Iſraëlis, regnum Judaicum capeſſivit Amazias, Joaſi filius,

2

d) Pro בָּא שָׁנָה legendum fortaſſe בְּבוֹא vel בְּבֹא. Sic Chaldaeus: *in adventu anni*, οἱ ὁ: ἐλθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ. Vulg.: *in ipſo anno*, et ſic quoque Syrus. Legerunt igitur בַּשָּׁנָה *Kennicottus* obſervat, in cod. 1. א eſſe eraſum.

2. annos natus quinque et viginti. Regnavit vero undetriginta annos Hierosolymae. Mater ejus erat Joaddana Hierosolymitana. 3. Fecit, quae Jovae placebant, non quidem sicuti David, ejus progenitor, tamen prorsus uti Joasus, pater ejus, fecerat. 4. Loca excelsa nondum sublata erant, in quibus populus adhuc sacrificabat et suffiebat. 5. Postquam in regno sese confirmaverat, supplicio affecit servos, qui regem, patrem suum, occiderant. 6. Sed eorum filios non interfecit, ex lege Mosaica, quam Jova his verbis dedit: Non luent parentes peccata liberorum, nec liberi parentum; sed sui quisque peccati poenas dabit. [a]) 7. Hic *Amazia* caedit quoque in valle salis Edomitarum decem millia. In quo bello Selam [b]) cepit, cui nomen dedit Jokteel, quod etiamnum habet. 8. Quo facto legatos misit ad Joasum, Joahasi filium, Jehui nepotem, regem Israëlis, eumque ad certamen provocavit, 9. qui per suos legatos ei hunc in modum respondit: Carduus Libani misit ad cedrum Libani, atque ab eo postulavit, ut suam filiam ipsius filio daret in matrimonium; sed fera Libani forte praeteriens conculcavit carduum. [c]) 10. Tu Edomitas percussisti, propterea te effers, fruere tua gloria, sed domi manc. Quid malum lacessis in tuam et Judaeae perniciem? 11. At Amazia nolebat audire. Igitur proelium sibi commiserunt ille et Joasus, rex

Iſraëlis, Bethſemeſi in Judaea, 12. in quo Judaei ab Iſraëlitis caeſi et in fugam ſunt converſi. 13. Amazia autem, rex Judaeae, Joaſi filius, Ahasjae nepos, captus eſt a Joaſo, rege Iſraëlis, Bethſemeſi. Qui cum Hieroſolymam veniſſet, ejus murum deſtruxit a porta Ephraimitica usque ad portam angularem, quadringentos cubitos. 14. Deinde abstulit aurum, argentum et vaſa, quae in templo et in theſauris regiae eſſent, praeterea quoque obſides ſecum abduxit, et ſic revertit Samariam. 15. Reliquae res geſtae Joaſi, ejus fortitudo, et bellum, quod cum Amazia, rege Judae, geſſit, haec omnia memoriae prodita ſunt in annalibus regum Iſraëliticorum. 16. Cum diem ſuum obiiſſet, ſepultus eſt Samariae inter reges Iſraëliticos, et ſucceſſorem habuit Jerobeamum filium. 17. Poſt mortem ejus Amazia, Joaſi filius, rex Judae, vixit adhuc annos quindecim. 18. Hujus res geſtae ſcriptae exſtant in annalibus regum Judae. 19. Conjuratione contra eum Hieroſolymae facta fugit Lachiſam. Sed eo quoque mittebantur, qui eum interfecerunt. 20. Attamen *alii* eum equis vectum Hieroſolymam deduxerunt, ibique apud majores in urbe Davidis ſepelierunt. 21. Tum omnes Judaei Aſarjam, ſedecim annos natum, regem crearunt in locum patris ejus Amaziae. 22. Is Elatham reſtauravit, quam Judaeae reſtituit [d]) rege *patre ejus* mortuo. 23. Anno quinto decimo Amaziae, filii Joaſi, regis Judae, Jerobeamus, Joaſi filius, rex Iſraëlis factus eſt, atque unum et quadraginta annos regnavit Samariae. 24. Jovam of-

d) Ereptam Edomitis, qui ſub Joramo rebellarant; cf. cap. 8, 20. ſeqq.

ffendit, non deſerens peccata, quibus Jerobeamus, 'ebati filius, Iſraëlitas obſtrinxerat. 25. Hic recupe-ıvit regiones Iſraëlitarum amiſſas a Hamathe usque l mare campeſtre, [e]) ex promiſſione Jovae, Iſraëli-ırum Dei, quam dederat per miniſtrum ſuum Jo-am, Amittaei filium, prophetam Gathhepherenſem. 6. Nam rationem habebat calamitatis Iſraëlitarum erquam acerbae, [f]) qui omnibus rebus privati de-ınſorem non habebant. 27. Sed cum nollet eos de-re, per Jerobeamum, Joaſi filium, eos liberavit. 8. Hujus Jerobeami reliquae res geſtae, fortitudo et ella ab eo geſta, et quomodo Damaſcum et Hama-ıam, quae *olim* Judaeae fuerat, [g]) regno Iſraëlitico ecuperarit, haec omnia memoriae prodita ſunt in phemeridibus regum Iſraëliticorum. 29. Succeſſit ei oſt mortem Sacharja filius.

CAPUT XV.

Aſarja, rex Judae, leproſus factus Jothamo filio regni adminiſtrationem relinquit 1—7. Sacharja, rex Iſraëlis, a Sallumo et hic a Menahemo interficitur 8—22. Huic ſuccedit Pekahja, qui a Pekaho atque hic ab Hoſea interficitur 23—31. Jothamus, Uſiae filius, rex Judae bonus 32—37.

1. Anno ſeptimo et viceſimo Jerobeami, regis ſraëlis, Aſarja, Amaziae filius, regnum iniit Judaicum.

---

e) H. e. mare mortuum.

f) Pro מֹרֶה legendum videtur מָרָה, ut fit a מרר *amatus fuit*. Sic omnes veteres intellexerunt, niſi malis explicare ex ſignificatione verbi מרה primaria, quam *Schultenſius* ei tribuit: *ſtrinxit*, *ſtrigillavit*, quae transfertur ad plagam ſtringentem, urentem et angentem.

g) Rex Hamathenſis olim Salomoni ſtipendiarius fuit, 1 Reg. 4, 21., poſtea deſecerat, et jam Jerobeamus eum ſibi ſubjecit.

icum. 2. Annum tum agebat decimum ſextum, omnino autem duos et quinquaginta annos Hieroſolymae regnavit. Nomen matris ejus erat Jecholja Hieroſolymitana. 3. Fecit, quae Jovae probabantur, prorſus uti Amazia, pater ejus. 4. Modo loca excelſa non ſunt ſublata, igitur populus in eis ſacrificabat et ſuffitum faciebat. 5. Hunc regem Jova plaga leprae affecit usque ad mortem ejus, [a]) propterea habitabat in domo ſeparata. Jothamus autem, ejus filius, palatio erat praefectus et regnum adminiſtrabat. 6. Reliquae res geſtae Aſarjae ſcriptae exſtant in annalibus regum Judae. 7. Eo mortuo et ſepulto in urbe Davidis regnavit Jothamus filius. — 8. Anno duodequadrageſimo Aſarjae, regis Judae, regnavit Sacharja, Jerobeami filius, in Iſraëlitas Samariae ſex menſes. 9. Offendit Jovam, ſicuti majores ejus fecerant, non abstinens a peccatis, quibus Jerobeamus, Nebati filius, Iſraëlitas obſtrinxerat. 10. Contra eum conjuravit Sallumus, filius Jabeſi, eoque ſpectante populo interfecto regnum occupavit. 11. Reliquae res geſtae Sacharjae memoriae proditae ſunt in annalibus regum Iſraëliticorum. 12. Hac ratione impletum eſt id, quod Jova Jehuo promiſerat, fore, ut abnepotes ejus thronum regium obtinerent. [b]) 13. Sallumus, Jabeſi filius, regno potitus eſt anno undequadrageſimo Uſiae, regis Judae. Aſt unum menſem tantum regnavit Samariae. 14. Nam Menahemus, Gadaei filius, Tirzenſis, eum interfecit et regnum occupavit. 15. Reliquae res geſtae Sal-

a) Cf. 2 Chron. 26, 16. ſqq.
b) Cf. cap. 10, 30.

Sallumi et conjuratio ejus pluribus narrantur in annalibus regum Iſraëliticorum. 16. Tunc Menahemus expugnavit Tiphſahum, cujus incolas omnes interfecit et terminos vaſtavit usque ad Tirzam, quoniam ei portas non aperuerant. In qua ejus caede c) gravidas adeo mulieres diſcidit. 17. Anno undequadrageſimo Aſarjae, regis Judae, regno potitus eſt Menahemus, Gadaei filius, quod decem annos Samariae obtinuit. 18. Offendit Jovam, deditus quippe per omnem vitam peccatis Jerobeami, filii Nebati, qui Iſraëlitas ſeduxerat. 19. Cum Phul, rex Aſſyriae, terram aggrederetur, dedit ei Menahemus mille talenta argenti, ut ejus auxilio in regno ſuo confirmaretur. 20. Quam pecuniam regi Aſſyriae ſolvendam exegit a divitibus, ita ut ſinguli darent quinquagenos ſiclos argenteos. *Accepta pecunia* revertit rex Aſſyriae, neque diutius in terra conſtitit. 21. Reliquae res geſtae Menahemi memoriae proditae ſunt in annalibus regum Iſraëliticorum. 22. Poſt mortem ſucceſſorem habuit Pekahjam filium, 23. qui anno quinquageſimo Aſarjae, regis Judae, regnum iniit Samariae, ſed biennium tantum regnavit. 24. Jovam offendit non recedens a peccatis, quorum auctor Iſraëlitis fuerat Jerobeamus, Nebati filius. 25. Contra eum conjuravit Pekahus, Remaljae filius, ejus tribunus, qui eum Samariae in palatio regio interſecit, adjutus ab Argobo et Arjaeo et quinquaginta Gileaditis. Eo occiſo ipſe regno eſt poti-

c) Pro וַיַּכֵּהוּ אֶת legendum videtur וַיַּכֶּה אֶת. Sic omnes legerunt et ſenſus jubet. *Kennicottus* ſex codd. citavit, in quibus וְאֶת exſtat.

titus. 26. De reliquis Pekahjae rebus geſtis videndi ſunt annales regum Iſraëliticorum. 27. Anno ſecundo et quinquageſimo Aſarjae, regis Judae, regnare coepit in Iſraëlitas Pekahus, Remaljae filius, Samariae. Viginti annos regnavit, 28. Jovae autem minime probatus, quoniam non abstinebat a peccatis, ad quae Jerobeamus, Nebati filius, Iſraëlitas obligarat. 29. Regnante hoc Pekaho venit Tiglathpileſér, rex Aſſyriae, atque cepit Ijjonem, Abelam, Bethmaacham, Janohum, Kedeſam, Hazorem, Gileaditidem et Galilaeam, *ſive* omnem terram Naphtalitarum, atque incolas abduxit in Aſſyriam. 30. Hoſea, filius Elae, facta contra Pekahum, Remaljae filium, conjuratione eum interfecit et regno potitus eſt anno viceſimo Jothami, Uſſiae [d]) filii. 31. Reliquae res geſtae Pekahi memoriae proditae ſunt in ephemeridibus regum Iſraëliticorum. 32. Anno ſecundo illius Pekahi regnum Judae capeſſivit Jothamus, Uſſiae filius, 33. annos natus quinque et viginti. Sedecim vero annos regnavit Hiéroſolymae. Matrem habuit Jeruſam, Sadoki filiam. 34. Vixit ex voluntate Jovae plane, ſicuti Uſſia, pater ejus, fecerat. 35. Tantum loca excelſa non ſublata erant, hinc populus in eis ſacrificabat et ſuffitum faciebat. Hic Jothamus aedificavit portam templi Jovae ſuperiorem. 36. Reli-

d) Sic h. l. et in ſequenti verſu 32. vocatur, qui antea Aſarja dictus eſt. Plerique interpretes exiſtimant, utrumque nomen ei fuiſſe. Sed *Grotius* verum nomen putat fuiſſe עֻזִּיָּה, quod, antequam Dageſch, compendium ſcriptionis, inventum fuerit, ſcriptum ſit עוזיה, in qua ſcriptione littera ז ſecunda in ר mutata ſit ob formae vicinitatem. In libris Chronicorum עזיה ſcribitur, et *Joſephus*, qui utrosque libros legit, eum ſemper *Ὀζίαν* vocat.

liquae res geſtae ejus litteris conſignatae ſunt in annalibus regum Judaicorum. 37. Illis temporibus permiſit Jova, ut Rezin, rex Syriae, et Pekahus, Remaljae filius, Judaeam invaderent. 38. Jothamus, cum mortuus eſſet, ſepultus eſt apud majores ſuos in urbe Davidis, progenitoris ſui. Succeſſorem habuit Ahaſum filium.

CAPUT XVI.

Ahaſus, rex Judae, idololatriae deditus obſidetur a regibus Syriae et Iſraëlis. Auxilium petit a rege Aſſyriae, quod etiam impetrat 1—9. Aram exſtruit in templo Jovae Hieroſolymae ad exemplar arae Damaſcenae, in qua ſacrificat, aliasque mutationes facit in vaſis ſacris templi. Succedit ei Hiskias filius 10—20.

1. Anno ſeptimo decimo Pekahi, filii Remaljae, regnum Judaicum iniit Ahaſus, Jothami filius, 2. quinto et viceſimo aetatis ſuae anno. [a]) Sedecim annos regnavit Hieroſolymae. Tantum abſuit, ut vitam ſuam Jovae probaret ad exemplum Davidis, progenitoris ſui, 3.

---

a) In textu quidem legitur tantum viceſimo, ſed errorem h. l. in numero annorum irrepſiſſe, jam a pluribus interpretibus eſt obſervatum. Etenim cap. 18, 2. narratur, Hiskiam, Ahaſi filium, regnandi initium feciſſe anno aetatis viceſimo quinto. Ejus pater regnavit tantum annos ſedecim, et mortuus eſt annos natus triginta et ſex. Hiskiam igitur filium genuerit neceſſe eſt annos natus undecim. Quod probabile reddere ſtuduerunt interpretes conquirendis exemplis praematurae pubertatis in regionibus inprimis calidioribus non inauditae. Quidquid ſit, malim admittere h. l. errorem ſcribarum, cujus indicium nobis faciunt antiqui interpretes ad 2 Chron. 28, 1., ubi *οἱ ὁ*, Syrus et Arabs habent: *annos natus erat viginti quinque Ahas, cum regnum capeſſeret.* Mortuus igitur eſt anno aetatis *quadrageſimo primo*, et Hiskiam genuit annos natus *quindecim*. Quae omnium facillima mihi videtur horum locorum conciliatio.

3. ut potius mores regum Iſraëliticorum imitaretur. Atque adeo filium ſuum immolavit, cujusmodi ſcelera gentes commiſerant, quas Deus ante Iſraëlitas ejecerat. 4. In locis excelſis, in collibus, ſub quavis arbore opaca ſacrificabat et ſuffitum offerebat. 5. Tunc Rezin, rex Syriae, et Pekahus, Remaljae filius, rex Iſraëlitarum, bello aggreſſi ſunt Hieroſolymam atque Ahaſum oppugnarunt, ſed non poterant *urbem* capere. (6. Eodem tempore reſtituit Rezin, rex Syriae, Elatham Idumaeis, [b]) ejectis Judaeis. Igitur illi oppidum recuperarunt, quod ad hunc usque diem inhabitant.) 7. Miſit enim Ahaſus legatos ad Tiglathpileſerum, regem Aſſyriae, qui ab eo peterent, ut veniret et ſe ei prorſus addictum et deditum defenderet a regibus Syriae et Iſraëlis, adverſariis ſuis. 8. Simul ei muneris loco miſit omne argentum et aurum, quod quidem in templo Jovae et arce regia potuit inveniri. 9. Annuit votis Ahaſi rex Aſſyriae atque aggreſſus eſt Damaſcum, quam cepit et incolas Kiram abduxit, Rezinem vero interfecit. 10. Quo facto Ahaſus obviam profectus eſt Tiglathpileſero, regi Aſſyriae, Damaſcum. Ibi cum videret aram, mi-

b) Res ipſa facile perſuadet, pro לארם *Syris* legendum eſſe לאדם *Edomitis*. Erat enim Elatha ad mare rubrum ſita oppidum ditionis Edomiticae, quod rex Syriae antiquis ſuis poſſeſſoribus reſtituit, qui contra Judaeos arma ceperant, uti docemur 2 Chron. 28, 17. Ipſi Maſorethae obſervarunt, pro ארומים legendum eſſe אדומים. Quam emendationem priori etiam ארם adſcribere debuiſſent. Sed error hic jam ſatis antiquus eſt. Nam ſic quoque verſiones antiquae, hinc mirum non eſt, *Kennicotti* codices quoque conſentire. Verum pro altera voce ארומים multi hanc veriorem lectionem, aliique non pauci accuratiorem quoque ſcriptionem ſine Vau exhibent. Item in מאילות in 26 codd. rectius Vau eſt omiſſum.

misit ejus exemplar et imaginem, quae ejus structurae plane respondebat, ad Uriam sacerdotem. 11. Hic exstruxit aram prorsus ad illud simulacrum ei a rege Damasco missum, antequam ille inde rediret. 12. Cum rediisset et aram vidisset *Damascenae illi prorsus similem*, sacra in ea fecit. 13. Adolevit nempe in ea holocaustum suum et fertum, effudit libamen, et sparsit sanguinem sacrificii sui eucharistici super illa ara. 14. Aram vero Jovae aeneam removit *e loco*, *in quo* in templo posita erat, nempe inter illam aram *novam* et inter sanctuarium, eamque collocavit ad latus illius *novae* arae septentrionale, 15. et praecepit Uriae sacerdoti, ut super hac magna ara offerret holocaustum matutinum et fertum vespertinum, nec non suum holocaustum cum ferto suo, et omnia omnino populi holocausta cum fertis suis et libaminibus. In hac quoque spargeret sanguinem omnium solidorum aliorum sacrificiorum. De ara autem aenea velle se deinceps cogitare. 16. Fecit Uria sacerdos omnia, quae rex ei mandaverat. 17. Deinde quoque abscidit bases cum areolis, et labra ab eis removit. Quod idem fecit cum lacu *aeneo*, quem e bubus ei subjectis ablatum posuit in pavimento lapideo. [c]) 18. Tectum etiam sabbati, [d]) quod in

---

c) De his vasis sacris vid. 1 Reg. 7, 28. seqq.

d) מוּסַךְ הַשַּׁבָּת quid sit, prorsus incertum est; praeter h. l. non legitur. *Oi ὁ* vertunt: *τὸ θεμέλιον τῆς καθέδρας*, quasi legissent מוֹסַד הַשֵּׁבֶת *fundamentum sellae*, sed hoc aeque obscurum. Vulgatus vocabulum Hebr. retinuit: *Musach quoque sabbati*, et Syrus vertit per *domum sabbati*. Placent prae aliis, quae *Clericus* habet: Si licet, ex antecedentibus verbis con-

in templo aedificarant, et introitum regis exteriorem e) in templum transtulit propter regem Assyriae. 19. Reliquae res gestae Ahasi memoriae proditae sunt in annalibus regum Judae. 20. Post mortem sepultus est apud majores suos in urbe Davidis. Successit ei Hiskias filius.

CAPUT XVII.

Hoseas, rex Israëliticus, a rege Assyriae, cui tributarius erat, propter rebellionem, quam parabat, in captivitatem una cum populo decem tribuum trans Euphratem abducitur 1—6. Quod judicium divinum vindicatur 7—23. Novae coloniae, e gentibus ductae in terram Israëliticam, patriam suam superstitionem et idololatriam cum cultu Jovae conjungunt 24—41.

1. Anno duodecimo Ahasi, regis Judae, regnare coepit Hoseas, Elae filius, Samariae in Israëlitas. Regnavit autem omnino novem annos. 2. Offendit quidem Jovam, sed non tam, quam alii Israëlitarum reges, qui eum antecesserant. 3. Hic Hoseas a Salmanassare, Assyriae rege, subactus, eique tributarius factus fuerat. 4. Deinde vero ab eo defecit. Misit enim legatos ad Soum, regem Aegypti, neque annuum tributum illi pependit. Propterea eum rex Assyriae vinxit et in carceres conjecit. 5. Nam cum terram *Israëli-*

conjicere, crediderim, fuisse aeneas laminas, quibus tecta erat porticus quaedam, aut area, in quam die sabbati convenire solebat populus, quas vendidit aut tradidit Ahasus Assyriorum regi, ut bases concharum et labri aenei.

e) Aeque incertum est, quid fuerit, ac praecedens. Fortasse vestibulum fuit, quod, cum aere tectum ornatumve esset, dirutum est, ut aes traderetur Assyriae regi, aut venderetur. Simile quid fecisse legimus Hiskiam cap. 18, 16.

eliticam invasisset, aggressus quoque est Samariam, eamque per tres annos obsedit, 6. tandemque anno nono Hoseae regis cepit. Israëlitas transtulit in Assyriam, eisque sedes assignavit in Chalachene ad Chaboram, fluvium Gosanitidis, et in urbibus Mediae. — 7. Nam Israëlitae peccaverant contra Jovam, Deum suum, qui tamen eos ex Aegypto eduxerat ab oppressione Pharaonis, regis Aegypti, vindicatos, et alios Deos coluerant. 8. Instituta gentium, quas Jova ante eos ejecerat, et regum suorum sectati sunt. 9. Ausi sunt cum Jova, Deo suo, contendere [a]) modis plane indignis. Sacella sibi exstruxerunt in omnibus oppidis cum parvis tum magnis. [b]) 10. Collocarunt statuas et simulacra [c]) passim in collibus altis et sub arboribus frondosis, 11. ibique suffitum fecerunt, sicuti gentes, quas Jova ante eos ejecerat. Turpissima scelera commiserunt, quibus Jovam irritarunt. 12. Idola coluerunt, quod tamen eis Jova severe interdixerat. 13. Et quanquam hic eos, cum Israëlitas, tum Judaeos, per complures prophetas obtestatus fuerat, ut missis pravis suis moribus observarent ejus praecepta et statuta lege illa comprehensa, quam majoribus eorum dedisset, et quae iis

a) Sic verto יְחַשֵּׂאוּ ex significatione tertiae conjugationis verbi Arab. حَفِيَ; vid. *Golius* p. 635.

b) Hebr. *a turre custodum usque ad oppidum munitum*, est dictio proverbialis. *Turres* intelliguntur, quae aedificari solebant in agris ad fructus custodiendos; cf. cap. 18, 8., ubi eadem forma loquendi.

c) אֲשֵׁרִים h. l. non sunt *luci*, nam dicuntur fuisse sub arboribus frondosis; sed *simulacra*, ut 1 Reg. 14, 15.

iis per miniſtros ſuos, prophetas, juſſiſſet: 14. tamen non morem geſſerunt, ſed obdurarunt cervicem ſuam, ſicuti eorum majores, qui etiam Jovae, Deo ſuo, non crediderant. 15. Contemſerunt ejus ſtatuta et foedus, quod cum eorum majoribus pepigerat, et doctrinam, quam ab eo acceperant. Vana idola ſectantes ipſi vani facti ſunt, gentibus finitimis dediti, a quarum moribus tamen eos Jova fuerat dehortatus. 16. Verum illi repudiatis omnibus Jovae, Dei ſui, praeceptis, duos vitulos fuſos ſibi fecerunt et ſimulacrum Aſtorethae, adorarunt, aſtra coeleſtia, coluerunt Baalem, 17. liberos ſuos combuſſerunt, divinationibus et auguriis uſi ſunt; atque data opera id modo egerunt, quo iram Jovae provocabant. 18. Propterea quoque hic vehementer commotus eos repudiavit, una tantum tribu Juda relicta. (19. Quanquam neque Judaei praeceptis Jovae, Dei ſui, obtemperarunt, Iſraëlitarum inſtituta ſectantes.) 20. Rejectos a ſe Iſraëlitas Jova affligi paſſus eſt a praedonibus, quibus eos tradiderat, donec eos plane repudiaret. 21. Poſtquam enim a gente Davidica ſeceſſionem fecerant, regem ſibi crearunt Jerobeamum, Nebati filium, qui eos a Jova avertit [d]) et gravi ſcelere obſtrinxit, 22. in quo

d) Duplex eſt h. l. in codd. Hebr. lectio. Altera textualis eſt וַיִּדַּח varie tentata a viris doctis. *Cappellus* quidem in crit. ſ. lib. III. cap. 10. ſect. 6. deducit a דאה *volare*, et dictum eſſe putat pro יַדְאֶה, *fecit avolare*, יָדָא, quod recte ab aliis eſt rejectum. *Simonis* confert Arab. نأى *depulit, propulit.* Melius fortaſſe, ſi lectio textualis defendi debet, poſſet conferri نَدَأَ *terruit, deterruit*, a quo, ſi, litteris et punctis ſervatis, וַיִּדַּח deduceretur, Hiph. eſſet. At altera lectio marginalis יַדַּח praefe-

quo etiam perſeverarunt, nunquam ab eo deſiſtentes, 23. donec eos Jova, quod ſaepe per prophetas, miniſtros ſuos, minatus fuerat, repudiavit atque e terra ſibi ſacra in Aſſyriam transferri paſſus eſt. Quae eorum captivitas etiamnum durat. — 24. Deduxit autem rex Aſſyriae e Babylone, Cutha, Avva, Hamatha et Sepharvaimis coloniam, cui ſedes Iſraëlitarum in oppidis Samariae aſſignavit. Quas cum coloni occupaſſent, 25. accidit, ut paullo poſt Jova, cujus nullam cognitionem religioſam habebant, leones inter eos mitteret, qui *complures* ex eis interficerent. 26. Igitur narratum eſt regi Aſſyriae, colonos in oppida Samariae deductos, quoniam ignorarent, quà ratione Deus illius regionis colendus eſſet, a leonibus ab eo immiſſis trucidari. 27. Tum juſſit rex Aſſyriae, ut eo mitteretur unus ex ſacerdotibus deportatis, qui ibi habitaret e) doceretque colonos, qua ratione Deum illius regionis colere deberent. 28. Venit igitur unus ſacerdotum, quos Samaria deportaverant;

 at-

ferenda videtur, quae derivanda eſt a נדח, quod proprie dicitur *de ovibus, quae a grege aberrant*, hinc idem eſt, quod תעה, cum quo etiam permutatur Deut. 22, 1. coll. Exod. 23, 4. Sic recte *oi ó* per ἐξέωσεν, *depulit*. Syrus vero et Chaldaeus per אטעי *errare fecit*, h. e. ſeduxit. *Kennicottus* pro lectione marginali 18 codd. citavit.

e) Pro plurali וַיֵּלְכוּ וַיֵּשְׁבוּ fingularem וַיֵּלֶךְ וַיֵּשֶׁב eſſe legendum, partim contextus docet, nam ſermo eſt de uno ſacerdote mittendo, partim interpretes Syrus et Vulgatus. *Oi ó* omittunt illa verba: *unum ex ſacerdotibus deportatis*; ſed parum accurate; nam in ſequenti verſu pro more repetuntur. Scribae error venit haud dubie ex eo, quod littera Vau ſequentem vocem incipiebat, hinc eam bis ſcripſit et ſic ſequens verbum priori in numero accommodavit.

atque Bethele habitavit, eosque in cultu Jovae praestando instituit. 29. Sed singuli ex singulis gentibus in oppidis, quae habitabant, fecerunt sibi singulos Deos, quos in sacellis excelsorum a Samaritanis exstructis collocarunt. 30. Sic Babylonii fecerunt Succothbenotham, Cuthenses Nergalem, Hamathenses Asimam, 31. Avvaei Nibhasum et Tartakum, Sepharvaei igne combusserunt liberos suos Adrammelecho et Anammelecho, Diis suis, 32. et tamen quoque Jovam coluerunt. Sacerdotes autem locorum excelsorum elegerunt ex se ipsis, qui sacra curabant in sacellis locorum excelsorum. 33. Sic cultum Jovae cum cultu suorum Deorum conjunxerunt pro more gentium, e quibus erant translati. 34. Atque hos ritus pristinos ad hunc usque diem servant, non colunt *unum* Jovam, nec *tantum* ejus instituta et ritus, legem aut praecepta servant, quae posteris Jacobi (cui nomen Israëlis dederat) praescripsit. 35. Jova quidem cum illis foedus pepigerat, cujus hae erant conditiones: ne timerent Deos peregrinos, neque eos adorarent, colerent, aut eis sacrificarent; 36. tantum se, Jovam, revererentur, qui eos ex Aegypto magna virtute et insigni potentia eduxisset, hunc *solum* timerent, adorarent, eique sacra facerent, 37. hujus statuta, ritus, legem et praecepta summo studio semper observarent, alios Deos non metuerent; 38. foederis cum eis percussi nunquam oblivisserentur; Deos alios non vererentur, 39. nam si Jovam tantum timerent, hunc eos ab omnibus hostibus esse defensurum. 40. Sed non obtemperarunt, prouti antea semper

per fecerant. 41. *Sic quoque* gentes istae Jovam quidem timuerunt, verum simulacra quoque sua coluerunt, atque ad hoc majorum suorum exemplum filii et nepotes eorum etiamnum se gerere solent.

CAPUT XVIII.

Hiskias, rex Judae optimus, ab initio felix 1—8, mox a Sanheheribo, Assyriae rege, obsidetur, quem frustra muneribus oblatis placare studet 9—16. Contumeliosa Rabsacis, legati Assyriae regis, ad legatos Hiskiae oratio 17—37.

1. Anno tertio Hoseae, filii Elae, regis Israëlitici, regnare coepit in Judaea Hiskias, filius Ahasi. 2. Quintum et vicesimum [a]) annum agebat, cum regnum capesseret, cui undetriginta annos Hierosolymae praefuit. Nomen matris erat Abi, filia Secharjae. 3. Hic fecit, quae Jovae probabantur, prorsus ad exemplum Davidis, progenitoris sui. 4. Sustulit loca excelsa, fregit statuas, exscidit simulacrum Astorethae, [b]) contudit serpentem aeneum, quem Moses fecerat, quoniam ei Israëlitae suffitum offerebant. Appellabant eum Nehustan. [c]) 5. Jovae, Deo Israëlis, confisus est. Nec ullus regum Judae, qui eum vel praecessit, vel secutus est, potest cum eo comparari. 6. Jovae adhaesit, nec ab eo recessit, ejusque legem per Mosen latam ob-

a) Cf. observat. ad cap. 16, 2.

b) Pro הָאֲשֵׁרִים in singulari omnes interpretes antiqui pluralem legerunt, quem etiam exhibet codex 21. *Kennicotti.*

c) Placet explicatio nominis, quam *Simonis* dedit, vocem compositam esse ex נְחֹשֶׁת *aes* et נָחָשׁ *draco* s. *serpens*, ut ita κατ' ἐξοχὴν *serpens aeneus* dictus sit.

obſervavit. 7. Igitur quoque Jova ei adfuit, ejusque conatibus omnibus proſperum largitus eſt ſucceſſum. Excuſſit jugum [d]) regis Aſſyriae, nec amplius voluit ei eſſe tributarius. 8. Percuſſit Philiſtaeos usque ad Gazam ejusque confinia, cepitque omnia oppida [e]) cum parva tum magna. — 9. Anno quarto regis Hiskiae, qui eſt ſeptimus Hoſeae, filii Elae, regis Iſraëlitici, aggreſſus eſt Salmanaſſer, rex Aſſyriae, Samariam, eamque oppugnatam 10. cepit poſt tres annos, qui eſt Hiskiae ſextus, Hoſeae vero nonus. 11. Deportavit Iſraëlitas in Aſſyriam, ſedesque eis aſſignavit in Chalachene ad Chaboram, fluvium Goſanitidis, et in urbibus Mediae. 12. *Cujus exſilii cauſa fuit*, quod voluntati Jovae, Dei ſui, noluerant obtemperare et foedere ejus violato nihil eorum, quae eis per Moſen, miniſtrum ſuum, praeceperat, praeſtiterant aut fecerant. [f]) — 13. Anno quarto decimo regis Hiskiae aggreſſus eſt Sanheribus, rex Aſſyriae, urbes Judaeae munitas, easque cepit. 14. Tum Hiskias miſſis ad eum legatis culpam a ſe commiſſam eſſe faſſus eſt, petiitque, ut modo recederet, ſe facturum eſſe, quicquid imperaret. Atque cum rex Aſſyriae trecenta argenti et triginta auri talenta imperaſſet, 15. dedit Hiskias omne argentum, quod tum in templo Jovae, tum in the-

d) Hebr. *rebellavit in regem Aſſyriae.* Sed quoniam hoc in laudibus Hiskiae h. l. ponitur, mitiorem ſenſum in verſione poſui.

e) Cf. obſervat. ad cap. 17, 9.

f) Repetita haec, quae jam cap. praeced. v. 5. et 6. narrata ſunt, videntur propter ſimilem expeditionem Sanheribi in Judaeam, de qua in ſequentibus exponitur.

thesauris regiae reperiebatur. 16. Tum avulsit quoque januis templi et postibus *laminas* aureas, quibus eas ipse obtexerat, g) deditque aurum illud regi Assyriae. 17. Attamen hic misit Tartanem et eunuchorum principem et Rabsacen Lachise ad regem Hiskiam cum magno exercitu Hierosolymam. Quo cum venissent et constitissent ad aquaeductum piscinae superioris, quae est in via campi fullonum, 18. clamarunt ad regem. Tunc egressi sunt ad eos Eliakimus, Hilkiae filius, praefectus palatio, Sebna scriba, et Joahus, Asaphi filius, cancellarius. h) 19. Hos Rabsaces sic est allocutus: Dicite Hiskiae nomine regis magni, regis Assyriae: Quaenam est ista fiducia tua? 20. Jactas quidem verba ista futilia, non deesse tibi neque prudentiam, neque vires ad bellum gerendum. At enimvero cui confidis, ut rebellare adversus me audeas? 21. Novi quidem, te confidere baculo isti arundineo conquassato, nempe Aegypto, cui si quis innitatur, ei manum perforat. Talis enim est Pharao, rex Aegypti, omnibus, qui ei confidunt. 22. Quodsi mihi dicitis: In Jova, Deo nostro, spem nostram ponimus. — Nonne is est ille Deus, cujus sacella et aras Hiskias destruxit, aliam Judaeis et Hierosolymae incolis aram commonstrans, coram qua adorare debeant? 23. Audesne spondere domino meo, regi Assyriae, si tibi duo millia equorum dedero, totidem equites sistere posse? 24. Ne uni quidem praefecto domini mei vel minimo potes resistere. Sed confidis Ae-

g) Cf. 2 Chron. 29, 3.

h) Cf. versio nostra prophetarum majorum Jes. 36. et seq. cap.

Aegyptiorum curribus et equitatu. 25. Praeterea non sine Jovae voluntate hanc expeditionem facio ad hanc terram bello vastandam. Jova jussit, ut eam aggrederer et destruerem. 26. Tum Eliakimus, Hilkiae filius, Sebna et Joahus rogarunt Rabsacen, velit Aramaeice loqui, se enim hanc linguam intelligere, non Judaice, propter milites, qui in muro sint. 27. Hic vero respondit: Num putatis, me a domino meo missum esse, ut cum domino vestro et vobiscum his de rebus agerem, et non potius cum militibus istis, qui murum tenent et vobiscum merdam suam comedere et urinam bibere cogentur? 28. Quibus dictis magna voce Judaice clamavit: Audite, quae rex magnus, rex Assyriae, dicit: 29. Ne vos, inquit, decipiat Hiskias; non potest vos defendere. 30. Neque vobis persuadeat, ut Jovae fidatis, quasi hic vos sit defensurus, neque hanc urbem mihi traditurus. 31. Nolite his Hiskiae dictis fidem habere; sed facite mecum pacem, inquit rex Assyriae, et tradite vos, tunc cuique vitis et ficus suae fructibus vesci et ex cisterna sua aquam bibere licebit, 32. donec vos in terram vestrae similem transferam, in terram frumento et musto abundantem, panis et vinearum fertilem, olei et mellis feracem. Sic saluti vestrae prospicietis. Ne audiatis Hiskiam, nam vos spe liberationis a Jova impetrandae fallit. 33. Num Dii gentium suas terras a mea potentia defendere potuerunt? 34. Ubi sunt Dii Hamathenses et Arpadenses? Ubi Dii Sepharvaeorum, Henae et Ivvae? Num Samariam contra me defendere potuerunt? 35. Quinam istarum regionum omnium

um Deus suam terram contra me defendere valuit? Et Jova hoc pro Hierosolyma praestaret? 36. Ad haec siluerunt et ne verbum quidem regesserunt, sicuti rex eis jusserat. 37. Tunc redierunt Eliakimus, filius Hilkiae, praefectus palatio, Sebna scriba et Joahus, Asaphi filius, cancellarius, ad Hiskiam scissis vestibus, et retulerunt, quae Rabsaces dixerat.

CAPUT XIX.

Hiskias missis ad Jesaiam legatis ejus intercessionem apud Deum petit, qui quoque auxilium divinum promittit 1 — 7. Rex Assyriae nova legatione ad Hiskiam missa traditionem suadet, ob quam hic denuo auxilium Jovae implorat, quod ei quoque per Jesaiam uberius promittitur 8 — 34., et praestatur clade exercitui Sanheribi immissa, ob quam hic Niniven redit et a suis filiis interficitur 35 — 37.

1. Quibus auditis Hiskias scissis vestibus et cilicio amictus templum Jovae adiit. 2. Eliakimum vero, praefectum palatio, Sebnam, qui ei erat ab epistolis, et seniores sacerdotum omnes vestitu lugubri indutos misit ad Jesaiam, Amosi filium, prophetam, 3. qui ei suo nomine dicerent: Tempus hoc est valde afflictum, quo contumelia et ignominia afficimur. In summo periculo versamur, nec vires nobis sunt ad illud avertendum. 4. Fortasse ulciscatur Jova, Deus tuus, sermones Rabsacis a rege Assyriae missi perquam contumeliosos, quibus Deo immortali est conviciatus, quos ille non ignorat. Intercede igitur precibus pro reliquis, qui adhuc supersunt. — — 5. Postquam aulici regis Hiskiae haec apud Jesaiam exposuerant, 6. hic eis hunc

in

in modum respondit: Dicite domino vestro: Jova jubet, ut omnem metum deponas propter ista convicia, quibus me proscidisse regis Assyriae ministros audivisti. 7. Ego enim efficiam, ut audito rumore quodam consilium capiat redeundi in terram suam, ibique gladio interficiatur. — 8. Rabsaces autem reversus regem Assyriae in oppugnanda Libna occupatum invenit. Nam eum castra ex Lachise movisse audierat. 9. Cum vero audivisset, Tirhakam, Aethiopiae regem, sibi bellum illaturum esse, iterum misit legatos ad Hiskiam, qui ei dicerent: 10. Ne te decipi patiare a Deo tuo, a quo speras impediri posse, quo minus Hierosolyma in meam veniat potestatem. 11. Nosti, reges Assyriae omnes istas regiones evertisse, et tu evades? 12. Num Dii gentium, quas majores mei perdiderunt, eas defendere potuerunt, Gosanenses, Haranenses, Resephenses et Edenses, qui sunt in Telassare? 13. Ubinam sunt rex Hamathi, rex Arphati, rex Sepharvaeorum, Henae et Ivvae? — 14. Cum vero Hiskias has litteras a legatis accepisset et legisset, templum Jovae est ingressus, atque illis coram Deo explicatis 15. hunc in modum precatus est: O Jova, omnipotens Israëlitarum Deus, qui sedes super cherubis, qui solus omnium regnorum Deus es, qui coelum et terram condidisti, 16. aurem praebe, o Jova, et audi! aperi oculos, o Jova, et vide! audi, quomodo Sanheribus per legatos suos tibi, immortali Deo, sit conviciatus. 17. Verum quidem est, o Jova, perdiderunt Assyriae reges istas gentes earumque terras, 18. imo Deos earum in ignem abjecerunt; at non fuerunt Dii, verum ope-

opera manuum humanarum, lignei, lapidei, hinc eos potuerunt destruere. 19. Tu vero, o Jova, serva nos ab eo, ut omnia terrarum orbis regna intelligant, te solum Jovam esse. — — 20. Tum Jesaias, Amosi filius, misit nunciatum Hiskiae: Haec dicit Jova, Israëlitarum Deus: Ad preces, quas de Sanheribo, Assyriae rege, ad me fecisti, 21. hoc habeas a me responsum: Spernit te, *Sanheribe*, irridet te Sion, caput post te motitat Hierosolyma. 22. Quem opprobrio afficis? Cui conviciaris? Contra quem superba voce clamas? Israëlitarum numen alto supercilio despicis. 23. Per tuos legatos conviciis proscidisti Dominum, quando dixisti: Ego cum curruum meorum multitudine [a]) montium fastigia occupavi, cacumina Libani, prostravi cedros ejus proceras, abietes ejus praestantissimas, penetravi ad summam ejus altitudinem, [b]) ad silvam ejus amoenissimam, 24. ego fodi et bibi aquas; jam exsiccabo progrediendo Aegypti flumina. — 25. Tune audivisti, me jam pridem hoc decrevisse, indeque a longo tempore praeparasse? Jam vero ea adduco, nimirum ut tu urbes munitas in acervorum ruinas redigas, 26. ut earum incolae sint imbelles, consternati, pavidi, ut similes sint herbis agrestibus, stirpibus germinantibus, gra-

---

a) Sic verto lectionem marginalem ברב, quae quoque exstat Jes. 37, 24., et quam h. l. quoque versiones omnes antiquae et plus quam quadraginta codd. *Kennicotti* exhibent. Nec tamen inepta est lectio textualis ברכב רכבי *vectus curru meo.*

b) In textu est מְלוֹן, pro quo in loco parallelo Jes. 37, 24. legitur מָרוֹם. Illud significat *locum, quo pernoctatur, hospitium*, id quod huic loco minime convenit. Quamobrem sine dubio מָרוֹם lectio praeferenda est.

gramini in tectis, ut ſeges tacta uredine, antequam excreverit in culmum. 27. Sed novi ego tua conſilia tuosque conatus omnes, tuamque adverſus me inſolentiam. 28. At enimvero, cum tanta ſit tua adverſus me jactantia, iſtaque tua fiducia me non lateat, hamum naribus tuis injiciam, frenumque labiis tuis, teque reducam eadem illa via, qua veniſti. — 29. Haec vero tibi (*Hiskia*) ſigni loco dicta ſint: Edite hoc anno ſponte natum; itemque ſequenti anno fruges arborum, tertio vero anno ſerite et metite, plantate vineas, earumque fructibus veſcimini. 30. Illi enim, qui ex vobis hanc calamitatem evaſerunt, conſtanti et perpetua felicitate fruentur. 31. Immo ex Hieroſolyma prodibunt, ex Sione eis exitus patebunt. Ego Jova omnipotens hoc pro impenſo meo erga vos amore praeſtabo. 32. Etenim promitto, regem Aſſyriae hanc urbem non eſſe ingreſſurum, ne ſagittam quidem in eam eſſe jaculaturum, aut ſcutis aggreſſurum, aut aggerem obſtructurum. 33. Qua venit via, eadem revertetur, hanc urbem non ingredietur, inquit Jova. 34. Protegam enim et ſervabo eam propter me et propter Davidem, cultorem meum. — 35. Atque hac ipſa nocte proſtravit angelus Jovae in caſtris Aſſyriorum centum et octoginta quinque millia hominum. Poſtridie igitur *reliqui* tot cadavera videbant. 36. Tum Sanheribus, rex Aſſyriae, caſtris motis rediit Niniven. 37. Ibi, cum in aede Niſrochi, Dei ſui, adoraret, ab Adrammelecho et Sarezero, filiis ſuis, gladio eſt interfectus. Qui cum fuga in Armeniam evaſiſſent, in regno ei ſucceſſit filius Aſſarhaddon.

CA-

CAPUT XX.

Hiskiae aegrotanti Jesaias mortem praedicit, sed ad preces ejus vitae prolongationem nomine Dei promittit, atque hanc promissionem ei confirmat miraculo in horologio edito 1—11. Idem, cum occasione legationis regis Babylonici fastum prodidit, reprehenditur propterea a propheta jussu Dei. Post mortem succedit ei Manasse filius 12—21.

1. Eodem illo anno lethali morbo correptus est Hiskias. Quem convenit Jesaias, Amosi filius, eique nomine Jovae dixit: Conde testamentum, morieris, non convalesces. 2. Tum Hiskias facie ad parietem conversa Jovam his verbis precatus est: 3. Memor sis, o Deus, vitae tibi actae animo pio et integro, et quantopere tibi tantum placere studuerim. Simul ei lacrimae copiose manant. 4. Tum Jesaiam, qui nondum ad medium atrium [a]) processerat, Jova sic est allocutus: 5. Revertere, et dic Hiskiae, principi populi mei: Sic fatur Jova, Deus Davidis, progenitoris tui: Audivi preces tuas, vidi lacrimas. En! sanabo te, tertio abhinc die templum meum adibis. 6. *Praeterea* addam vitae tuae quindecim annos, atque te et hanc urbem a rege Assyriae defendam. Protegam enim eam propter me et propter Davidem, cultorem meum. 7. Tum jussit Jesaias, ut massam ex ficubus praeparatam ulceri imponerent. Quo facto rex convaluit. 8. Postulaverat

a) Lectio textualis habet quidem העיר, sed marginalis חצר, atque hanc quoque expresserunt omnes antiqui interpretes, et praeterea quoque viginti codd. *Kennicotti*. Illa videtur tantum errore scribarum litteras non valde dissimiles mutantium orta esse, cum ne quidem commodam admittat explicationem, neque satis doceri possit, quaenam illa urbs media fuerit; cf. *Hubigantius*.

rat autem Hiskias ſignum a Jeſaia, *ex quo cognoſceret*, Jovam ſe eſſe ſanaturum, et ſe tertio die poſt Jovae templum eſſe aditurum. [b]) 9. Reſpondit Jeſaias: Hoc ſignum habeto a Jova, quod hic facturus ſit id, quod tibi promiſit: Visne, umbram *horologii* decem gradibus progredi, an decem gradibus regredi? 10. Facile eſt, inquit Hiskias, umbram decem gradibus inclinari, velim igitur, ut totidem gradibus retrocedat. 11. Tunc precatus eſt Jeſaias propheta ad Jovam, et receſſit umbra decem gradibus, quos proceſſerat in ſcala Ahaſi. — 12. Paullo poſt miſit Merodachus Baladan, *) filius Baladanis, rex Babylonicus, litteras et munera ad Hiskiam, de cujus morbo audierat. 13. Qua de re Hiskias valde laetatus eſt, [c]) atque oſtendit legatis gazophylacium, argentum et aurum, aromata et oleum pretioſum, armamentarium, et omnino omnia, quae in theſauris ſuis habebat. Nihil erat neque in palatio ſuo, neque in univerſo regno ſuo, quod eis non oſtendiſſet. 14. Quo facto Jeſaias propheta regem Hiskiam convenit, atque ex eo quaeſivit, quid ſibi voluiſſent iſti homines, et undenam veniſſent? Reſpondit Hiskias: E regione perquam remota venerunt, e Ba-

b) Cf. obſervat. ad Jeſ. 38, 8.

*) II. l. rex appellatur בְּרֹאדַךְ בַּלְאֲדָן; antiquior, vero et vera hujus nominis forma eſt מְרֹדַךְ בַּ״, quae in loco parallelo Jeſ. 39, 1. et apud *Beroſum* legitur.

c) Pro lectione recepta וַיִּשְׁמַע, *et audivit*, in loco parallelo Jeſ. 39, 2. legitur וַיִּשְׂמַח, et ſic quoque omnes antiqui interpretes praeter Chaldaeum atque octo codd. *Kennicotti* habent. Error ſcribae ex שמע, quod tres voces praecedit, facile potuit oriri.

Babylone. 15. Tum ille: Quid viderunt apud te? Et hic: Omnia, quae habeo, inquit. Nihil eſt in theſauris meis, quod eis non oſtendi. 16. Tum Jeſaias Hiskiae dixit: Audi, quod Jova ait: 17. Futurum eſt, ut omnia, quae in palatio tuo ſunt, et quae majores tui huc usque congeſſerunt, Babylonem transferantur, nec quidquam relinquatur. 18. De filiis vero tuis ex te ortis nonnulli in palatio regis Babylonis in aulicorum numero erunt. 19. Reſpondit Hiskias Jeſaiae: Acquieſco in voluntate Jovae, quam mihi indicaſti, dummodo meis temporibus pax ſit et fides ſervetur. 20. De reliquis Hiskiae rebus et praeclare factis, de piſcina et aquaeductu, quo aquam in urbem derivavit, pluribus exponitur in annalibus regum Judae. 21. Tandem diem ſuum obiit Hiskias, et in regno ſucceſſorem habuit Manaſſen filium.

CAPUT XXI.

Manaſſes, rex peſſimus, omnis generis idololatriae aliisque ſceleribus ſe committit, cui propterea per prophetas ira Dei denunciatur 1—17. Ejus filius Amon patre non melior ab hominibus ſuis interficitur. Succedit ei Joſias filius 18—26.

1. Annum agebat duodecimum Manaſſes, cum regnum iniret, quod quinquaginta quinque annos Hieroſolymae tenuit. Nomen matris ejus erat Hephzibae. 2. Jovam offendit committendo ſcelera gentium, quas Jova ante Iſraëlitas ejecerat. 3. Exſtruxit iterum loca excelſa, quae Hiskias, pater ejus, everterat. Erexit aram Baali, et fecit ſimulacrum Aſtorethae ad exemplum

plum Ahabi, regis Israëlitici, adoravit et coluit astra coelestia, 4. iisdemque aedificavit aras in templo Jovae Hierosolymae, in quo ille solus coli volverat. 5. Has aras astris coelestibus erexit in duobus atriis templi. 6. Filium suum igne combussit, [a]) auspiciis et auguriis usus est, necromantas et fatidicos instituit, atque quam plurima scelera admisit, quibus iram Jovae provocavit. 7. Simulacrum Astorethae, [b]) quod fecerat, posuit in aede, de qua Jova Davidi et Salomoni, ejus filio, promiserat, se in ea, atque Hierosolymae, quam urbem ex omnibus tribubus Israëliticis elegisset, perpetuo coli velle, 8. non commissurum se esse, ut Israëlitae e terra, quam eorum majoribus dedisset, incertis sedibus oberrarent, si modo ea studiose facerent, quae eis praecepisset, et legem per Mosen, ministrum suum, latam observarent. 9. Sed non obtemperarunt, imo Manasses eos seduxit, ut deterius se gererent, quam gentes, quas Jova ante eos perdiderat. 10. Igitur Jova per prophetas, ministros suos, haec minabatur: 11. Quoniam Manasses, rex Judae, scelera committit turpiora, quam Amoritae ante eum, atque Judaeos quoque suis idolis seduxit, 12. ego, inquit Jova, Israëlitarum Deus, adducam malum in Hierosolymam et Judaeam, ut, qui de eo audierit, ambabus auribus suis reddatur attonitus. 13. Extendam in Hierosolymam libellum Sa-

a) Sc. in honorem Molochi.

b) Non possum assentiri interpretibus, qui sub פֶּסֶל הָאֲשֵׁרָה *idolum luci* intelligunt. Nam quale hoc fuerit, vix intelligitur. Non luci colebantur, sed Dii in lucis. Ex cap. 23, 6. satis clare apparere videtur, nomen idoli אשרה fuisse, sub quo *Seldenus* de Diis Syris syntagm. II. cap. 2. Astarten intelligit.

Samariae et perpendiculum domus Ahabi. c) Detergam Hierosolymam, quemadmodum solet patina detergi et in partem suam anteriorem inverti. 14. Reliquias quoque terrae mihi sacrae deseram tradamque hostibus suis, quorum praedae et direptioni sint expositae. 15. Etenim me offenderunt et irritarunt inde ab eo die, quo ex Aegypto exierunt, usque ad hoc tempus. 16. Caedes quoque multas et varias Manasses passim Hierosolymae commisit, praeter illa scelera, quibus effecit, ut Judaei Jovam offenderent. 17. Reliquae res gestae Manassis ejusque peccata pluribus narrantur in annalibus regum Judae. 18. Post obitum suum sepultus est in horto palatii sui, in horto Ussae. Successit ei Amon filius, 19. annos natus duo et viginti. Sed biennium tantum Hierosolymae regnavit. Mater ejus fuit Mesullemeth, filia Haruzi Jotbensis. 20. Ad exemplum Manassis, patris sui, Jovam offendit, 21. cujus mores per omnia imitatus est, colens et adorans idola, sicuti ille fecerat, 22. relicto Jova, majorum suorum Deo, ad cujus normam vitam suam nequaquam instituit. 23. Hunc domi suae servi ipsius facta in eum conjuratione interfecerunt. 24. Tunc populus occisis illis, qui contra eum conjuraverant, in ejus locum regem creaverunt Josiam, ejus filium. 25. Reliquae res gestae Amonis memoriae proditae sunt in annalibus regum Judae. 26. Sepultus est in sepulcro suo in horto Ussae, et successorem habuit filium suum Josiam.

CA-

c) Phrases tropicas intellectu non difficiles retinui. Nimirum sensus est: Simili judicio in eos animadvertam et prorsus perdam et destruam, quo Samariam et familiam Ahabi perdidi.

CAPUT XXII.

Josias mandata dat de templo restaurando 1—7., quae dum curantur, inveniunt exemplar legis Mosaicae, cujus minis rex perterritus consulit prophetissam Huldam 8—13. Quae minas istas utique impletum iri dicit, sed non vivo rege 14—20.

1. Josias anno aetatis suae octavo regnum capessivit, atque unum et triginta annos Hierosolymae regnavit. Mater ejus erat Jedida, Adajae filia, Bozkathensis. 2. Fecit, quae Jovae probabantur, dum Davidem, progenitorem suum, in omnibus imitabatur, neutram in partem deflectens. 3. Postquam duodeviginti annos regnarat, misit Saphanem, filium Azaljae, nepotem Mesullami, ad aedem Jovae cum hoc mandato: 4. conveniret Hilkiam, pontificem maximum, eumque juberet numerare [a]) pecuniam illatam aedi Jovae, quam atrii custodes a populo collegissent, 5. eamque tradere opus curantibus praefectis templo, qui eam distribuerent opificibus, qui ruinas templi restaurarent, 6. nempe fabris *lignariis*, structoribus et caementariis, ad ligna et lapides caesos hunc in finem emen-

a) Lectio textus וְיַתֵּם *Clerico* et *Hubigantio* ejus conjecturam approbanti suspecta videtur. Haeret illa in significatione vulgari verbi תמם *perficere*, quasi ex hac lectione pontifex maximus jussus esset a rege *summam perficere*, cum tamen tantum juberetur pecuniae jam datae *summam cognoscere*. Atqui id ipsum etiam lectio recepta potest significare, coll. Job. 22, 3. Nec me movet, ut eam suspectam habeam, antiquorum interpretum dissensus. Nam *οἱ ὁ* vertunt: *καὶ σφράγισον*, quoniam legerunt יחתם. Vulgatus: *confletur*, idem verbum, quod vers. 9. legitur, נתך substituit. Chaldaeus habet יַסְקִיס *instruat* s. *paret*, legens fortasse וְתִכֵּן. Tandem Syrus ܢܫܠܡ, cujus versio receptae lectioni respondet. *Kennicottus* nullam codd. diversitatem in h. v. annotavit.

emendos. 7. Attamen non rationes ab eis exigebatur ſuper pecunia eis commiſſa, nam bona fide agebant. 8. Tum Hilkias, pontifex maximus, Saphani ſcribae narravit: ſe librum legis inveniſſe in aede Jovae, quem ſimul ei tradidit, ut legeret. 9. Hic, poſtquam ad regem retulerat de negotio mandato, nempe ſervos ejus numeraſſe [b]) pecuniam in templo Jovae inventam, eamque tradidiſſe operis curatoribus templi praefectis, 10. indicavit quoque regi, librum ſibi dediſſe Hilkiam ſacerdotem. In quo ubi apud regem legerat, 11. rex auditis legis verbis veſtes ſuas laceravit, 12. juſſitque Hilkiam ſacerdotem, et Ahikamum, Saphanis filium, Achborem, Michae filium, Saphanem ſcribam, et Aſajam, unum ex ſtipatoribus ſuis, 13. ire conſultum Jovam pro ſe et populo et omni Judaea de verbis hujus libri, qui repertus eſſet; nam iram Jovae in ſe *haud dubie* vehementer exarſiſſe, quoniam ipſorum majores non obtemperaſſent hujus libri verbis, ut feciſſent, quae in eo ipſis eſſent praeſcripta. 14. Igitur Hilkia ſacerdos, Ahikamus, Achbor, Saphan et Aſaja adierunt Huldam prophetiſſam, conjugem Sallumi, filii Tikvae, nepotem Harhaſi, veſtiario praefecti, quae tum Hieroſolymae habitabat, *in parte urbis, quae* Miſneh *vocabatur.* Poſtquam cum ea erant

 col-

b) Quod de exſecutione mandati aliud verbum adhibetur, quam in mandato ipſo verſ. 4., hoc quidem ſuſpicionem movere poteſt, pro הִתִּיכוּ legendum eſſe הֵתַמּוּ, ut ſic reſpondeat verbo verſ. 4. de mandato adhibito. *Clericus* in utroque loco תכן vult ſubſtitui. Quod in illo quidem minime neceſſarium videtur, uti modo obſervavi. In hoc vero num rectius prius תמם repetatur, alii judicent.

collocuti, 15. respondit eis nomine Jovae, Dei Israëlis: Dicite viro, qui vos ad me misit: 16. Adducam, sic satur Jova, calamitatem in hunc locum et ejus incolas, ea nempe omnia, quae in hoc libro, quem rex Judae legit, scripta exstant, 17. propterea, quod me relicto adoleverunt Diis peregrinis, atque omnibus suis factis me irritarunt. Igitur ira mea in hunc locum incensa est, nec exstinguetur. 18. Regi autem Judae, qui vos ad Jovam consulendum misit, haec dicite: Sic ait Jova, Deus Israëlitarum: 19. Quoniam animo molli te mihi submisisti, cum audires, quae ego huic loco ejusque incolis minatus sum, fore, ut vastarentur omniumque detestationi essent exposita, atque *hac de re* vestibus laceratis coram me flevisti, ego quoque te exaudivi, inquit Jova. 20. Nimirum colligam te ad majores tuos, tuorumque sepulcris adderis in pace, et nihil videbis de omni illa calamitate, quam ego huic loco sum allaturus.

CAPUT XXIII.

Josias cultum Jovae ad praescriptum legis Mosaicae instaurat, sublato omni cultu idololatrico, eo quoque, qui Bethele erat, quod propheta olim praedixerat 1—20. Deinde pascha celebrat ex ritu antiquo, nec tamen cum optato successu 21—28. Cadit in proelio regi Aegypti commisso. Populus ei sufficit Joahasum filium. Sed rex Aegypti, eo remoto, regem constituit ejus fratrem Jojakimum 29—37.

1. Quae postquam ad regem erant relata, hic arcessendos ad se curavit omnes Judae et Hierosolymae seniores, 2. atque cum his, ut et sacerdotibus et prophetis, et de plebe hominibus, parvis et magnis, tem-

templum Jovae adiit, ibique eis audientibus recitavit librum legis, qui in templo repertus fuerat. 3. Tunc rex ſtans ad columnam foedere obſtrinxit univerſum populum in loco ſacro, ut Jovae dediti praecepta, leges et ſtatuta ejus toto corde et animo ſervarent, atque omnes hujus foederis conditiones implerent, quae in hoc libro deſcriptae eſſent. Tunc omnis populus ſtare hoc foedere *promiſit*. 4. Quo facto rex juſſit Hilkiam, pontificem maximum, et ſecundi ordinis ſacerdotes atque atrii cuſtodes efferre ex templo Jovae omnia vaſa facta Baali, Aſtorethae [a]) et aſtris coeleſtibus, atque ea comburere extra Hieroſolymam in campeſtribus Kidronis, cinerem vero Bethelem deferre. 5. Removit ſacrificulos a regibus Judae conſtitutos, ut adolerent in locis excelſis oppidorum Judaeae et prope Hieroſolymam Baali, ſoli, lunae, planetis omnibusque aſtris coeleſtibus. 6. Sustulit quoque simulacrum Aſtorethae e templo Jovae extra Hieroſolymam ad torrentem Kidronem, ibique illud combuſſit et in pulverem comminuit, quem per ſepulcra hominum plebejorum diſperſit. 7. Porro deſtruxit conclavia cinaedorum, quae erant in templo Jovae, in quibus mulieres tentoria Aſtorethae texebant. 8. Removit omnes ſacerdotes ex oppidis Judaeae, et polluit loca excelſa, in quibus adoleverant, a Gibea usque ad Berſebam. [b]) Deſtruxit ſacella portarum [c]) *et inpri-*

mis

a) Cf. obſervat. ad cap. 21, 7.

b) H. e. per totam Judaeam, a ſeptentrione ad meridiem.

c) Quoniam בְּמֹרֹת in numero plurali legitur, in ſingulis portis *arae*, uti Vulgatus vertit, exſtructae videntur, ut intrantes et ex-

mis id, quod erat ad introitum portae Josuae, urbis praefecti, ad sinistram ei, qui portam urbis intrabat. 9. Attamen sacellorum sacerdotes non sacra fecerant in altari Jovae Hierosolymae, sed azyma inter populares suos comederant. 10. Contaminavit Tophethum, quod erat in valle filii Hinnomi, ne quis *deinceps* liberos suos Molocho immolaret. 11. Sustulit quoque equos, quos reges Judaeae soli consecraverant ad introitum templi Jovae prope conclave Nathanmelechi, aulici hominis, in Parvarim. [d]) Currus autem solis igne combussit. 12. Aras in tecto domus superioris Ahasi a regibus Judaeae positas, nec non quas Manasses in duobus atriis templi Jovae collocarat, destruxit atque inde remotas pulverem earum in torrentem Kidronem abjecit. 13. Similiter sacella e regione Hierosolymae ad dextram montis oliveti a Salomone, rege Israëlis, exstructa Astorethae Sidoniorum, Camoso Moabitarum, Milcomo Ammonitarum idolis turpissimis, contaminavit. 14. Fregit statuas, exscidit lucos, et loca ista humanis ossibus complevit. 15. Aram quoque Bethelis et sacellum, quod fecerat Jerobeamus, Nebati filius, qui Israëlitis auctor peccandi fuit, hanc quoque aram una cum

exeuntes idola, quibus arae istae dicatae erant, adorarent. Quod si est, sequens אשר praecipuam aliquam harum ararum indicat, in loco illo designato, de quo nihil amplius constat, exstructam. Sed *oi ὁ* legerunt singularem: *καὶ καθεῖλε τὸν οἶκον τῶν πυλῶν τὸν παρὰ τὴν θύραν τῆς πύλης κ. τ. λ.*, nec non Arabs.

d) Hebr. בַּפַּרְוָרִים quid significet, incertum est. Multi per *suburbium* explicant. Alii cum interpretibus antiquis habent pro nomine proprio loci, qui templo vicinus fuerit; cf. *Bochartus* in hieroz. p. I. lib. II. cap. 10. p. 175.

cum ſacello demolitus eſt, combuſſit ſacellum; et in pulverem comminuit *vitulum aureum*, lucum vero incendit. 16. Tum converſus Joſias vidit ſepulcra in monte. Miſit eo, qui oſſa ex illis ſepulcris aſferrent et comburerent ſuper illa ara, et ſic eam polluerent. Quod ipſum Jova per prophetam *olim* praedixerat. [e] 17. Deinde interrogavit, quodnam eſſet monumentum illud, quod videret? Reſponderunt oppidani: eſſe hoc ſepulcrum illius prophetae, qui ex Judaea veniſſet, atque haec, quae ipſe modo feciſſet, de hac ara Bethelenſi praedixiſſet. 18. Sinite eum, inquit *Joſias*, nemo oſſa ejus moveat. Sic ſarta tecta manſerunt ejus oſſa cum oſſibus illius prophetae, qui ex Samaria venerat. 19. Praeterea quoque ſacella locorum excelſorum in *aliis* Samariae oppidis, quae reges Iſraëlitici exſtruxerant, atque iis *Jovam* irritarant, Joſias ſuſtulit, idemque prorſus eis fecit, quod Bethele fecerat. 20. Mactavit omnes ſacellorum ſacerdotes in aris, et combuſſit in iis eorum oſſa. Quibus confectis Hieroſolymam revertit, 21. atque edixit univerſo populo, ut paſcha celebrarent Jovae, Deo ſuo, prouti in libro foederis eſſet praeſcriptum. 22. *Quod etiam factum eſt.* Nam tale paſcha non celebratum eſt inde a judicum aetate, qui Iſraëlitis praefuerunt, neque ſub regibus Iſraëliticis et Judaicis, 23. quale illud fuit, quod duodeviceſimo anno regis Joſiae Hieroſolymae eſt celebratum. 24. Necromantas, hariolos, ſimulacra fatidica, ſtatuas idolorum praegrandes, et omnia abominanda, quae in Judaea et Hieroſolymae reperiebantur, Joſias exterminana-

e) Hiſtoria legitur 1 Reg. 13, 2 ſqq.

navit, ut praestaret omnia, quae in libro legis ab Hilkia sacerdote in templo reperto scripta exstabant. 25. Huic similis rex non fuit, neque ante neque post eum, qui se tam ad Jovam toto corde et animo omnibusque viribus plane ad normam legis Mosaicae converterit. 26. Tamen Jova non remisit ab ira sua magna, qua in Judaeam exarserat propter tot scelera, quibus eum Manasse irritarat; 27. sed statuit, Judam quoque e terra sua auferre, quemadmodum jam Israëli fecerat, atque hanc urbem, quam singulari honore dignatus fuerat, nempe Hierosolymam, repudiare, ut et templum, quod cultui suo sacrum esse voluerat. 28. Reliquae res gestae Josiae memoriae proditae sunt in annalibus regum Judae. 29. Occisus est Josias in proelio, Pharaoni Nechoni, regi Aegypti, contra Assyriae regem ad Euphratem expeditionem facienti, Megiddone commisso. 30. Unde eum mortuum ejus servi Hierosolymam deduxerunt et sepeliverunt. Populus autem Joahasum, Josiae filium, unxerunt et in locum patris regem fecerunt. 31. Tres et viginti annos natus erat Joahasus, cum regnum iniret, quod tres tantum menses Hierosolymae tenuit. Mater ejus fuit Hamuthela, filia Jeremiae Libnensis. 32. Jovam offendit, quemadmodum majores ejus fecerant. 33. Hunc Pharao Necho Riblae in regione Hamathensi in vincula conjecit, cum regnare Hierosolymae coepisset. Terram autem centum talentis argenti et uno auri mulctavit. f) 34. Deinde Eliakimum, Josiae filium, in locum patris regem constituit, mutato ejus nomine in

f) Fortasse quod se inscio hunc regem fecissent.

in Jojakimum. Joahaſum vero ſecum in Aegyptum abduxit, ubi etiam mortuus eſt. 35. Argentum et aurum pependit Jojakimus Pharaoni ſic, ut aeſtimaret homines, et ab unoquoque, prouti aeſtimatus erat, argentum et aurum Pharaoni Nechoni ſolvendum exigeret. 36. Annum aetatis quintum et viceſimum agebat Jojakimus, cum regnare inciperet. Undecim annos regnavit Hieroſolymae. Nomen matris ejus fuit Gebudae, filiae Pedajae, Rumenſis. 37. Ad exemplum majorum ſuorum omnium Jovam offendit.

CAPUT XXIV.

Nebucadnezar Judaeam occupat, eique rex Jojakimus fit tributarius 1—6. Quo mortuo ei ſuccedit Jojachinus filius, qui a rege Babylonis obſidetur, et poſtquam ſe ei tradiderat, Babylonem cum magna populi parte abducitur, ſubſtituto in ejus locum Zedekia 7—20.

1. Huic Jojakimo bellum intulit Nebucadnezar, rex Babylonis, cui ille quoque per tres annos tributarius fuit, poſtea vero contra eum rebellavit. 2. Tum Jova ſic permittente factum eſt, ut turmae Chaldaeorum, Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum Judaeam invaderent et perderent, quod ipſum Jova per miniſtros ſuos prophetas jam praedixerat. 3. Igitur ex decreto Jovae Judaei e terra ſua ablati ſunt propter tot peccata a Manaſſe commiſſa, 4. qui innumeras fere caedes Hieroſolymae patraverat, ita ut nollet Jova *diutius* condonare. 5. Reliquae res Jojakimi ſcriptae exſtant in annalibus regum Judae. 6. Eo mortuo regnavit Jojachinus filius. — 7. Tunc rex Ac-

Aegypti non amplius aufus eft terra fua egredi. Nam rex Babylonis ceperat omnia, quae ille tenuerat, a flumine Aegypti usque ad flumen Euphratem. 8. Duodeviginti annos natus erat Jojachinus, cum regnum capefferet, fed tres tantum menfes Hierofolymae regnavit. Matrem habuit Nehuftam, Elnathanis filiam, Hierofolymitanam. 9. Jovam offendit, ficuti majores ejus omnes fecerant. 10. Eo tempore exercitus Nebucadnezaris Hierofolymam aggreffus eft atque urbem oppugnavit, 11. ad quam oppugnationem deinde ipfe Nebucadnezar, rex Babylonis, venit. 12. Jojachinus, rex Judae, fe una cum matre fua, miniftris fuis, ducibus et *reliquis* aulicis regi Babylonis in deditionem tradidit. Quod factum eft anno octavo, quo hic regnare coeperat. 13. Tunc abstulit omnes thefauros templi Jovae et regiae, fregit omnia vafa aurea, quae Salomo, rex Ifraëlis, pro templo fecerat, quemadmodum Jova praedixerat. 14. Praeterea deportavit omnes Hierofolymae incolas, duces et milites, decem millia hominum, ut et omnes fabros lignarios et ferrarios, infimae conditionis plebe tantum relicta. 15. Jojachinum quoque, matrem regis, ejusque mulieres et aulicos et terrae proceres captivos Hierofolyma Babylonem abduxit. 16. Militum feptem millia, opificum et fabrorum mille, qui omnes homines ftrenui erant armis ferendis idonei. 17. Tum Mattanjam, patruum Jojachini, regem pro eo conftituit, mutato ejus nomine in Zedekiam. 18. Hic Zedekias annum agebat primum et vicefimum, cum regnare inciperet, regnavit autem annos undecim Hierofolymae. Ejus mater vocabatur

Ha-

Hamutal, Jeremiae filia, Libnenfis. 19. Non minus atque Jojakimus Jovam vita fua offendit. 20. Hinc graviter irafcebatur Jova Hierofolymae et Judaeae, ita ut tandem eos gratia fua prorfus indignos judicaret.

CAPUT XXV.

Zedekias rebellis obfidetur a Nebucadnezare Hierofolymae. Urbe capta in fuga a Chaldaeis prehenditur, excoecatur, et vinctus Babylonem una cum reliqua parte populi abducitur 1—7. Hierofolyma incenditur et vaftatur, itemque templum, reliquo aere ex eo ablato 8—17. Principes aulici regis fupplicio afficiuntur. Plebi infimae, quae relinquitur in terra, praeficitur Gedalja. Quo ex infidiis occifo fugiunt omnes in Aegyptum, a Chaldaeis fibi timentes. Jojachinus ab Evilmerodacho, rege Babylonis, e carcere ductus benigne tractatur usque ad mortem fuam 18—30.

1. Cum Zedekias contra regem Babylonis rebellaffet, [a]) anno nono regni ejus, decimo die menfis decimi, Nebucadnezar, rex Babylonis, aggreffus eft Hierofolymam cum exercitu fuo, caftrisque ad eam pofitis arietes moenibus undique admovere coepit. 2. Sic urbs oppugnata eft usque ad annum undecimum regis Zedekiae. 3. Tandem die nono *menfis quarti*, [b]) cum jam fames in urbe ingravefceret, nec victus fuppeteret neceffarius incolis, 4. urbs perrupta eft. Tum omnes milites noctu *fugerunt* [c]) per portam, quae erat inter duos

---

a) Haec verba propter nexum ex capite antecedenti huc transtuli.

b) Haec fupplenda funt ex Jer. 52, 6. Syrus habet *menfem quintum*.

c) Deeft verbum יִבְרְחוּ ex Jeremia fupplendum, quod etiam omnes antiqui interpretes praeter Chaldaeum habent. Codd. *Ken-*

duos muros juxta hortum regium, et quanquam Chaldaei urbem undique cinxerant, tamen in viam versus planitiem Hierichuntis venerunt. [d]) 5. Sed Chaldaei regem persequentes cum assecuti sunt in campis Hierichuntis, dispersis, qui cum eo erant, militibus, 6. eumque deduxerunt ad regem Babylonis Riblatham, ubi sententia in eum est pronuntiata. 7. Nimirum ejus liberi eo spectante interfecti sunt. Ipse vero excoecatus est et duabus catenis aeneis vinctus Babylonem est abductus. — 8. Septimo autem mensis quinti die, anno undevicesimo Nebucadnezaris, regis Babylonis, venit Nebusaradan, satellitum princeps, regis minister, Hierosolymam, 9. atque templum Jovae, palatium regium, omnia urbis aedificia domosque maximas quasque igne combussit. 10. Murum item urbis milites Chaldaei, qui cum illo satellitum principe erant, destruxerunt. 11. Reliquos in urbe adhuc superstites et transfugas et reliquias totius populi ille Nebusaradan, satellitum princeps, deportavit, 12. relictis tantum de plebe infima quibusdam, qui vineas et agros colerent. 13. Columnas aeneas, bases et lacum aeneum, quae in aede Jovae erant, fregerunt Chaldaei, et aes eorum Babylonem detulerunt. 14. Ollas, palas, cultros, crateres, et omnia omnino vasa aenea, quorum usus erat *in cultu sacro*, abstulerunt.

15.

Kennicotti varias h. l. lectiones exhibent. Cod. 93. et 168. habent יצאו הלילה, 180. et 250. habent ויברחו הלילה, tandem 201. in margine additum habet ברחו. Verbum deesse non posse, contextus probat.

d) Pro וילך legendum est וילכו. Sic Jer. 52, 7. Syrus interpres et quatuor codd. Kennicotti 85., 150., 175., 601.

15. Itemque thuribula, pateras, sive aureas sive argenteas, cepit satellitum princeps, 16. duas columnas, lacum unum, et bases, quas Salomo ad usum templi fecerat. Quorum vasorum omnium immensum erat aeris pondus. 17. Octodecim cubitorum erat cujusque columnae altitudo. Capitellum eis erat impositum aeneum, tres cubitos altum. Opus reticulatum et mala Punica capitellum illud undique cingebant, eaque omnia ex aere *erant confecta.* Altera columna simile habebat opus reticulatum. 18. Serajam vero, sacerdotem primarium, et Sephanjam, secundi ordinis sacerdotem, tres atrii custodes, 19. aulicum quendam exercitus praefectum, quinque [e]) regios ministros, tribunum militarem, qui delectui faciundo praeerat, et sexaginta de plebe homines, omnes in urbe comprehensos 20. abduxit Nebusaradan, satellitum princeps, ad regem Babylonis Riblatham in regione Hamathensi, 21. ubi jussu ejus supplicio sunt affecti. Facta hac ratione Judaeorum e terra sua deportatione 22. iis, quos Nebucadnezar, rex Babylonis, in Judaea reliquerat, praefecit Gedaljam, Ahikami filium, Saphanis nepotem. 23. Quod ubi duces copiarum [f]) eorumque homines audierant, venerunt ad Gedaljam Mizpam. *In his quoque* Ismaël, filius Nethanjae, et Johanan, filius Karehi, Seraja, filius Tanhumethi Netophathitae, Jaasanja, filius Maachathis, cum hominibus suis. 24. Quibus omnibus Gedalja jurejurando confirmavit, non esse, quod mi-

e) Jer. 52, 25. vocantur *septem.*

f) Sc. qui Chaldaeis effugerant; cf. Jer. 40, 7 sqq.

milites Chaldaeorum metuerent, si in terra manerent et regi Babylonis subditi essent, bene ipsis futurum. 25. Sed mense septimo venit Ismaël, Nethanjae filius, nepos Elisamae, de stirpe regia, cum decem hominibus, atque Gedaljam, nec non Judaeos et Chaldaeos, qui apud eum Mizpae erant, interfecit. 26. Tum omnes, parvi et magni, prae metu Chaldaeorum in Aegyptum migrarunt [g]). — 27. Anno septimo et trigesimo captivitatis Jojachini, regis Judae, vicesimo septimo die [h]) mensis duodecimi, Evilmerodach, rex Babylonis, eodem anno, quo regnum iniit, Jojachinum, regem Judae, e carcere educi jussit, 28. et benigne cum eo collocutus sedem ei assignavit inter reliquos reges, qui Babylone erant, superiorem. 29. Vestes ejus, quibus in carcere indutus fuit, cum aliis mutavit, et convictorem eum habuit, quamdiu vixit. 30. Victus quoque quotidianus ei destinatus fuit a rege, quamdiu viveret.

---

g) Prolixe historia legitur capp. 41., 42., 43. Jeremiae.

h) Jer. 52, 31. legitur: die *vicesimo quinto*. Codd. *Kennicotti* 172. habet רשמנה.

CHRO-

CHRONICORUM

LIBER II.

CAPUT I.

Genealogia [a]) patriarcharum usque ad Jacobum, et Idumaeorum ad Hiramum.

1. Adamus, Sethus, Enosus. 2. Kenan, Mahalalel, Jaredus. 3. Hanochus, Methuselahus, Lamechus. 4. Noahus, Semus, Hamus et Japhetus. 5. Posteri Ja-

a) Genealogiae, quae primam librorum Chronicorum partem constituunt et prioribus novem prioris libri capitibus continentur, breviter repetunt potiores duodecim tribuum familias, partim ex antiquissimis catalogis, partim ex eorum continuatione. Acutissimus ille oeconomiae librorum Vet. Test. indagator, Cel. *Eichhorn*, verissime observavit, (in introduct. in Vet. Test. p. II. p. 631 seqq.) duos esse fontes, ex quibus auctor librorum Chronicorum has genealogias derivarit, primum esse antiquissimos illos familiarum catalogos, qui etiamnum in Genesi supersunt, quod ex collatione locorum quorundam, in quibus breves quaedam annotationes libri Geneseos in libris Chronicorum repetuntur, plane apparet, e. c. Gen. 10, 8. coll. 1 Chron. 1, 10.; Gen. 10, 25. coll. 1 Chr. 1, 19. Cum vero auctor Chronicorum catalogos tribuum quarundam et familiarum pleniores exhibeat, quam in illis antiquissimis leguntur, necesse est, eum habuisse alium praeter illum fontem, ex quo hauserit. Sed quis dubitet, in gente Israëlitica genealogias singularum tribuum esse continuatas, novis additamentis subinde auctas, et summo studio in archivis pu-

Japheti fuerunt Gomer, Magog, Medi, Graeci, Tubal, Mefeg et Tiras. 6. Pofteri Gomeri fuerunt Afcenas,

publicis fervatas? Habebat enim fuos fcribas publicos (שטרים), quorum munus praeter alia haud dubie quoque fuit, illos familiarum catalogos ordine digerere, continuare et fervare, cum cujusque Ifraëlitae multum intereffet, accurate noffe et probare fuam profapiam. Ex his igitur publica fide fcriptis et fervatis catalogis fumta effe, quae in his capitibus leguntur, nemo a vero alienum dixerit. — His veriffime dictis Celeb. *Eichhorn* alias nonnullas addit fuper his genealogiis obfervationes breviter h. l. commemorandas. 1) Incipiunt quidem hae genealogiae a progenitore cujusque tribus, fed paucae tantum ad feriora usque tempora funt deductae, e. c. Davidis profapia ultra Serubabelis aetatem continuatur 1 Chron. 3, 19—24. De Simeonitis quaedam narrantur, quae incidunt in tempora Hiskiae, cap. 4, 41. 42. Sacerdotum et Levitarum hiftoria definit in expugnatione Hierofolymae cap. 5, 41. Longe vero breviores funt catalogi Rubenitarum, Gaditarum, Manaffitarum cap. 5. Sed ne illi quidem pleniores catalogi accuratam omnium familiarum enumerationem exhibent, quod ex paucis nominibus, quae longam annorum feriem complectuntur, facile intelligitur; e. c. in profapia Davidis cap. 2, 11 feqq. quatuor tantum generationes Nahaffonis, Mofis coaevi, nominantur, cum quadringentis annis ab illo usque ad Davidem vix duodecim fufficerent. Igitur fciendum eft, orientales etiamnum in genealogiis fuis progenitoris celebris nepotes, pronepotes et abnepotes filios vocare, omiffis generationibus pluribus intermediis. 2) Cum facillimum fit, in complurium nominum catalogo quaedam omitti, quis neget, hujusmodi errores fcribarum incuria in hoc quoque effe admiffos? Horum nonnullos infra indicabimus. 3) Quarundam familiarum reducum ex captivitate Babylonica genealogiae videntur etiam poft hos libros jam compofitos continuatae, v. c. Serubabelis, cujus profapia ad tertium faeculum poft reditum ex exfilio pertingit. Quae igitur non poffunt effe ab auctore horum librorum, quem Efram effe, fumma cum probabilitate viri docti ftatuunt. 4) Difficultates in hoc nominum catalogo fubinde obvias Celeb. *Eichhorn* ingeniofe conjectat fortaffe venire ex eo, quod nomina illa ab initio more genealogorum fecundum ftirpes fcripta fuerint.

nas, Diphath [b]) et Togarma. 7. Graecorum coloniae fuerunt Elis, Tarteſſus, Italia et Rodanaei. [c]) 8. Poſteri Hami fuerunt Aethiopes, Aegyptii, Put et Canaan. 9. Aethiopum coloniae fuerunt Seba, Havila, Sabta, Rama et Sabtecha. Coloniae Ramae: Seba et Dedan. 10. Cuſch genuit Nimrodum, qui primus fuit potentia inſignis. 11. Aegyptiorum coloniae fuerunt Lydii, Anamaei, Lehabaei, Naphtuhaei, 12. Patruſaei, Casluchaei, quorum coloniae fuerunt Philiſtaei et Caphtoraei. 13. Ex Canaanis filio primogenito originem habent Sidonii et Hethithae, 14. Jebuſitae, Amoritae, Girgaſitae, 15. Hevitae, Arkaei et Sinnaei, 16. Arvadaei, Zemaraei, Hamathaei. 17. Poſteri Semi fuerunt Elamitae, Aſſyrii, Arpachſad, Lud et Aram. *Poſteri* [d]) Uzi Hul, Gether et Meſeg. 18. Arpachſad genuit Selahum, Selahus Eberum. 19. Hic duos habuit filios, quorum alter Pelegus vocabatur, quoniam ejus aetate terra diviſa fuit, alter vero Joktanus. 20. Joktanus genuit Almodadum, Selephum, Hazarmavethum, Jerahum, 21. Hadoramum, Uſalem, Di-

rint. Qui ordo cum deinde mutaretur, ut nomina una ſerie ſe in ſcriptura exciperent, facile fieri potuit, ut paſſim nomina confunderentur, et filii cujusdam perhiberentur, qui nepotes ejus eſſent.

b) Geneſ. 10, 3. legitur *Riphath*, et ſic quoque h. l. 24 codd. *Kennicotti*.

c) Sic quoque 8 codd. *Kennicotti*. Sed plures habent דדנים, uti eſt Geneſ. 10, 4.

d) Poſt ארם Geneſ. 10, 23. legitur ובני ארם ערץ, et ſic quoque haud dubie h. l. eſt legendum. Cod. 175. *Kennicotti* habet hanc lectionem.

Diklam, 22. Ebalem, Abimaëlem, Sebam, 23. Ophiram, Havilam, Jobabum, qui omnes filii fuerunt Joktanis. 24. Semus, Arpachſad, Selahus, 25. Eberus, Pelegus, Reüus, 26. Serugus, Nahor, Terahus; 27. Abramus, deinceps Abrahamus *dictus*. 28. Abrahami filii fuerunt Iſaacus et Iſmaël, 29. quorum haec eſt genealogia. Primogenitus Iſmaëlis fuit Nebajoth. *Sequentes vocabantur* Kedar, Adbeel, Mibſam, 30. Misma, Duma, Maſſa, Hadar, Tema, 31. Jetur, Naphis et Kedema. Hi fuerunt Iſmaëlis filii. 32. Ketura autem, pellex Abrahami, peperit Simranum, Jokſanum, Medanem, Midianem, Jiſbakum et Suahum. Jokſani filii fuerunt Seba et Dedan; 33. Midianis Epha, Epher, Hanoch, Abida et Eldaa. Hi omnes ex Ketura orti ſunt. 34. Abrahamus genuit Iſaacum, atque hujus filii fuerunt Eſavus et Jacobus. 35. Eſavi filii: Eliphaſus, Reüel, Jeüs, Jalamus, Korahus. 36. Eliphaſi filii Teman, Omar, Zephis, Gathamus, Kenaſus, Timna [e]) et Amalek. 37. Reüelis filii: Nahathus, Serahus, Samma et Miſſa. 38. Filii Seiri: Lotan, Sobal, Sibon, Ana, Diſon, Ezer et Diſan. 39. Filii Lotanis: Hori et Homam. Soror Lotanis fuit Timna. 40. Filii Sobali: Aljan, Manahath, Ebal, Sephi et Onamus. Filii Sibonis: Ajja et Ana. 41. Filius Anae: Diſon. Filii Diſon: Hamram, Eſban, Jithran et Ceran.

e) Timna non fuit Eliphaſi filia, ſed ejus pellex, quae ei peperit Amalekum, uti legitur Geneſ. 36, 12., ex quo loco igitur noſter eſt emendandus. Quae emendatio quoque legitur in edit. *Wechelii* τῶν ὁ: *Θαμνὰ δὲ ἡ παλλακὴ Ἐλιφὰς ἔτεκεν αὐτῷ τὸν Ἀμαλήκ.* Quae etiam leguntur in verſione Arabica; cf. *Hubigantius*. Codex *Kennicotti* 495. omittit nomen Timnae.

ran. 42. Filii Ezer: Bilhan, Saavan, Jaakan. Filii Disan: Uz et Aran. 43. Sequuntur nomina regum Edomiticorum, quos habuerunt, antequam Israëlitae reges haberent. f) Bela, filius Beoris; sedes regni ejus erat Dinhaba. 44. Bela mortuo regnavit Jobab, Serahi filius, Bozrensis. 45. Post mortem Jobabi regnavit Husamus Temanita. 46. Huic successit Hadadus, Bedadi filius, qui Midianitas profligavit in campis Moabiticis; regia ejus fuit Avith. 47. Hadado successit Samla, Masrekanus. 48. Huic Saulus Rehobothi ad Euphratem natus. 49. Huic Baalhanan, filius Achboris. 50. Huic Hadadus, cujus regia Paius vocabatur. Uxor ejus fuit Mehetabel, filia Matredi, quae Mesahabi filia fuit. 51. Post mortem Hadadi Edomitae principes habuerunt, quorum nomina fuerunt sequentia: Timna, Alja, Jethethus, 52. Oholibama, Ela, Pinon, 53. Kenas, Timon, Mibzar, 54. Magdiel, Iram.

CAPUT II.

Filii Jacobi, in specie Judae ex Tamare posteri.

1. Filii Israëlis fuerunt hi: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Isaschar, Sebulon, 2. Dan, Josephus, Benjamin, Naphtali, Gad, Aser. 3. Judae tres filii nati sunt, nempe Er, Onan et Sela ex filia Suae Cananitide. Er, primogenitus Judae, Jovam offendit, propterea eum e vita sustulit. 4. Tamar, nurus ejus, ei peperit Perezum et Serahum. Igitur quinque omni-

f) Cf. Genes. 36, 31. sqq.

no filios habuit Juda. 5. Filii Perezi fuerunt Hezron et Hamul. 6. Filii Serahi: Simri, Ethan, Heman, Calcol et Dara, qui sunt numero quinque. 7. Filius Carmi: Achar, [a]) qui Israëlitas perturbavit, dum deliquit in *praeda* devota. 8. Filius Ethanis: Asarja. 9. Filii Hezrono nati fuerunt Jerahmeelus, Ram et Celubai. 10. Ram genuit Aminadabum, hic Nahsonem, principem posterorum Judae. 11. Nahson genuit Salmam, hic Boasum, 12. hic Obedum, hic Isaeum. 13. Isaei primogenitus fuit Eliabus, Abinadabus secundus, Simsa tertius, 14. Nethanel quartus, Raddaeus quintus, 15. Ozemus sextus, Davides septimus, 16. quorum sorores fuerunt Seruja et Abigaila. Serujae filii fuerunt tres: Abisaeus, Joabus et Asahel. 17. Abigaila peperit Amasam, cujus pater fuit Jetherus Ismaëlita. 18. Calebus, filius Hezronis, sustulit ex Asuba, [b]) uxore sua, hos filios: Jeriothum, Jeserum, Sobabum, Ardonem. 19. Asuba mortua duxit Calebus Ephratham, quae ei peperit Hurem. 20. Hic genuit Urium et hic Salelem. 21. Post Hezronus iniit filiam Machiris, patris Gileadi, eamque

---

a) Unus Achar vocatur, quanquam praecedit numerus pluralis בְּנֵי, ut cap. 1. 41. et versu sequenti et alibi. Formula genealogica est; cf. observat. ad Gen. 36, 25. Hic Achar Jos. 7, 1. vocatur *Achan*.

b) Verba textus: הוֹלִיד אֶת־עֲזוּבָה אִשָּׁה וְאֶת־יְרִיעוֹת haud dubio sunt corrupta. Neque enim forma loquendi Hebraica est: *parere fecit mulierem*; neque Jerioth est nomen alterius mulieris Calebi; sequitur enim numerus singularis, et in sequenti versu narratur, eum Asuba mortua aliam duxisse uxorem. Igitur sic videntur verba esse legenda: הוֹלִיד מֵאֵת עֲזוּבָה אִשְׁתּוֹ אֶת־יְרִיעוֹת; cf. *Hubigantius*.

que in matrimonium duxit, cum ſexagenarius eſſet. Atque haec ei peperit Segubum. 22. Segubus genuit Jairem, qui tres et viginti vicos habebat in regione Gileaditica. 23. A Geſuritis autem et Aramaeis eripiebantur vici Jairis, Kenath et ſexaginta alii vici ad eam pertinentes, quorum *vicorum poſſeſſores* omnes fuerunt filii Machiris, patris Gileadi. 24. Poſtquam Hezronus Calebephrathae mortuus erat, ejus uxor Abia peperit Aſhurem, patrem Tekoae. 25. Filii Jerahmeelis, primogeniti Hezronis, fuerunt Ramus primogenitus, Buna, Oren, Ozem, Ahija. 26. Habuit vero Jerahmeel et aliam uxorem nomine Atarah, quae mater fuit Onami. 27. Filii Rami, primogeniti Jerahmeelis, fuerunt Maaz, Jamin et Eker. 28. Filii Onami fuerunt Sammaeus et Jada; Sammaei; Nadabus et Abiſur. 29. Abiſuri uxor Abihaila ei peperit Ahbanem et Molidum. 30. Filii Nadabi fuerunt Seled et Appaimus. Seled mortuus eſt ſine liberis. 31. Filius Appaimi fuit Jiſaeus, [c]) Jiſaei Seſanus et Seſani Ahlaea. [d]) 32. Filii Jadae, fratris Sammaei, fuerunt Jether et Jonathan. Ille ſine liberis mortuus eſt, 33. hic vero filios habuit Pelegum et Saſam. Hi fuerunt poſteri Jerahmeelis. 34. Seſanus, qui filios non habuit, ſed filiam, [e]) 35. dedit eam ſervo ſuo Jarhae Aegyptio in matrimonium, quae ei peperit Attaeum. 36. Hic genuit Nathanem, Nathan Sabadum, 37. Sabadus Ephlalem, Ephlal Obedum, 38.

c) Cf. obſervat. ad verſ. 7.

d) Non filius, ſed filia; cf. v. 34.

e) In textu eſt pluralis, ſed in verſu 31. una tantum nominata eſt.

38. Obedus Jehuum, Jehuus Asarjam, 39. Asarja Helezum, Helezus Elasam, 40. Elasa Sismaeum, Sismaeus Sallumum, 41. Sallumus Jekamjam, Jekamja Elisamam. 42. Filii Calebi, fratris Jerahmeelis, fuerunt Mesa primogenitus, qui conditor [f]) est *oppidi* Siph, et filii Maresae, qui pater fuit Hebronis. 43. Hebronis filii fuerunt Korahus, Tappuhus, Rekemus et Sama. 44. Sama genuit Rahamum, patrem Jorkeami. Rekemus genuit Sammaeum, 45. cujus filius fuit Maon, qui Bethzurum condidit. 46. Epha, Calebi pellex, peperit Haranem, Mozam, Gasesum. Haran genuit Gasesum. 47. Filii Jehdaei fuerunt Regemus, Jothamus, Gesanus, Peletus, Epha et Saaphus. 48. Pellex Calebi Maacha peperit Seberum et Tirhanam, 49. peperit quoque Saaphum, qui Madmanam condidit, et Sebam, qui Machbenam et Gibeam condidit. Filia Calebi fuit Achsa. 50. Hi fuerunt filii Calebi, qui filius Huri fuit: primogenitus Ephrathae, Sobal, qui Kiriathjearimum condidit, 51. Salma, qui Bethlehemum, et Hareph, qui Bethgederum condidit. 52. Sobalis, qui Kiriathjearimum condidit, filii fuerunt Haroës, Hazaeus, Hammenuhoth. [g]) 53. Familiae Kiriathjearimi fuerunt Jithraei, Puthaei, Semathaei, Misraaei. A quibus orti sunt Zarathaei, Estanlaei. 54. Posteri Salmae fuerunt Bethlehemitae, Netophathitae, Atroth, Bethjoab et dimidia pars Manahti Hazzori, 55. et fa-

---

f) In textu est אב, *pater*, quod h. l. et in sequentibus saepe pro conditore oppidi dicitur. Nam Siph et alia, quae sequuntur, sunt nomina propria locorum.

g) Incertum, num haec sint nomina propria hominum, an locorum.

familiae scribarum Jabezum incolentes, Tirathaei, Simathaei, Suchathaei. Hi fuerunt Kinaei, orti a Hammatho, patre familiae Rechabi.

CAPUT III.

Filii Davidis usque ad Salomonem 1—9., usque ad Zedekiam et captivitatem Babylonicam 10—16. et post eam 17—24.

1. Davidis filii, qui quidem ei Hebrone nati sunt, fuerunt sequentes: primogenitus Amnon ex Ahinoama Jesreelitide; secundus Daniel ex Abigaila Carmelitide; 2. tertius Absalomus, [a]) filius Maachae, quae filia fuit Talmaei, regis Gesurensis; quartus Adonia, filius Haggithae; 3. quintus Sephatja ex Abitale; sextus Jithramus ex Egla, ejus uxore. 4. Hi sex ei nati sunt Hebrone, ubi septem annos et sex menses regnavit, tres autem et triginta annos Hierosolymae. 5. Hic ei nati sunt sequentes: Sima, Sobabus, Nathan et Salomo, qui quatuor filii fuerunt Bathsuae, filiae Ammielis; [b]) 6. porro Jibhar, Elisama, Eliphelet, 7. Noga, Nepheg et Japhia, 8. Elisama, Eljada, Eliphelet. Qui novem 9. omnes fuerunt filii Davidis, praeter filios concubinarum. Tamara eorum soror fuit. 10. Salomonis filius fuit Rehabeamus, Rehabeami Abia, Abiae Asa, Asae Josaphatus, 11. Josaphati Joramus, Jorami Ahasja, Ahasjae Joasus, 12. Joasi Amazia, Amaziae

---

a) Lamed ante *Absalom* debet abesse, et abest in 20 codd. *Kennicotti*; coll. 2 Sam. 3, 3.

b) Sed 2 Sam. 11, 3. vocatur Bathseba, filia Eliami. Litterarum trajectione ex *Eliam* videtur factum esse *Ammiel*.

ziae Asarja, Asarjae Jothamus, 13. Jothami Ahasus, Ahasi Hiskias, Hiskiae Manasses, 14. Manassis Amon, Amonis Josias. 15. Josiae filii fuerunt primogenitus Johanan, alter Jojakimus, tertius Zedekias, quartus Sallumus. 16. Filii Jojakimi: Jechonja et Zedekias. 17. Filii Jechonjae: Assir, cujus filius fuit Sealtiel, 18. Malchiramus, Pedaja, Senazarus, Jekamja, Hosama et Nedabja. 19. Filii Pedajae erant Serubabel et Simaeus. Filii Serubabelis: Mesullamus et Hananja. Selomitha fuit eorum soror. 20. *Porro* Hasuba, Ohel, Berechja, Hasadja, Jusabus, Hesedus, numero quinque. 21. Filii c) Hananjae Pelatja et Jesaja. — Filii Rephajae, Arnanis, Obadjae, Sechanjae. 22. Filius Sechanjae Semaja, filii Semajae Hattus, Jigal, Bariah, Nearja, Saphatus, numero sex. 23. Filii Nearjae Eljoënaeus, Hiskias, Asrikamus, tres. 24. Filii Eljoënaei: Hoduja, Eljasibus, Pelaja, Akkubus, Johanan, Telaja, Ananaeus, numero septem.

CAPUT IV.

Familiae Judae 1—23. et Simeonis, eorumque sedes 24—43.

1. Filii Judae fuerunt Perez, Hezron, Carmi, Hur et Sobal. 2. Reaja, filius Sobalis, genuit Jahathum, Jahath Ahumaeum et Lahadum. Hae sunt familiae Zorathaeorum. 3. Hae autem sunt *familiae* conditoris Etami, Jesreel, Jisma, Jidbas. Nomen sororis eorum fuit

---

c) Pro הבן legendum est הבני, sequuntur enim duo nomina. Sic *oi ó* et Syrus et 6 codd. *Kennikotti*. Sic quoque in versu 23.

fuit Zelelphoni. 4. Pnuel condidit Gedorem et Efer Husam. Hi sunt posteri Huria, primogeniti *Calebi*, [a]) ex Ephratha, conditoris Bethlehemi. 5. Asur, qui Tekoam condidit, habuit duas uxores, Helam et Naaram. 6. Naara ei peperit Ahussamum, Hepherum, Temneum et Ahastareum. 7. Hela vero Zerethum, Zoharum, Ethnanem et Kozum. [b]) 8. Kozus genuit Anubum, Zobebam et familiam Aharheli, filii Harumi. — 9. Jabezus autem fratribus suis erat potentior. Mater eum vocarat Jabezum, quod dicebat, se cum dolore peperisse. 10. Hic Jabezus ad Deum Israëlitarum his verbis precatus est: Si me fortunaveris, si fines meos ampliaveris, si me adjuveris, efficiesque, ut ne malis affligar, *tum te perpetuo et sincere colam*. Atque Deus quoque voti compotem eum fecit. 11. Celubus, frater Suhae, genuit Mehirem, qui pater est Estonis. 12. Eston genitor est familiae Rephae et Paschi et Tehinnae, qui condidit urbem Nahas. Hi fuerunt homines Rechae. 13. Filii Kenasi fuerunt Othniel et Seraja, et filius Othnielis Hathathus. 14. Meonothaeus genuit Ophram, et Seraja genuit Joabum, qui vallem incolis instruxit, qui, quoniam fabri fuerunt, huic valli nomen vallis fabrorum dederunt. 15. Posteri Calebi, filii Jephunnae, fuerunt Iru, Ela et Naamus, et filius Elae Kenasus. 16. Filii Jehallelis: Siph, Siphra, Tiria et Asarel. 17. Filii [c]) Esrae: Jether, Mered, Epher et

a) Cf. cap. 2, 19.

b) Jam *Junius* et *Piscator*, observante *Clerico*, viderunt, nomen *Kozi* excidisse, cum posteri ejus in sequenti versu nominentur.

c) Pro בְּנֵי legendum esse בְּנֵי, apparet ex quatuor nominibus, quae sequuntur. Sic quoque legitur in 6 codd. *Kennicotti*.

et Jalon. *Uxor Meredi* [d]) gravida *peperit* Mirjamum, Sammaeum et Jiſbahum, conditorem Eſtemoae. 18. Uxor ejus Judija peperit Jeredum, Gedoris, et Heberum, Sochonis, Jekuthielem, Sanohae conditores. Hi fuerunt filii Bithjae, filiae Paronis, quam Meredus in matrimonium duxerat. 19. Filii uxoris Hodijae, ſororis Nahami, qui Kegilam condidit, Garmidarum et Eſtemoitarum genitores fuerunt, ex Maacha oriundi. 20. Filii Simonis: Amnon, Rinna, Benhanan et Tilon. Filii Jiſaei: Soheth et Benſoheth. 21. Poſteri Selae, filii Judae: Erus, qui Lecham, et Lada, qui Mareſam condidit, item familiae opificum byſſi, quae eſt familia Aſbeae. 22. Item Jokimus et incolae oppidi Coſebae, et Joaſus et Saraphus, qui Moabitis imperarunt, et Jaſubilechem. Sed res iſtae antiquae ſunt. 23. Iſti enim *Selae poſteri* figuli fuerunt, qui habitarunt Netaimum et Gederum tanquam regis operarii. — 24. Filii Simeonis fuerunt Nemuel, Jamin, Jarib, Serah, Saulus. 25. Sauli filius fuit Sallum, Sallumi Mibſamus, Mibſami Miſma. 26. Filius Miſmae fuit Hammuel, hujus filius Saccur, hujus Simei. 27. Hic Simei habebat ſedecim filios et ſex filias. Fratres ejus non multos liberos habebant, et omnino eorum familiae non tam numeroſae erant, quam poſterorum Judae. 28. Habitabant Berſebae, Moladae, Hazarſuale, 29. Bilhae, Azemi, Toladae, 30. Bethuele, Hormae, Ziklagae, 31. Bethmarcabothe, Hazarſuſimi, Bethbiri, Saaraimi. Haec fuerunt eorum oppida usque ad Davidem regem.

32.

d) Hoc nomen ſupplendum eſſe, ex ſequenti verſu obſervat *Clericus*. Deeſt enim nomen uxoris, quae peperit.

32. Pagi eorum fuerunt Etam, Ajin, Rimmon, Tochen et Asan, numero quinque. 33. Quos pagos habebant circum oppida, atque usque ad Baalem pertingebant. Hae fuerunt sedes eorum, et recensio familiarum. 34. Mesobabus autem, Jamlech, Josa, filius Amaziae, 35. Joël, Jehu, filius Josibjae, filii Serajae, filii Asielis, 36. Elijoënaeus, Jaacoba, Jesohaja, Asaja, Adiel, Jesimiel et Benaja, 37. Sisa, filius Siphaei, filii Allonis, filii Jedajae, filii Simri, filii Semajae: 38. hi nominatim recensentur inter principes familiarum suarum et domus majorum eorum vehementer auctae erant. 39. Propterea procedebant ad introitum Gedoris usque ad orientem vallis, ut pascua quaererent gregibus suis. 40. Quae etiam invenerunt pinguia et bona, terram spatiosam, quietam, tranquillam, cujus incolae e *posteris* Hami olim eam inhabitarant. 41. Venerunt igitur illi antea nominati sub Hiskia, rege Judae, et percusserunt illos in tentoriis suis et Meunaeos, quos ibi inveniebant, eisque deletis sedes eorum occuparunt, quas etiamnum tenent, quod pascua gregibus suis praebent. 42. Ex his Simeonitis quingenti ad regionem montanam Seir profecti sunt ducibus Pelatja, Nearja, Rephaja et Ussiele, Jisaei filiis, 43. et concisis reliquis Amalekitis, qui effugerant, ibi habitare coeperunt, atque etiamnum ibi habitant.

CA-

CAPUT V.

Genealogiae et sedes Rubenitarum 1—10., Gaditarum, eorumque bella cum Hagarenis 11—22., Manassitarum 23—26. et pontificum maximorum ad captivitatem usque Babylonicam 27—41.

1. Filii Rubenis, primogeniti Israëlis (qui quidem fuit primogenitus, sed quod cubile patris sui contaminaverat, translatum est jus primogeniturae in posteros Josephi, filii Israëlis, neque ille ex hac primogeniturae praerogativa reconsetur. 2. Juda quidem fratribus suis praevaluit, ut dux quoque ex eo eligeretur, sed illa primogeniturae praerogativa mansit Josepho.) 3. Filii igitur Rubenis, Israëlis primogeniti, fuerunt Hanoch, Pallu, Hezron, Carmi. 4. Filii Joëlis Semaja, hujus filius Gogus, hujus Simei, 5. hujus Micha, hujus Reaja, hujus Baal, 6. hujus Beera, quem Rubenitarum principem captivum abduxit Tiglathpilneser, rex Assyriae. 7. Fratrum autem ejus, prouti secundum familias recensentur in genealogiis, principes fuerunt Jeïel et Secharja 8. et Bela, filius Asafi, nepos Semae, pronepos Joëlis. Hic Aroëre habitabat usque ad Nebonem et Baalmeonem. 9. Versus orientem quoque consederunt usque ad ingressum deserti a flumine Euphrate. Nimis enim excreverant eorum greges in Gileaditide. 10. Temporibus Sauli bellum gesserunt cum Hagarenis. Quibus victis habitarunt in eorum tentoriis per totam Gileaditidis plagam orientalem. — 11. Gaditae e regione eorum consederant in Basane usque ad Salcham. 12. Joël princeps fuit, Saphamus secundus, porro Janai et Saphad in Basane. 13. Contribules eorum pro majorum su-

ſuorum familiis fuerunt Michaël, Meſullam, Sebai, Jorai, Jacan, Sia et Eber, numero ſeptem. 14. Hi filii fuerunt Abihailis, filii Huris, filii Jarohi, filii Gileadis, filii Michaëlis, filii Jeſiſaei, filii Jahdonis, filii Buſi. 15. *Item* Ahi, filius Abdielis, nepos Guni, qui princeps fuit illius gentilitatis. 16. Habitarunt in Gileaditide, in Baſane et hujus coloniis, et in ſuburbiis Saronis usque ad fines eorum. 17. Omnes recenſiti ſunt ſub Jothamo, rege Judae, et ſub Jerobeamo, rege Iſraëlis. — 18. Rubenitarum, Gaditarum, et dimidiae tribus Manaſſitarum homines fortes, clypeis et gladiis inſtructi, ſagittarii et artis militaris periti, quadraginta quatuor millia ſeptingenti et ſexaginta, in expeditionem egreſſi ſunt, 19. et bellum intulerunt Hagiraeis, quibus auxilio fuerunt [a]) Ituraei, Naphiſaei et Nodabitae. 20. Sed illi victoriam ab Hagiraeis et omnibus eorum copiis auxiliaribus reportarunt. Nam in proelio Deum invocarunt, qui quoque ab eis eſt exoratus, quoniam in eo fiduciam poſuerant. 21. Abegerunt eorum pecudes, camelorum quinquaginta millia, ovium ducenta et quinquaginta millia, aſinorum duo millia et mancipiorum centum millia. 22. Plurimi enim in proelio ceciderunt (Deus hoc bellum juſſerat) atque haec loca inhabitarunt usque ad captivitatem *Aſſyriacam*. 23. Homines dimidiae tribus Manaſſitarum ſedes ſuas habuerunt a Baſane usque ad Baalhermonem, Senirem et mon-

a) Male haec verba וַיַּעַזְרוּ עֲלֵיהֶם, quae verſum 20. incipiunt, ab hoc ſeparata ſunt. Vau ante יעזרו delendum eſt, et verba cum antecedentibus ſunt jungenda. Qui nexus ex ſequentibus apparet. Sic quoque Vulgatus.

montem Hermonem, et valde increverant. 24. Principes familiarum fuerunt: Epher, Jifi, Eliel, Afriel, Jirmeja, Hodavja, Jahdiel, viri fortes et celebres, familiarum ſuarum principes. 25. Sed peccarunt in Deum majorum ſuorum, cultu divino proſequentes Deos gentium, quas Deus propter eos perdiderat. 26. Hic igitur excitavit Phulem et Tiglathpileſerem, Aſſyriae reges, qui Rubenitas, Gaditas et dimidiam Manaſſitarum tribum captivos abducerent in Chalachenem ad Haborem, Haram et Goſanitidis fluvium, ubi etiamnum degunt. — 27. Filii Levi fuerunt Gerſon, Kehath et Merari. 28. Filii Kehath: Amram, Jizhar, Hebron et Uſſiel. 29. Filii Amram: Aaron, Moſes et Maria. Filii Aaronis: Nadab, Abihu, Elaſar et Ithamar. 30. Elaſar genuit Pinhaſum, Pinhaſus Abiſuam, 31. Abiſua Bukkem, Bukkis Uſſem, 32. Uſſis Serahjam, Serahja Merajothum, 33. Merajothus Amarjam, Amarja Ahitubum, 34. Ahitubus Zadokum, Zadokus Ahimaazum, 35. Ahimaazus Aſarjam, Aſarja Johananem, 36. Johanan Aſarjam. Hic miniſterio ſacerdotali functus eſt in templo, quod Salomo Hieroſolymae aedificarat. 37. Aſarja genuit Amarjam, Amarja Ahituphum, 38. Ahituphus Zadokum, Zadokus Sallumum, 39. Sallumus Hilkiam, Hilkia Aſarjam, 40. Aſarja Serajam, Seraja Jozadakum, 41. Jozadakus in captivitatem abiit, cum migrare faceret Jova Judaeos et Hieroſolymitanos per Nebucadnezarem.

CA-

CAPUT VI.

Familiae Levitarum ex Gerſomo, Kehathe et Merare 1—15. Officia Levitarum in tabernaculo et templo 16—38. Oppida eis aſſignata 39—66.

1. Filii Levi fuerunt Gerſom, Kehath et Merari. 2. Haec ſunt nomina filiorum Gerſomi: Libni et Simi. 3. Filii Kehath: Amram, Jizhar, Hebron et Uſſiel. 4. Filii Merari: Mahli et Muſi. Hae fuerunt familiae Levitarum ſecundum gentilitates ſuas. 5. Gerſomi filius fuit Libni, hujus Jahath, hujus Simma, 6. hujus Joahus, hujus Iddo, hujus Serah, hujus Jeathrai. 7. Filii Kehathi fuerunt Amminadabus, hujus Korahus, hujus Aſſir, 8. hujus Elkana, hujus Ebjaſaphus, hujus Aſſir, 9. hujus Tahath, hujus Uriel, hujus Uſſija, hujus Saulus. 10. Filii Elkanae fuerunt Amaſai et Ahimoth, 11. Elkanae[a]) Zophaeus, Zophaei Nahathus, 12. Nahathi Eliabus, Eliabi Jerohamus, Jerohami Elkana. 13. Filii Samuelis: primogenitus Joël, [b]) al-

a) In textu eſt אֶלְקָנָה בְנוֹ אֶלְקָנָה. Sed poſterius *Elcana* redundare, ex eo jam apparet, quod non habet בְּנוֹ additum, ut in ceteris nominibus. Neque legitur in verſione Graeca, cod. Rom. et Syriaca.

b) Poſt וּבְנֵי שְׁמוּאֵל omiſſum eſt nomen יוֹאֵל primogeniti filii Samuelis, qui ſic vocatur 1 Sam. 8, 2. Igitur ושני non eſt nomen proprium, ſed ſignificat *ſecundum*, nempe אביה *Abiam*, qui fuit filius alter Samuelis. Quod nomen igitur fine ו eſt legendum. Ex l. c. 1 Sam. 8, 2. dubio caret, ſic haec emendanda eſſe. Sed ſatis antiquum eſſe hunc ridiculum ſcribarum errorem, apparet ex verſione Graeca τῶν ὁ in cod. Rom. et Alex., quae habet: ὁ πρωτότοκος Σαὺλ καὶ Ἀβιά, et Vulg.: *primogenitus Vaſſeni et Abia*. Sed in editione Complut. et in verſione Syriaca et Arabica legitur: *primogenitus Joël, ſecundus Abja*. *Kennicottus* h. l. nihil annotavit ex ſuis codd.

alter Abija. 14. Filius Merari fuit Mahli. Mahlis filius fuit Libni, Libnis Simei, Simeis Uffa, 15. Uffae Simea, Simeae Hagiga, Hagigae Afaja. 16. Hi funt, quos David canticis praefecit in aede Jovae, ex quo arcae locum certum affignarat. 17. Minifterio fungebantur ante tentorium conventus canticis, donec Salomo templum Jovae Hierofolymae exftrueret, atque officia fua ex ordine peragebant. 18. Faciebant hoc una cum filiis fuis ex Kehathitis Heman cantor, filius Joëlis, nepos Samuelis, 19. filius Elkanae, filius Jerohami, filius Elielis, filius Toahi, 20. filius Suphi, filius Elkanae, filius Mahathi, filius Amafaei, 21. filius Elkanae, filius Joëlis, filius Afarjae, filius Sephanjae, 22. filius Tahathi, filius Affiri, filius Ebjafaphi, filius Korahi, 23. filius Jizharis, filius Kehathi, filius Levi, filius Ifraëlis; 24. ejusque frater Afaphus, qui ei ftabat ad dextram. Hic Afaphus fuit filius Berechjae, filius Simae, 25. filius Michaëlis, filius Baafejae, filius Malchijae, 26. filius Ethnis, filius Serahi, filius Adajae, 27. filius Ethanis, filius Simmae, filius Simei, 28. filius Jahathi, filius Gerfomi, filius Levi. 29. Pofteri Merari, eorum confanguinei, ftabant ad finiftram. Ethan, filius Kifi, filius Abdi, filius Malluchi, 30. filius Hafabjae, filius Amazjae, filius Hilkiae, 31. filius Amzi, filius Beni, filius Sameri, 32. filius Mahli, filius Mafi, filius Merari, filius Levi. 33. Horum confanguineis Levitis mandatum erat omne minifterium aedis divinae. 34. Aaron autem cum filiis fuis adolebant fuper ara victimarum et fuper ara fuffitus, omnem rem facram adminiftrantes

tes et Israëlitas expiantes, prouti Moses, Dei minister, praecoperat. 35. Hi fuerunt filii Aaronis: Elasar, hujus filius Pinehasus, Pinehasi Abisua, 36. Abisuae Bukkus, Bukki Ussus, Ussi Serahja, 37. Serahjae Merajothus, Merajothi Amarja, Amarjae Ahitubus, 38. Ahitubi Zadokus, Zadoki Ahimaaz, — 39. Sedes autem eorum pro eorum urbibus ac finibus hae erant. Aaronis posteris e familia Kehathitarum prima [c]) sors contigit. 40. His dabatur Hebron in Judaea cum suburbiis suis. 41. Ager autem oppidanus ejusque pagi dati sunt Calebo, filio Jephunnae. 42. Igitur Aaronis posteris dederunt oppidum asyli [d]) Hebronem, Libnam, Jattirem, Estemoam, 43. Hilenem, Debirum, 44. Asanem et Bethsemesum, quodque cum suis suburbiis. 45. A tribu Benjamine data eis sunt: Geba, Allemeth, Anathoth, quodque cum suis suburbiis. Quae oppida numero tredecim [e]) fuerunt pro eorum familiis *distributa*. 46. Reliqui de familia Kehathitarum a *tribubus Ephraimitarum*, [f]) *Danitarum et* dimidia Manassitarum sorte *acceperunt* decem oppida. 47. Familiis poste-

c) Excidit vox רִאשֹׁנָה, quod recte supplet Syrus; cf. Jos. 21, 10.

d) In textu legitur pluralis: *oppida asyli.* Sed Hebron tantum oppidum asyli fuit, non reliqua, quae hic nominantur. Igitur legendum esse עִיר, quis dubitet?

e) At *undecim tantum* numerata sunt. Nempe omissa sunt duo ex Jos. 21, 16. et 17. supplenda. A tribu Juda יְהוּדָה *Jutta*, et tribu Benjamin גִּבְעוֹן *Gibeon*.

f) In hoc quoque versu desunt nonnulla ex Jos. 21, 5. supplenda. Post חֲמִשָּׁה omissae sunt tres voces מֵאֶפְרַיִם וּמִמַּטֵּה־דָן *a tribu Ephraim et a tribu Dan.* Quibus suppletis contextus planus est.

ſterorum Gerſomi data ſunt a tribubus Iſaſchar, Aſer, Naphtali et Manaſſe in Baſane, tredecim oppida. 48. Meraritarum familiis a tribubus Ruben, Gad, Sebulon ſorte duodecim oppida contigerunt. 49. Dederunt vero Iſraëlitae Levitis haec oppida cum ſuis ſuburbiis 50. ex ſorte, nempe tribus Juda, Simeon, Benjamin, atque ea illis nominatim aſſignarunt. 51. Tribus Ephraim dedit familiis Kehathitarum oppida in finibus ſuis *ſequentia*: 52. oppidum g) nimirum aſyli Sichemum in regione montana Ephraimitica, et Geſerum, 53. Jokmeamum, Bethhoronem, 54. Ajjalonem et Gathrimmonem, quodque cum ſuis ſuburbiis. 55. A dimidia Manaſſitarum tribu data ſunt Aner et Billam cum ſuburbiis ſuis reliquis de familia Kehathitarum. 56. Gerſomi poſteri *acceperunt* a dimidia tribu Manaſſitarum Golanem in Baſane et Aſtarotham, 57. a tribu Iſaſchar Kedeſum, Dobratham, 58. Ramotham, Anemum, 59. a tribu Aſer Maſalem, Abdonem, 60. Hukokum, Rehobum, 61. a tribu Naphtali Kadiſum in Galilaea, Hammonem et Kiriathaimum, ſingula cum ſingulorum ſuburbiis. 62. Reliqui e poſteris Merari acceperunt a tribu Sebulonitica Rimmonem et Taborem cum ſuis ſuburbiis. 63. Trans Jordanum *e regione* Hierichuntis ad ortum ejus *dederunt* Rubenitae Bezerum in ſolitudine, Jahzam, 64. Kedemoth et Mephaatham, quodque cum ſuis ſub-

g) H. l. idem error admiſſus eſt, qui ſupra verſ. 42. eſt notatus. Sichemum tantum oppidum aſyli fuit, non reliqua nominata. Igitur עיר legendum eſt. Sed hic quoque error antiquus eſt, et apud veteres exſtat.

ſuburbiis. 65. Gaditarum tribus dedit Ramotham in Gileaditide, Mahanaimum, 66. Hesbonem et Jaaſerem, ſingula cum ſingulorum ſuburbiis.

CAPUT VII.

Genealogiae, ſedes et cenſus Iſaſcharitarum 1—5., Benjaminitarum 6—12., Naphtalitarum 13., Manaſſitarum 14—19., Ephraimitarum 20—29., Aſeritarum 30—40.

1. Iſaſcharis filii fuerunt Tola, Pua, Jaſub [a]) et Simron, quatuor. 2. Filii Tolae fuerunt Uſſi, Rephaja, Jeriel, Jahmai, Jibſam et Samuel, principes paternarum familiarum. Ex Tola orti ſunt viri fortes per *varias* aetates, quorum numerus fuit tempore Davidis viginti duo millia et ſexcenti. 3. Uſſi filius fuit Jiſrahja, cujus filii fuerunt Michaël, Obadja, Joël, Jiſſijja, [b]) quinque principes familiarum. 4. Apud eos fuerunt per varias aetates in ſtirpibus familiarum ſuarum copiae militares, triginta ſex millia, nam multas habebant uxores et liberos. 5. Omnes autem omnium familiarum Iſaſcharitarum erant homines fortes octoginta ſeptem millia, ſi omnes cenſebantur. — 6. Benjaminis filii fuerunt Bela, Becher, Jediaël, tres. 7. Filii Belae: Ezbon, Uſſi, Uſſiel, Jerimoth, Iri, quinque capita familiarum, homines fortes, cenſiti duo et viginti millia triginta quatuor. 8. Filii Becher: Semira, Iras, Elieſer, Eljoënai, Omri, Jerimoth, Abija, Anathoth et Alameth, qui omnes

 fu-

a) Geneſ. 46, 13. haec duo nomina פּוּה וְיוֹב ſcribuntur.

b) Deeſt nomen, nam quatuor tantum ſunt nominati.

fuerunt filii Becheris, 9. atque per ſtirpes cenſiti virorum militarium fuerunt viginti millia et ducenti. 10. Jediaëlis filius fuit Bilhan, atque hujus filii: Jeus, Benjamin, Ehud, Cenaana, Sethan, Tarſis et Ahiſahar, 11. qui omnes Jediaëlis filii ſecundum familias patrias *cenſiti* ſiſtebant militum millia ſeptendecim et ducentos ad militiam idoneos. 12. Suppim et Huppim fuerunt filii Iris, et Huſſim filius Aheris. — 13. Filii Naphtali fuerunt Jahziel, Guni, Jezer, Sallum. Filii Bilhae. 14. Filii Manaſſis Aſriel, quem peperit * *. c) Pellex ejus Syra peperit Machirem, patrem Gileadis. 15. Machir uxorem duxit ** d) Huppimi et Suppimi. Nomen ſororis ejus e) fuit Maacha, et nomen ſecundi f) Selophhad, qui filias habebat. g) 16. Peperit Maacha, uxor Machiris, filium, quem Pe-

re-

---

c) Excidit nomen matris. Sed *οἱ ὁ* jungunt haec cum ſequentibus: *ὃν ἔτεκε ἡ παλλακὴ αὐτοῦ ἡ Σύρα*, atque addunt: *ἔτεκε δὲ αὐτῷ*, quaſi legiſſent וְיָלְדָה לוֹ. Vulgatus אֲשֶׁר יָלְדָה omittit et ita hunc locum vertit: *porro filius Manaſſe Eſriel: concubinaque ejus Syra peperit Machir, patrem Galaad.* Syrus habet: *filii Manaſſis, quos ei peperit ejus concubina Iſarjel, et Adunija peperit quoque Machirem, patrem Galaad.* Is videtur nomen gentilitium אֲרַמִיָּה *Syra* confudiſſe, ſive legiſſe אֲדֹנִיָּה. Eodem modo Arabs.

d) Qui contendunt, inquit *Clericus*, nihil hic eſſe corruptum, ii lectores ſuos ſtipites eſſe putant. Deeſt nomen viri, cui Machir uxorem duxit. Nam cum duobus viris non collocetur una uxor, vox אִשָּׁה non poteſt jungi cum vocibus ſequentibus. Praeterea Huppim et Suppim erant Benjaminitae ſec. v. 12.

e) Non Machiris, cujus uxor fuit ſec. verſ. 18., ſed ejus, cujus nomen excidit.

f) Sc. ex ea muliere, cujus nomen eſt omiſſum, ut et nomen primogeniti eorum filiorum

g) Cf. Num. 27, 1.

esum vocavit, hujusque fratrem Saresum, cujus filii
nerunt Ulam et Rekem. 17. Filius Ulam fuit Be-
lan. Hi sunt filii Gileadis, filii Machiris, nepotis
Manassis. 18. Soror ejus Molecheth peperit Ishodum,
Abieserem et Mahlam. 19. Filii Semidae fuerunt
Ahjan, Sechem, Likhi et Aniam. 20. Filius Ephra-
mi fuit Suthalah, hujus filius Beredus, Beredi Taha-
hus, Tahathi Elada, Eladae Tahathus, 21. Tahathi
abadus, Sabadi Suthelah, Eser et Elad, quos occi-
erunt Gathenses indigenae, cum eorum pecora vel-
ent abigere. 22. Postquam Ephraimus pater eos diu
uxerat, et fratres ejus ad consolandum eum invise-
ant, 23. congressus est cum uxore sua, quae gra-
ida facta peperit filium, quem Beriam vocavit pro-
ter calamitatem, quam expertus fuerat. 24. Filia ejus
eera instauravit Bethhoronem inferiorem et superio-
em, et Ussenum Seerae. 25. Ejus filius fuit Rephahus,
Rephahi Resephus, Resephi Telahus, Telahi Tahan,
6. Tahanis Ladan, Ladanis Ammihudus, Ammihudi
Elisama, 27. Elisamae Nun, Nunis Josua, 28. quo-
um possessiones et sedes erant Bethel cum suis vicis,
ersus orientem Naaran, versus occidentem Geser et
ichem cum suis vicis usque ad Gazam. 29. Juxta
Manassitas fuerunt Bethsean, Taanach, Megiddo et
Dor cum suis vicis. In his locis habitarunt posteri Jo-
sephi, filii Israëlis. — 30. Filii Aseris fuerunt Jimna,
Isva, Jisi, Beria, atque eorum soror Seroraha. 31. Filii
Beriae: Heber et Malciel, qui pater est Birsauthi.
2. Heber genuit Japhletum, Somerum, Hothamum
t Suam, horum sororem. 33. Filii Japhleti: Pasach,
Bim-

Bimhal, Asvath. 34. Filii Someri: Ahi, Rahga, Jehubba et Aram. 35. Filii Chelemi fratris: Zophahus, Jimna, Seles et Amal. 36. Filii Zophahi: Suah, Harnepher, Sual, Beri, Jimra, 37. Beser, Hod, Samma, Silsa, Jithron et Beera. 38. Filii Jetheri: Jephunna, Pispa et Ara. 39. Filii Ullae: Arah, Hanniel et Rizja. 40. Hi omnes posteri fuerunt Aseris et principes familiarum patriarum praecipui, viri militares, principum primarii. Censiti ad arma ferenda idonei erant viginti sex millia hominum.

CAPUT VIII.

Alia genealogia Benjaminitarum, quae Saali, primi regis Israelitarum, familiam accuratius recenset.

1. Benjamin genuit Belam [a]) primum, Asbelem secundum, Ahrahum tertium, 2. Nohahum quartum, et Rapham quintum. 3. Belae filii fuerunt Ader, Gera, Abihud, 4. Abisua, Naaman, Ahoah, 5. Gera, Sephuphan et Huram. 6. Hi fuerunt filii Ehudi, [b]) principes familiarum, quae Gibeae habitabant, Manahatham abducti: 7. Naaman et Ahija et Gera, qui eos transtulit, et genuit Ussam et Ahidum. 8. Saharaimus in Moabitide degens genuit, postquam Husmam et Baaram, uxores suas, dimiserat, 9. genuit, inquam, ex uxore sua Hodesa Jobabum, Siphjam, Mesam, Malcamum, 10. Jeuzam, Sobjam, Mirmam, qui ejus filii omnes principes familiarum fuerunt. 11. Ex Hu-

a) Cf. Genes. 46, 21. Num. 26, 38.

b) Cf. cap. 7, 10.

Hufima autem genuerat Abitubum et Elpaalem. 12. Filii Elpaalis: Eber, Mifam et Semer, qui condidit Ononem et Lodum cum vicis fuis. 13. Beria et Sema capita familiarum fuerunt, quae Ajjalonem incolebant Gathenfibus *illinc* ejectis. 14. Ahjo, Safak, Jerimoth, 15. Sebadja, Arad, Ader, 16. Michaël, Jifpa et Joha filii fuerunt Beriae. 17. Sebadja, Mefullam, Hiski, Heber, 18. Jifmerai, Jislia et Jobab, filii Elpaalis. 19. Jakim, Sichri, Sabdi, 20. Elienai, Zillathai, Eliel, 21. Adaja, Beraja, Simrath, filii Simi. 22. Jifpan, Eber et Eliel, 23. Abdon, Sichri, Hanan, 24. Hananja, Elam, Antothijja, 25. Jiphdeja, Pnuel, filii Safaki. 26. Samferai, Seharja, Athalja, 27. Jaarfeja, Elijja et Sichri, filii Jerohami. 28. Hi fuerunt principes familiarum et gentilitatum fuarum capita, quae Hierofolymae habitarunt. 29. Gibeone autem habitavit ejus conditor, [c]) cujus uxor vocabatur Maacha. 30. Primogenitus ejus filius fuit Abdon, et fequentes Sur, Kis, Baal, Nadab, 31. Gedor, Ahjo, Sacher, 32. Mikloth genuit Simam. Hi quoque cum confanguineis fuis Hierofolymae habitarunt. 33. Ner genuit Kifum, Kis Saulum, Saulus Jonathanem, Malchifuam, Abinadabum et Efbaalem. 34. Filius Jonathanis fuit Meribbaal, qui genuit Micham. 35. Filii Michae fuerunt Pithon, Melech, Tarea et Ahas. 36. Ahas genuit Joaddam, Joadda Alemethum, Asmavethum et Simrem. Simri genuit Mozam, 37. Moza Bineam, Binea Rapham, Rapha Elafam, Elafa Azelem. 38. Hic Azel habebat fex filios, quorum nomina haec erant: Afrikam,

c) Jehiel dictus; cf. cap. 9, 35.

kam, Bochru, Jismaël, Searja, Obadja, Hanan, qui omnes fuerunt filii Azelia. 39. Filii Eseki, fratris ejus, fuerunt Ulam primogenitus, Jeus secundus, Eliphelet tertius. 40. Filii Ulami fuerunt homines bellicosi et sagittarii, qui complures habuerunt filios et nepotes, numero centum et quinquaginta. Omnes hi erant Benjaminitae.

CAPUT IX.

Catalogus eorum, qui ante captivitatem Babylonicam ex tribubus Juda, Benjamin, Ephraim et Manasse, itemque e Levitis Hierosolymae habitarunt 1—34. Iterum de genealogia Sauli 35—44.

1. Catalogus Israëlitarum censitorum consignatus fuit in annalibus regum Israëliticorum. — Judaei quoque propter peccata sua Babylonem deportati sunt. 2. Verum et priores habitatores, qui in urbibus suis possessiones habebant, *censiti fuerunt*, Israëlitae, sacerdotes, Levitae, et famuli sanctuarii. [a]) 3. Hierosolymae quidem habitabant, tum Judaei, tum Benjaminitae, tum Ephraimitae, tum Manassitae. 4. In his fuerunt Uthai, filius Ammihudi, nepos Omri, pronepos Imri, abnepos Bani, ex posteris Perezi, filii Judae. 5. Ex Silonitis Asaja primogenitus cum filiis suis. 6. Ex posteris Serahi Jeuel ejusque consanguinei, sexcenti et nonaginta homines. 7. Ex Benjaminitis Sallu, filius Mesullami, nepos Hodavjae, pronepos Hassenuae; 8. Jibneja, filius Jerohami; Ela, filius Ussi, nepos Michri; Mesullam, filius Sephatjae, ne-

a) De his cf. observat. ad Esr. 2, 43.

nepos Reuelis, pronepos Jibnijae, 9. horumque consanguinei per varias aetates, nongenti quinquaginta sex, qui omnes capita fuerunt patriarum familiarum. — 10. Ex sacerdotibus Jedaja; Jehojarib; Jachin; 11. Asarja, filius Hilkiae, nepos Mesullami, pronepos Zadoki, abnepos Merajothi, adnepos Ahitubi, princeps aedis divinae; 12. Adaja, filius Jerohami, nepos Pasuris, pronepos Malchijae; et Masai, filius Adielis, nepos Jahserae, pronepos Mesullami, abnepos Mesillemithi, adnepos Immeri, 13. eorumque cognati, capita familiarum patriarum, mille septingenti et sexaginta, homines indefessi in cura ministerii aedis divinae. — 14. Ex Levitis Semaja, filius Hassubi, nepos Asrikami, pronepos Hasabjae ex Merariis; 15. Bakbakar; Heres; Galal; Mattanja, filius Michae, nepos Sichri, pronepos Asaphi; 16. Obadja, filius Semajae, nepos Galalis, pronepos Jeduthunis; Berechja, filius Asae, nepos Elkanae, qui habitaverat in villis Netophathitarum. — 17. Porro janitores Sallum, Akkub, Talmon, Ahiman et cognati eorum. Sallum princeps erat. 18. Hi hactenus nominati in porta regia versus orientem janitores fuerant ex castris Leviturum. 19. Sallum vero, filius Kore, nepos Ebjasaphi, pronepos Korahi, ejusque cognati e familia patria Korahitarum, hoc habebant ministerii munus, ut tentorii essent janitores, patres autem eorum, ut castris Jovae praeessent, aditum *ad ea* custodientes. 20. Pinehas, Eleasaris filius, cui Deus faverat, dux eorum olim fuerat. 21. Secharja, filius Meselemjae, janitor fuit ad introitum tentorii conventus. 22. Omnes

hi

hi erant praecipui janitores, ducenti et duodecim in villis suis recensiti, quos David et Samuel propheta propter eorum dexteritatem constituerant, 23. ut nempe hi eorumque filii portas aedis Jovae, hoc est, tentorii, custodirent, 24. idque a quatuor coeli plagis, ab oriente, occidente, septentrione et meridie, 25. eorum autem cognati in villis suis degentes eis septenis diebus per vices succederent. 26. Nam propter dexteritatem suam hi quatuor janitores ex Levitis praecipui erant constituti, ut simul conclavium et thesaurorum aedis divinae curam gererent, 27. et circa eam excubarent. Nam quoniam eorum erat, custodiam agere, incumbebat eis simul singulis matutinis aedem aperire. 28. Quidam vasis ministerii praefecti erant, quae certo numero depromebant et recondebant. 29. Aliis cura omnium utensilium sacrorum mandata erat, ut et similae, vini, olei, thuris et aromatum. 30. Ex sacerdotibus nonnulli unguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Mattithja Levita, primogenitus Sallumi Korahitae, fideliter curabat ea, quae in Tartagine parabantur. 32. Ex Kehathitis autem, eorum consanguineis, quidam administrabant panes apposititios singulis sabbathis instruendos. 33. Ex iisdem *illis Kehathitis* constituti fuerunt cantores, principes patriarum familiarum Leviticarum, qui ab aliis officiis immunes in conclavibus manebant, quoniam diu noctuque habebant, quae agerent. 34. Hi principes fuerunt familiarum Leviticarum per varias aetates sibi succedentes, et Hierosolymae habitabant. — 35. Gibeone autem habitavit ille hujus oppidi conditor, Jeïel, cujus uxor erat Maacha. 36. Filius ejus primo-

ge-

genitus fuit Abdon, reliqui Sur, Kis, Baal, Ner, Nadab, 37. Gedor, Ahjo, Secharja et Mikloth. 38. Mikloth genuit Simamum. Hi quoque cum cognatis suis Hierosolymae habitarunt. 39. Ner genuit Kisum, Kis Saulum, Saulus Jonathanem, Malchisuam, Abinadabum, Esbaalem. 40. Jonathanis filius fuit Meribbaal, qui Micham genuit. 41. Hujus filii fuerunt Pithon, Melech et Tahrea. 42. Ahas genuit Jaram, Jara Alemethum, Asmavethum et Simrem. Simris genuit Mozam. 43. Moza genuit Binam, hujus filius fuit Rephaja, Rephajae Elasa, Elasae Azel. 44. Azel habuit sex filios, quorum nomina haec erant: Asrikam, Bochru, Jismaël, Searja, Obadja et Hanan.

CAPUT X.

Ultima fata regis Sauli.

1. Israëlitae in proelio, quod Philistaeis in montibus Gilboae committebant, fugerunt, *multique ibi* confossi ceciderunt. 2. Philistaei insistebant Saulo ejusque filiis, atque hos, nempe Jonathanem, Abinadabum et Malchisuam, occidebant. 3. Tunc Saulus, proelio pressus, a sagittariis petitus et vulneratus, 4. jussit armigerum suum stringere gladium seque confodere, ne forte *hostes* isti praeputiati venirent sibique illuderent. Sed recusavit armiger gravi terrore confusus, tunc ipse Saulus gladio suo incubuit. 5. Armiger, cum videret, Saulum periisse, ipse quoque gladio suo se occidit. 6. Sic Saulus, tres ejus filii omnesque ejus homi-

mines [a]) perierunt. 7. Israëlitae vallem incolentes, ubi viderunt, populares suos fugere, et de morte Sauli filiorumque ejus certiores facti, relictis oppidis suis et ipsi fugerunt, in quibus deinde Philistaei habitarunt. 8. Postridie venerunt Philistaei ad spoliandos occisos, atque in his quoque Saulum ejusque filios invenerunt, qui in montibus Gilboae ceciderant. 9. Igitur illum spoliarunt, ejusque caput et arma abstulerunt, simul nuncios miserunt, qui per omnem Palaestinam rem adeo laetam in delubris atque in populo divulgarent. 10. Arma vero ejus in fano Dei sui deposuerunt et cranium templo Dagonis affixerunt. — 11. At Jabenses Gileaditici postquam audierunt, quae Philistaei Saulo fecissent, 12. eorum fortissimi abstulerunt cadavera Sauli et filiorum ejus, eaque Jabesum deduxerunt. *Ibi ea combusserunt* [b]) et ossibus sub terebinthio sepultis per septem dies jejunarunt. 13. Mortuus autem est Saulus sua culpa, quam in Jovam commiserat, tum quod mandatum ejus non erat exsecutus, tum quod pythonem, 14. non Jovam consuluerat, qui propterea eo interfecto regnum in Davidem, Isai filium, transtulit.

CA-

a) Hebr. *et omnis domus ejus.* Quod non de familia Sauli potest intelligi, nam Mephibosethus aliique superstites manserunt, uti ex historia constat; sed de ejus stipatoribus. 1 Sam. 31, 6. כל אנשיו vocantur.

b) Sic est in loco parallelo 1 Sam. 31, 12.

CAPUT XI.

David ab omnibus Iſraëlitis rex creatur 1—3., expellit Jebuſitas ex arce Hieroſolymitana, eoque transfert regiam ſuam 4—9. Recenſio militum ejus fortiſſimorum 10—47.

1. Convenerunt enim omnes Iſraëlitae Davidem Hebrone, [a]) eique demonſtrarunt, ſe cognatos ejus eſſe et conſanguineos; 2. jam pridem Saulo adhuc regnante eum duoem ſuum fuiſſe in bellis gerendis, ipſum Jovam eum juſſiſſe regem eſſe populi Iſraëlitici. Igitur regnum ſusciperet. 3. In illo ſeniorum Iſraëliticorum conventu apud regem Hebrone David conditiones, ſub quibus eis regnum oblatum fuerat, accepit, fidemque ſuam jurejurando interpoſito promiſit. Quo facto rex Iſraëlitarum unctus eſt, quemadmodum Jova ei per Samuelem promiſerat. — 4. Deinde David cum toto Iſraëlitarum exercitu aggreſſus eſt Hieroſolymam, quae et Jebus vocabatur; nam Jebuſitae antiqui terrae incolae eam *adhuc* tenebant. 5. Oppidani reſponderunt Davidi, *cum deditionem poſtulaſſet*, urbem ab eo expugnari non poſſe. Sed cepit ille arcem Sionem, quae *deinde* urbs Davidis dicta eſt. 6. Nam David edixerat, quisquis primus Jabeſum occupaſſet, hunc ſummum ducem futurum eſſe. Tunc eam primus aſcendit Joabus, Serujae filius, factus propterea *exercitus* princeps. 7. Hanc arcem David inhabitavit, (unde ea urbis Davidis nomen accepit) 8. eamque circumquaque inde a Millone aedificavit. Reliquam urbis partem inſtauravit Joabus. 9. Ille vero magis magisque crevit et potentior factus; Jova enim omnipotens ei aderat. —

10.

a) Cf. 2 Sam. 5, 1—10.

10. Sequitur *hiſtoria* virorum fortiſſimorum Davidis, quorum opera inprimis, ut et totius Iſraëlis rex eſt conſtitutus ex voluntate Jovae Iſraëlitis *declarata*. 11. Hic vero eſt catalogus horum heroum. b) Jaſobam, filius Hachmoni, princeps trium. Hic haſta ſua ſublata concidit trecentos *hoſtes* in una pugna. 12. Poſt eum Eleaſar, filius Dodonis, Ahohita. Hic, qui inter tres illos heroas locum habebat, 13. fuit apud Davidem Pasdammimis, quo Philiſtaei proeliandi cauſa convenerant. Erat ibi ager lentibus confitus, populus fugerat a Philiſtaeis. 14. Sed illi in medio fundi confiſtentes eum defenderunt et Philiſtaeos conciderunt. Tunc Jova eximiam victoriam conceſſit. *) 15. Hi tres inter triginta principes venerunt ad petram, *ubi tunc* David erat, prope ſpeluncam Adullamiticam. Philiſtaei caſtra ſua habebant in valle Rephaim. 16. David, qui tunc in arce erat, Philiſtaeorum autem ſtationes Bethlehemi, 17. optavit, ut ſibi aliquis aquam afferret ex puteo, qui eſt in porta Bethlehemi. 18. Tunc tres illi perruperunt caſtra Philiſtaeorum, atque hauſerunt aquam ex puteo illo, eamque ad Davidem attulerunt. Verum hic noluit eam bibere, ſed Jovae libavit 19. et dixit: Abſit hoc a me, per Deum meum! ut hoc faciam; num ſanguinem horum virorum bibam, qui cum vitae ſuae periculo hanc aquam petierunt? Sic noluit eam bibere. Hoc fecerunt tres illi heroes. 20. Abiſaeus, frater Joabi, princeps fuit ali-

b) Cf. 2 Sam. 23, 8. ſqq.

*) Tertius, cujus nomen h. l. omiſſum eſt, loco parallelo 2 Sam. 23, 11. appellatur Samma, filius Agae, Hararita.

aliorum trium, hic hasta sua trecentos confodit. Tribus illis *primi ordinis* non fuit adscriptus. 21. Inter tres autem secundi ordinis celeber, quorum etiam dux fuit, triadi tamen priori impar. 22. Benaja, filius Jojadae, viri fortis, ob res bene gestas clarus, Cabzeelensis. Hic duos viros Moabiticos fortissimos interfecit. Idem in puteum descendit et leonem occidit tempore nivali. 23. Idem peremit hominem Aegyptium eximiae staturae, quinque *nempe* cubitorum. Hic hastam manu tenuit instar jugi textorii, ille vero baculo tantum instructus cum eo est congressus, hastam manibus ejus extorsit, eumque sua ipsius hasta interfecit. 24. Hoc fecit Benaja, filius Jojadae, celeber inter tres illos heroas, 25. inter quos magnam famam erat consecutus, nec tamen tribus illis prioribus comparandus. David eum sibi adjutorem elegerat. 26. Militum autem fortissimi fuerunt Asaël, frater Joabi; Elhanan, filius Dodonis, Bethlehemita; 27. Sammoth Haronita; Helez Pelonita; 28. Ira, filius Ikkesi, Tekoita; Abiesser Anathothita; 29. Sibbechai Husathita; Ilai Ahohita; 30. Maharai Netophathita; Heled, filius Baanae, Netophathita; 31. Ithai, filius Ribai, Gibeathensis Benjaminita; Benaja Pirathonensis; 32. Hurai ex vallibus Gaasimontis; Abiel Arbathensis; 33. Asmaveth Baharumensis; Eljahba Shaalbonita; 34. filii Hasemi Gisonitae; Jonathan, filius Sagae, Hararita; 35. Ahiamus, filius Sacharis, Hararita; Eliphal, filius Uri; 36. Hepher Mecherathensis; Ahija Pelonita; 37. Hezro Carmelita; Naarai, filius Esbaei; 38. Joël, Nathanis frater; Mibhar, Geris filius; 39. Zelekus Am-

Ammonita; Nahraeus Berothenſis, armiger Joabi, Serujae filii; 40. Ira Jithrenſis; Gareb Jithrenſis; 41. Uria Hittaeus; Sabad, filius Ahilaei; 42. Adina, filius Siſae, Rubenita, princeps Rubenitarum, et praeter eum adhuc triginta *alii*. 43. Hanan, filius Maachae; Joſaphat Mithnenſis; 44. Uſſijja Aſterathenſis; Sama et Jeïel, Hothami filii, Aroërenſis; 45. Jediaël, filius Simri, et Joha, ejus frater Tizita; 46. Eliel Mahavimenſis; Jeribaeus et Joſavja, filii Elnaami; Jithma Moabita; 47. Eliel; Obed et Jaaſiel Mezobajenſis.

CAPUT XII.

Catalogus eorum, qui ex ſingulis tribubus ad partes Davidis transierunt, tum Saulo adhuc vivo 1—22., tum eo mortuo, ut regem illum ſibi conſtituerent 23—40.

1. Sequitur catalogus eorum, qui venerunt ad Davidem Ziklagam, cum adhuc propter Saulum, Kiſi filium, *ibi* retineretur. 2. E Benjaminitis quidem contribulibus Sauli, arcu armati dextra et ſiniſtra [a]) funditores et ſagittarii, 3. quorum princeps fuit Ahieſer, tum Joas, filii Semaae Gibeathenſis, Jeſiel et Pelet, filii Aſmaveth, Beraja et Jehu Anathothenſes. 4. Jiſmaja, Gibeonita, inter triginta fortiſſimus eorumque praefectus, Jeremias, Jahaſiel, Johanan, Joſabad Gederathenſis, 5. Elaſaeus, Jerimoth, Bealja, Semarja et

a) Hebr. *dextra et ſiniſtra lapides*, ſc. projicientes. Eſt periphraſis fundae, in qua Benjaminitae inprimis erant exercitati. Jud. 20, 16.

et Sephatja Haruphita, 6. Elkana, Jiſijja, Aſarel, Joëſer, Jaſobam, Korhitae, 7. Joëla et Sebadja, filii Jerohami Gedorenſis. 8. Ex Gaditis ad Davidem in locis ſolitudinis munitis degentem feceſſerunt homines fortiſſimi, rei militaris periti, clypeis et haſtis inſtructi, inſtar leonum atroces, et caprearum inſtar in montibus veloces. 9. Quorum princeps fuit Eſer, Obadja ſecundus, Eliab tertius, 10. Miſmanna quartus, Jeremias quintus, 11. Attai ſextus, Eliel ſeptimus, 12. Johanan octavus, Elſabad nonus, 13. Jirmeja decimus, Machbannai undecimus. 14. Hi ex Gaditis duces exercitus fuerunt, quorum minimus centurio, maximus tribunus erat millenarius. 15. Iidem illi Jordanum trajecerunt menſe primo, cum in omnibus ripis ſuis exundabat, et vallium incolas ad orientem et occidentem fugarunt. 16. *Aliquando* cum de Benjaminitis et Judaeis quidam ad Davidem in loca illa *deſerti* [b]) munita venirent, 17. hic obviam egreſſus eos ſic eſt allocutus: Si animo pacato venitis ad me adjuvandum, meus quoque animus vobis erit conjunctus; ſin ut me criminis expertem hoſtibus meis prodatis, Deus majorum noſtrorum hoc videat et arguat. 18. Tunc Amaſaeus, *illorum* trium princeps, [c]) animo commotus,

b) Cf. verſ. 8.

c) Ex lectione textuali רֹאשׁ הַשְּׁלִשִׁים *caput triginta* ſ. *princeps inter triginta*, uti Vulgatus habet et reliqui interpretes antiqui. Sed lectio marginalis, quae etiam in 18 codd. *Kennicotti* exſtat, שָׁלִישִׁים *) haud dubie melior. Nam de triginta illis Davidis heroibus, de quibus in antecedenti capite, h. l. ſermo non eſt.

*) Haec vox שָׁלִישִׁים, quae 11. 11., ubi non minus שְׁלֹשִׁים ſcripturae, quae in textu eſt, praefertur, *tres* ſignificat, h. l. can-

tus, [d]) Salve, David, inquit, cum tuis, salve, fili Isaei, cum tuis adjutoribus, nam Deus tuus tibi auxiliatur. Tunc recepit eos David et copiarum suarum duces constituit. 19. Ex Manassitis quoque nonnulli ad Davidem defecerunt. Quod factum est tum, cum Philistaeos comitaretur in bello contra Saulum, quanquam eos non adjuvit. Nam Philistaeorum principes eum consulto dimiserunt, veriti, ne cum ipsorum periculo ad Saulum, dominum suum, transfugeret. [e]) 20. Igitur cum Ziklagam rediret, defecerunt ad eum e Manassitis Adnah, Josabad, Jediaël, Michaël, Josabad, Elihu et Ziltai, qui apud Manassitas chiliarchi fuerant. 21. Hi adjuverunt Davidem contra turmam illam *Amalekitarum*; [f]) erant enim omnes viri fortes, atque duces exercitus sunt constituti a Davide. 22. Nam in ejus auxilium in dies plures convenerunt, ita ut ingentem exercitum haberet. — 23. Sequitur numerus militum armatorum, qui ad Davidem Hebronem venerunt, ut ad eum Sauli regnum ex voluntate Jovae transferrent. 24. Ex Judaeis quidem clypeis et hastis instructi sex millia octingenti milites expediti. 25. Ex Simeonitis homines bellicosi septem millia et centum. 26. Ex Levitis quatuor millia et sexcenti. 27. Jojada princeps fuit familiae Aaronis, et cum eo

eandem fine dubio habet vim. Unde consequitur, Benjaminitas illos, quod ad Davidem venisse v. 16. narratur, fuisse tres. Dathius, qui *illorum princeps* vertit, hanc vocem prorsus omisit, quamobrem addidi: *tres*.

d) Hebr. רוּחַ לָבְשָׁה אֶת־ *spiritus cum induit.*

e) Historia legitur 1 Sam. 29, 6.

f) 1 Sam. 30, 1. sqq.

eo tria millia et ſeptingenti. 28. Zadokus juvenis erat ſtrenuus. Familiae patriae duces erant duo et viginti. 29. Ex Benjaminitis, Sauli contribulibus, tria millia. Maxima enim eorum pars favebat adhuc familiae Sauli. 30. Ex Ephraimitis viginti millia et octingenti homines fortes et famoſi in familiis ſuis patriis. 31. Ex dimidia Manaſſitarum tribu duodeviginti millia nominatim deſignati ad Davidem regem conſtituendum. 32. Ex Iſaſcharitis temporum periti, qui, quid faciendum eſſet Iſraëlitis, ſciebant, principes eorum ducenti, a quorum ore pendebant omnes eorum populares. g)

g) Locus hic eſt difficillimus, non tam in verbis quam propter rem, quae indicatur, quae nempe temporum ſcientia intelligatur Iſraëlitis ſcitu neceſſaria, et cujus Iſaſcharitae prae aliis periti fuerint, ut reliqui omnes eorum dictis morem gererent. Judaeorum interpretes, quos plerique Chriſtianorum ſequuntur, aſtronomiam intelligunt, quoad ea temporibus deſignandis inſervit. Adſcribam paraphraſin Chaldaicam a *Beckio* editam, quoniam liber paullo rarior eſt, ex qua de reliquis poteſt judicari: *Ex Iſaſcharitis fuere periti ſcientiae temporum, i. e. chronologi et docti in figendis initiis annorum atque menſium, in intercalandis quoque menſe et annis, ſophiſtae in novilunio indagando ad definienda hinc feſta temporibus ſuis celebranda, exercitati quoque in cognoſcenda revolutione ſolis fuere, aſtrologique in ſignorum atque ſtellarum ſcientia praeſtantes, colligentes ex eorum ſitu, quid conveniat operari domui Iſraël*, rel. Quanquam non nego, verba Hebraica hanc explicationem admittere, tamen dubia mihi videtur ob rationes, uti arbitror, non contemnendas. Primo non apparet, cur haec tribus prae aliis aſtronomiae operam dederit, cum ſacerdotum eſſet, dies feſtos definire et Iſraëlitis denunciare. Deinde miror, tantum horum virorum doctorum fuiſſe numerum, cum longe pauciores ſufficiſſent. Tandem non video, cui uſui ducenti illi aſtronomi fuerint Davidi, qui tum quidem non de diebus feſtis ordinandis cogitabat, ſed de bello gerendo et regno obtinendo. — Verum enim vero verſio Sy-

33. Ex Sebulonitis homines bellicosi in omni armorum genere exercitati quinquaginta millia, animo minime dolofo militantes. 34. Ex Naphtalitis duces mille, et cum eis ſeptem et triginta millia clypeis et haſtis inſtructi. 35. Ex Danitis belli periti octo et viginti millia et ſexcenti. 36. Ex Aſſeritis ad militiam exercendam idonei quadraginta millia. 37. Ex transjordanicis Rubenitis, Gaditis et dimidia Manaſſitarum tribu omni armorum genere inſtructi millia centum et viginti. 38. Qui omnes homines bellicoſi ad militandum parati animo integro veniebant Hebronem ad regem conſtituendum Davidem in omnes Iſraëlitas, nam et reliqui in eo ipſo omnes conſenſerant; 39. ibique

---

Syriaca (quam non inſpexiſſe *Hubigantium* miror) et quae cum ea conſentit Arabica, aliam lectionem exhibet, leviſſima mutatione facta, qua admiſſa omnes illae difficultates removentur. Sic vero habet illa verſio: *et ex Iſaſcharitis* ܘܡܢ ܒܢܝ ܝܫܟܪ ܕܝܠܗ ܕܝܠܗ ܕܝܠܗ *e ſuo tempore ſapientiſſimi et facientes opera bona et recta coram domino*, h. e. qui viri probi erant et pii etc. Facile apparet, hunc interpretem pro יָמִים *temporum* legiſſe לְעִתָּם ſive בְּעִתָּם *ſuo tempore*. Quam ſcriptionem ex parte confirmat codex 227. *Kennicotti*, qui habet לעתם, quanquam incertum eſt, an non ſcribae errore, littera Jod ſit transpoſita. Sed hanc Syri interpretis lectionem aptiſſimam eſſe, nemo negabit. Sic enim laudantur viri illi propter prudentiam ſuam et propter probitatem vitae ſ. integritatem, quibus virtutibus conſpicui etiam inter populares ſuos tantam erant auctoritatem conſecuti, ut eorum conſilium omnes lubenter audirent et admitterent. Tales autem viros Davidi eo tempore utiles fuiſſe, facile intelligitur. — Quanquam haec lectio mihi perquam probabilis videtur, tamen nolui eam in verſione exprimere, quoniam eſt unius tantum interpretis; digna tamen eſt, quae annotetur. *Οἱ ὁ* et Vulg. cum lectione Hebraea conſentiunt.

que apud Davidem per triduum epulabantur, nam contribules eorum victum ſuppeditabant. 40. Atque etiam eorum vicini Iſaſcharitae, Sebulonitae et Naphtalitae alimenta afferebant in aſinis, camelis, mulis et bubus, farinam, palathas, uvas paſſas, vinum, oleum, armenta et pecora perquam multa, magna enim erat omnium Iſraëlitarum laetitia.

CAPUT XIII.

David communicato cum populo conſilio arcam Dei Sionem deportare inſtituit 1—8. Sed cum Uſſae temeritatem Deus morte puniret 9—11., in aedibus Obededomi deponitur, ubi per tres menſes manet 12—14.

1. Poſtea conſilium iniit David [a]) cum chiliarchis et centurionibus omnium ordinum, 2. atque univerſum Iſraëlitarum coetum ſic eſt allocutus: Si vobis placet, et Jova, Deo noſtro, approbante, ſine mora mittamus ad populares noſtros reliquos per omnes Iſraëlitarum regiones, eosque una cum ſacerdotibus et Lévitis ex oppidis ſuis ad nos convocemus; 3. ut arcam Dei noſtri inde a temporibus Sauli neglectam transferamus. 4. Conſenſerunt omnes atque ab univerſo populo res eſt approbata. 5. Igitur David congregavit omnes Iſraëlitas a Sihore, Aegypti flumine, usque ad Hamatham ad transferendam arcam Dei ex Kiriathjearimo; 6. atque cum eis profectus eſt Baalam prope Kiriathjearimum Judaeae, ut deportaret inde arcam Dei Jovae cherubis inſidentis *ibique* invocan-

---

a) Cf. 2 Sam. 6, 1—11.

candi. 7. Vecti autem ſunt arcam ſublatam ex aedibus Abinadabi plauſtro novo, quod Uſſa et Ahjo duxerunt, 8. Davide omnibusque Iſraëlitis ante Deum, [b]) quantum poterant, ludentibus et canentibus *adhibitis* citharis, nabliis, tympanis, tintinnabulis et tubis. 9. Cum veniſſent ad aream Cidonis, Uſſa manum ſuam porrexit, ut prehenderet arcam, quoniam boves ferociebant. 10. Qua de re Jova Uſſae iratus eum interfecit, ut ibi ante arcam [c]) moreretur. 11. David vero hac clade Uſſae a Jova illata vehementer eſt commotus, atque locum illum Perez Uſſa (cladem Uſſae) vocavit, quod nomen etiamnum gerit. 12. Immo prae timore Dei verebatur ejus arcam ad ſe inferri; 13. cumque nollet, eam in urbe Davidis deponi, illata eſt in aedes Obededomi Gittaei, 14. ubi per tres menſes fuit. Fortunavit autem Jova Obededomum, et omnia, quae haberet.

CAPUT XIV.

Hiramus, rex Tyri, mittit Davidi ligna et fabros ad palatium ei exſtruendum. Plures uxores Hieroſolymae ducit, pluresque liberos gignit 1—7. Bis cum Philiſtaeis feliciter pugnat 8—17.

1. Miſit autem Hiramus, rex Tyri, legatos ad Davidem. — *Ab eo quoque accepit* [a]) materiam cedrinam et fabros lapidarios et lignarios, qui ipſi domum exſtruerent. 2. *Omnino* David intellexit, Jovam

---

b) H. e. arcam, quam praecedebant.

c) In textu eſt אלהים, ut ſupra verſ. 8.

a) Cf. 2 Sam. 5, 11 ſqq.

vam regnum ſuum in Iſraëlitas confirmaſſe, magnamque ſibi propter populum ipſi ſacrum auctoritatem conciliare. 3. Deinde plures uxores duxit Hieroſolymae *praeter eas, quas Hebrone duxerat*, [b]) ex quibus plures filios filiasque ſuſtulit. 4. Nomina autem filiorum, qui ei Hieroſolymae nati ſunt, fuerunt haec: Sammua, Sobab, Nathan, Salomo, 5. Jibhar, Eliſua, Elpelet, 6. Noga, Negeph, Japhia, 7. Eliſama, Beeljada, [c]) Eliphelet. — 8. Philiſtaei autem, cum audirent, Davidem regem Iſraëlitarum unctum eſſe, bellum ei intulerunt. Quod cum ille cognoviſſet, ipſe quoque contra eos eſt egreſſus. 9. Occupaverant vallem Rephaim. 10. Tunc David Deum conſuluit, num, ſi Philiſtaeos aggrederetur, vellet eos ſibi tradere? Juſſit Jova eos aggredi et victoriam promiſit. 11. Illos igitur ad Baalprazim progreſſos concidit. Deo juvante, inquiebat, hoſtes meos perrupi, uti aqua ſolet perrumpere, hinc locus illo nomen Baalprazim accepit. 12. Reliquerant ibi Deos ſuos, quos David juſſit igne comburi. — 13. Cum deinde iterum in valle *Rephaim* conſediſſent, 14. David Deum denuo conſuluit, qui ei reſpondit: Ne eos a fronte aggrediare; ſed ab eis digreſſus accede e regione mororum, 15. quumque audieris ſtrepitum in mororum cacuminibus, prodito ad proelium commit-

b) Hoc in loco parallelo additur.

c) בְּעַלְיָדָע. Sed 2 Sam. 5, 15. ſcribitur אֱלִישָׁמָע, rectius haud dubie, quoniam non probabile eſt, Davidem nomen אל et בעל promiſcue adhibuiſſe. Legerunt *oi ó* et Syrus אלידע in noſtro loco. Vulgatus tantum habet *Baaljada*. Codex 215. *Kennicotti* habet באלידע, ſed, ut videtur, vel ex emendatione, vel ex errore ſcribae, quoniam littera Beth ſervata eſt.

mittendum, signum hoc est praesentiae divinae ad profligandum exercitum hostilem. 16. Fecit David, quod jussus erat a Deo, et profligati sunt Philistaei a Gibeone usque ad Geserum. 17. Quo facto nomen Davidis per omnes illas regiones innotuit, ejusque terrorem Jova omnibus istis gentibus injecit.

CAPUT XV.

David arcam magna cum pompa per Levitas in locum ei in arce Sionis paratum ex aedibus Obededomi deducit.

1. Cum deinde David sibi in arce sua domus exstruxisset, locum quoque arcae Dei paravit, eique tentorium fixit. 2. Tunc edixit, non licere, alios arcam Dei bajulare nisi Levitas; hos enim Jovam ad id ipsum elegisse et ad ministrandum ei in perpetuum. 3. Convocatis igitur omnibus Israëlitis Hierosolymam ad transferendam arcam Jovae in locum, quem ei paraverat. 4. *Simul* congregavit omnes Aaronis posteros et Levitas. 5. Ex Kehathitis *adfuit* Uriel princeps et consanguinei ejus centum et viginti. 6. Ex Meraritis Asaja princeps cum ducentis et viginti consanguineis. 7. Ex Gersomitis Joël princeps cum centum et triginta consanguineis. 8. Ex posteris Elisaphanis Semaja princeps cum ducentis consanguineis. 9. Ex posteris Hebronis Eliel princeps cum octoginta consanguineis. 10. Ex posteris Ussielis princeps Amminadab cum centum et duodecim consanguineis. 11. Tunc Zadokum et Ebjatharem sacerdotes et Levitas, *nempe* Urielem, Asajam, Joëlem, Semajam, Elielem et Amminadabum, 12. sic est

eſt allocutus: Vos principes eſtis familiarum Leviticarum, luſtrate igitur vos et contribules veſtros, ut transferre poſſitis arcam Jovae, Dei Iſraëlitarum, in locum, quem ei paravi. 13. Antea enim culpa veſtra factum eſt, ut Jova, Deus noſter, inter nos ſtragem ederet, quod eum non rite colueramus. 14. Igitur luſtrarunt ſe ſacerdotes et Levitae ad transferendam arcam Jovae, Dei Iſraëlitarum, 15. quam humeris ſuis in vectibus bajularunt Levitae, quemadmodum Moſes ex voluntate Jovae praeceperat. 16. Tunc quoque mandaverat David Levitarum principibus, ut conſtituerent conſanguineos ſuos muſicae peritos cum inſtrumentis muſicis, nabliis, citharis et cymbalis ſonoris, ut ſymphoniam canerent laetitiae teſtandae cauſa. 17. Igitur conſtituerunt Levitae Hemanem, filium Joëlis, et ex conſanguineis ſuis Aſaphum, filium Berechjae, et ex Merari poſteris, ſuis conſanguineis, Ethanem, filium Kuſajae, 18. et cum eis cognatos ſuos ſecundi ordinis, Secharjam, [a]) Jaaſielem, Semiramothum, Jehielem, Unnem, Eliabum, Benajam, Maaſejam, Mattithjam, Eliphlaeum, Miknejahum, Obededomum, Jehielem janitores; 19. cantores Heman, Aſſaph, Ethan cum cymbalis aeneis ad ſonandum; 20. Sacharjam, Aſielem, Semiramothum, Jehielem, Unnis, Eliabum, Maaſejam

a) Omitto בֶּן, quod non eſt nomen proprium, uti Vulgatus vertit: *et Ben*; nam non habet Vau praefixum. Verſu 20., ubi eadem nomina repetuntur, hoc בֶּן non legitur. Neque *oi ó* illud legerunt, ſed Syrus, qui vero jungit cum ſequenti nomine: *filius Jaaſielis*, quod tamen ab illo littera Vau ſejungitur. In duobus codd. *Kennicotti* 117. et 192. non legitur.

jam et Benajam nabliis acute ſonantibus; [b]) 21. Mattithjam, Eliphlehum, Miknejahum, Obededomum, Jeïelem et Aſasjahum citharis octochordis, ita ut praeeſſent. 22. Cenanja Levitis voce praeibat, melodiam praecinendo, *muſicae* quippe peritus. 23. Berechja et Elkana arcae erant janitores. 24. Sebanja, Joſaphat, Nethaneel, Amaſaeus, Secharja, Benaja, Elieſer ſacerdotes tubis canebant ante arcam Dei. Obededom autem et Jehija *quoque* [c]) erant ejus janitores. 25. Igitur David, ſeniores Iſraëlitarum et chiliarchi transtulerunt arcam legis divinae ex aedibus Obededomi laetabundi. 26. Atque cum Levitis eam bajulantibus Deus faveret, [d]) immolati ſunt ſeptem tauri totidemque arietes. 27. David autem amictus erat pallio byſſino, ut et omnes Levitae arcam portantes et cantores et Cenanja princeps, qui eis voce praeibat. 28. Sic Iſraëlitae transferebant arcam legis divinae cum clangore et ſonitu tubarum et buccinarum, et cymbalis ſo-

b) Hebr. עַל עֲלָמוֹת, de qua voce, ut omnino de omnibus muſicae apud Hebraeos artis terminis, admodum variae et diverſae ſunt virorum doctorum ſententiae, ſive potius conjecturae. De his noviſſime docte atque accurate ſcripſit Excell. *Pfeiffer* in libro Germanice edito *ſuper Muſica veterum Hebr.*, Erlang. 1779. Neque noſtrum locum ſilentio praeteriit, et praeter alias conjecturas (p. 26.) hanc quoque attulit, quod נבלים עלמות fortaſſe ſint nablia, quae ſonum acutum (Discant, ab עלמה *virgo*) edant. De *voce acuta* (Discant), quae illis inſtrumentis adjuncta fuerit, equidem nolim intelligere, quoniam non probabile videtur, mulieres ſ. virgines ſacrae muſicae a Davide eſſe adhibitas.

c) Praeter eos verſu praeced. nominatos.

d) Sc. cum viderent, Levitas ſine noxa arcam portare, intellectum eſt, Deo hoc non displicere.

onoris, nabliis et citharis. 29. Quae cum in urbem Davidis veniret, Michal, Sauli filia, prospectans per eneſtram vidit Davidem regem ſaltantem et ludentem, umque *hac de re* contemſit.

CAPUT XVI.

Arca in loco ſuo collocata populoque dimiſſo, David miniſtros arcae perpetuos conſtituit 1—7., quibus carmen eucharifticum, quod hac occaſione compoſuerat, tradit canendum 8—36. Sacerdotes aliosque Levitas Gibeone relinquit ad cultum ſacrum ibi curandum 37—43.

1. Poſtquam arca Dei introducta et collocata erat n tabernaculo, quod ei David tetenderat, obtulerunt olocauſta et ſacrificia eucharifica. 2. Quibus perctis David bene precatus eſt populo per Jovam, 3. atue distribuit in omnes Iſraëlitas, in viros et feminas, n ſingulos ſingulas placentas, viaticum et uvam paſam. 4. Deinde conſtituit arcae miniſtros ex Levis ad praedicandum, laudandum et celebrandum, [a]) . quorum princeps fuit Aſaphus, ſecundus ab eo acharja. Jeïel autem, Semiramoth, Jehiel, Mattitha, Eliab, Benaja, Obededom, Jeïel cum nabliis et itharis *adeſſe debebant*, Aſaphus vero cum cymbalis onaret. 6. Tandem Benaja et Jehaſiel ſacerdotes cum ubis ſemper canerent ad arcam legis divinae. 7. Eo die

a) Num et quale discrimen ſit inter haec tria verba: לְהַזְכִּיר, לְהַלְלוֹת, לְהוֹדוֹת, recte dubitatur. Judaei quidem primum intelligunt de cantu Pſalmi 38. et 70., in quorum titulis hoc verbum legitur; alterum de cantu Pſalmi 105.; et tertium de cantu omnium Pſalmorum, qui ab Halleluja incipiunt. Sed haec more ſuo argutantur.

die tradidit David primum [b]) carmen in honorem Jovae canendum per Asaphum ejusque consanguineos, *quod sequitur*: [c]) 8. Laudate Jovam, celebrate nomen ejus, praedicate inter gentes ejus facta. 9. Canite eum, psallite ei, narrate tot ejus facta mirabilia. 10. Gloriamini de nomine ejus sancto, laetetur animus eorum, qui Jovae student. 11. Hunc implorate ejusque potentiam, ad eum vos *precibus vestris* convertite. 12. Recordamini rerum mirabilium, quas fecit, prodigiorum et judiciorum ejus. 13. O posteri Israëlis, cultoris ejus, o filii Jacobi, quem suum esse voluit. 14. Hic Jova est Deus noster, qui toti terrarum orbi imperat. 15. Recordamini in perpetuum foederis, promissionis in mille aetates datae, 16. *foederis*, quod cum Abrahamo pepigit, et jurisjurandi Isaaco repetiti, 17. quod confirmavit Jacobo, ut decreti instar esset Israëli foedus perpetuum. 18. Tibi dabo, inquiebat, terram Cananaeam possidendam. 19. Cum essent [d]) numero pauci, exigui, peregrini in ea, 20. ab alia gente ad aliam migrantes, ex alio regno ad nationem aliam; 21. nec tamen permisit ulli, eos opprimere. In reges adeo propter eos animadvertit. 22. Ne offendatis, *ajebat*, unctos meos, [e]) ne

---

b) בְּרֹאשׁ *primum* vocatur, quoniam David deinceps plura composuit aeque ac illud usui sacro destinata.

c) Carmen hoc legitur quoque in Psalmo 105, 1 — 14. et 96. tot.

d) Pro בְּהִוֹתָכֶם legendum videtur בְּהִוֹתָם. Non praecedit subjectum, ad quod secunda persona pluralis numeri referri posset. Sic quoque legerunt *οἱ ὁ* et Vulgatus, et exstat in Ps. 105, 12.

e) *Unctos* vocat David patriarchas, ex more aetatis suae, non temporis ipsorum, qui nunquam uncti fuerunt. Sed quoniam tempo-

ne noccatis meis prophetis. 23. Canite Jovam, f) totius terrae *incolae*, nunciate quotidie ejus ſalutem. 24. Narrate inter gentes ejus majeſtatem, inter omnes populos ſacta ejus miranda. 25. Nam magnus eſt Jova et valde laudandus, magis quam ullus alius Deus verendus. 26. Aliarum gentium Dii nihili ſunt, Jova vero coelum creavit, 27. Decore et ſplendide colendus, laudibus laetis celebrandus. 28. Tribuite Jovae, nationes, tribuite Jovae honorem et laudes. 29. Tribuite Jovae dignum ejus nomine honorem, afferte fertum, comparete coram eo, adorate Jovam in ornatu ſancto. 30. Contremiſcat propter eum totus terrarum orbis, bene fundata eſt terra, non dimovebitur. 31. Laetetur coelum, exſultet terra, dicatur inter gentes: Jova regnat. 32. Reſonet mare et quidquid in eo continetur, geſtiat ager et quae in eo ſunt. 33. Jam jubilent arbores ſilveſtres propter Jovam; nam venit ad judicandam terram. 34. Laudate Jovam; nam bonus eſt, benignitas ejus eſt aeterna. 35. Dicite: Serva nos, Deus ſalutis noſtrae, collige nos, defende nos a gentibus, ut nomen tuum ſanctum celebremus, et de laude tua gloriemur. 36. Laudetur Jova, Deus Iſraëlitarum, ab aeterno et in aeternum. — Et reſponderunt omnes: Amen, laudetur Jova. — 37. Deſtinavit autem *David* arcae legis divinae Aſaphum

pore Davidis ungebantur ſacerdotes et forte etiam prophetae, cum vellet dicere, patriarchas ſacerdotes fuiſſe veri Dei, ac proinde ſacroſanctos fuiſſe habendos, vocat eos *unctos* et *prophetas* etiam, quod Deus eis ſeſe non ſemel revelaſſet. Reſpicitur ad hiſtoriam, quae legitur Geneſ. 20, 7. *Clericus.*

f) Incipit Pſ. 96.

phum ejusque cognatos, ut quotidiana ministeri
ligenter obſervarent, 38. et Obededomum cum
gnatis ſuis octo et ſexaginta. 39. Zadoko vero
doti ejusque cognatis curam commiſit tabernacul
vae, quod erat in loco excelſo Gibeae, 40. u
crificia ſolida facerent Jovae ſuper altari, ſacrifi
juge mane et veſpere, prorſus ex praeſcripto leg
vinae, quam Iſraëlitis dederat, 41. et cum eis
manem et Jeduthunem et alios certos ſuis nomi
deſignatos ad Jovam celebrandum propter aete
ejus benignitatem, 42. g) tubis et cymbalis ſo
aliisque inſtrumentis muſicis in honorem Dei.
vero Jeduthunis erant janitores. — 43. Tum o
domum redierunt, et David quoque disceſſit ad
precandum ſuis.

CAPUT XVII.

David cum Nathane conſilium de templo Jovae exſtruend
municat, qui quidem juſſu Dei hoc ei interdicit 1—6.
praedicit, filium tejus in regno ſucceſſorem hoc conſili
exſecuturum 7—15. Qua de re David Deo gratias agit
mas 16—27.

1. *Aliquando* cum David in palatio ſuo ſed
dixit Nathani prophetae: En! ego habito in ae

g) Omitto verba priora hujus verſus: *et cum illis Heman*
duthun, quae prorſus redundant et vel ſcribae errore ex
41. iisdem verbis incipiente, vel ab ipſo ſcriptore nev
repetita ſunt, qui fortaſſe ei videbatur interruptus per ea,
de hujus Hemanis et Jeduthunis collegis dixerat. Hes
omnes, dicit in hoc verſu, tubas et cymbala adhibuiſſe.
quis non videt, ſic quoque haec verba redundare, et in
ſione eſſe omittenda? *Οἱ ὁ* quoque ea omittunt.

cedrinis, arca vero legis Jovae est subtentorio. — 2. Respondit ei Nathan: faceret quod luberet, Deum enim ei adesse. 3. Sed hac ipsa nocte Deus Nathanem jussit 4. Davidem convenire, atque suo nomine ei dicere: Tu quidem non mihi domum exstrues, in qua habitem. 5. Nam ex quo Israëlitas *ex Aegypto* eduxi, usque ad hoc tempus domum non habitavi, semper mutans loca tentorii et tabernaculi. [a]) 6. Toto illo tempore, quo inter Israëlitas versatus sum, num ulli praesidum Israëliticorum, cui curam populi mei commiseram, verbum tantum dixi de domo cedrina mihi exstruenda? 7. Tum porro dices Davidi meo: Sic fatur Jova omnipotens: Ego te a caula ab agendo pecore sumtum principem constitui populi mei Israëlitici. 8. Adfui rebus tuis omnibus, perdidi hostes tuos omnes, famamque tibi conciliavi, quae aequet famam summorum in terrarum orbe regum. 9. Sedes certas assignavi populo meo Israëlitico, in quibus sine ullo timore felicitate constanti frui possit, nec amplius ab improbo hoste affligetur, uti olim, 10. aut eo tempore, quo judices ei praefeceram. Tuos quoque hostes omnes subegi. Praeterea tibi promitto, te posteros habiturum esse, in quibus regia dignitas servetur. 11. Completis diebus tuis, si cum majoribus tuis obdormieris, filio tuo a te nato regnum confirmabo.

12.

---

a) Sic Vulgatus ex parte vertit verba textus breviter dicta וְאֶהְיֶה מֵאֹהֶל אֶל־אֹהֶל וּמִמִּשְׁכָּן אֶל־מִשְׁכָּן. Ad ultimum וממשכן supplendum est אֶל־מִשְׁכָּן, ut prioribus respondeat. Diversae mutationes tabernaculi indicantur, quae in peregrinatione et post eam factae sunt.

12. Is mihi templum aedificabit, huic thronum regni sui stabiliam in perpetuum. 13. Ego patris instar ei ero, ipse mihi instar filii. Gratia mea eum non privabo, quemadmodum antecessorem tuum ea privavi. 14. Confirmabo eum in domo mea et in regno meo in perpetuum, et thronum ejus stabiliam in aeternum. 15. Haec omnia, quae Nathani in revelatione divina dicta erant, retulit ad Davidem. — 16. Tum hic locum Jovae sacrum adiit, atque coram eo his verbis est precatus: Quis ego, Jova Deus, et quae domus mea, qui me huc usque perduxisti? 17. Atque hoc tibi parum visum est, Deus, locutus es de familia mea longe remota, meque singulari prae aliis hominibus praerogativa dignatus es. b) 18. Quid plura dicam de honore illo *eximio*, quo me affecisti? Nosti tibi deditum. 19. Tu pro arbitrio tuo mea causa fecisti ista tam eximia, o Jova, ut res tantas patefaceres. 20. Non est tui similis, Jova, non est Deus praeter te, prouti ipsi auribus nostris percepimus, 21. et quaenam gens totius terrarum orbis cum tuis Israëlitis potest comparari? ad quos tibi vindicandos tu ipse egressus es, ad nomen tibi faciendum magna et horrenda praestando, dum propter illum tuum populum, quem ex Aegypto redemeras, gentes expellebas. 22. Hic igitur tuus populus, Israëlitae, tibi sacer sit in per-

b) Hunc sensum loci difficillimi dedit Vulgatus, qui vertit: *et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.* Verba textus admittunt hanc explicationem, sed non ignoro, alias longe et diversas esse allatas, tum a reliquis interpretibus antiquis, tum a recentioribus. Non parum differunt ab h. l. verba, quae substituit scriptor librorum Samuelis, de quibus vid. observat. ad illum locum 2 Sam. 7, 19.

perpetuum, et tu, o Jova, sis eorum Deus. 23. Quae vero mihi et familiae meae promisisti, haec quoque praestabis in aeternum, faciesque, quae dixisti. 24. Fides tua semper celebretur, dicant *omnes*: Jova omnipotens, Deus Israëlitarum, horum Deus *sit maneatque*, domus autem Davidis tui tuo beneficio stabiliatur. 25. Tu enim, mi Deus, hoc mihi revelasti, velle te familiam meam conservare, propterea audeo haec a te precari. 26. Jam igitur, o Jova, tu Deus es, atque has mihi dedisti promissiones. 27. Placeat ergo tibi, fortunare domum meam, ut tuo beneficio in perpetuum duret; te vero, o Jova, fortunante semper erit fortunata.

CAPUT XVIII.

Bella Davidis contra Philistaeos, Moabitas, Hadadeserum, Syros Damascenos et Edomitas feliciter gesta 1—13., quorum spolia in usum templi exstruendi a Davide consecrantur. Ejus ministri 14—17.

1. Postea percussit David Philistaeos, eisque subactis eripuit Gatham cum ejus municipiis. 2. Moabitas quoque concidit, sibique tributarios fecit. 3. Porrò profligavit Hadadeserum, regem Nesibensem Hamathae, qui ultra Euphratem regni sui fines stabilire tentaverat. 4. Cui David eripuit mille currus, septem equitum millia, et viginti millia peditum. Equis curruum nervos succidit, centum currus tantum reliquos fecit. 5. Syri Damasceni in auxilium venerant Hadadesero, regi Nesibensi, propterea quoque ex eis David concidit duo et viginti millia. 6. Quo facto *prae-*

ſidia [a]) impoſuit Syris Damaſcenis, eosque ſibi vectigales fecit; Jovam enim ubique habuit defenſorem. 7. Cepit quoque clypeos aureos militum Hadadeſeri, quos Hieroſolymam detulit. 8. Ex Tibhatha autem et Chune, oppidis Hadadeſeri, abstulit David ingentem aeris copiam, quam Salomo inſumſit in lacum aeneum, in columnas et alia inſtrumenta aenea. 9. Cum Tou, rex Hamathenſis, audiſſet, Davidem omnem Hadadeſeri, regis Neſibenſis, exercitum concidiſſe, 10. miſit ad eum Hadoramum, filium ſuum, qui ei gratularetur hanc de Hadadeſero victoriam, (bellum enim illi cum hoc interceſſerat) munusque offerret vaſorum aureorum, argenteorum, aeneorum varii generis. 11. Quae rex David non minus Jovae conſecravit, quam aurum et argentum, quod ex omnibus iſtis gentibus abstulerat, nempe ex Edomitis, Moabitis, Ammonitis, Philiſtaeis et Amalekitis. — 12. Abiſaeus, Serujae filius, concidit in valle ſalis Edomitarum duodeviginti millia. 13. Quo facto praefidia eis impoſuit et tributarios eos fecit Davidi. Jova enim Davidem ubique adjuvit. 14. Hic igitur totius Israelis rex factus jus dixit ex aequo univerſo populo. 15. Joabus, filius Serujae, dux fuit exercitus. Joſaphatus, Ahiludi filius, cancellarius. 16. Zadokus, Ahituphi filius, et Abimelechus, Ebjatharis filius, erant ſacerdotes, Savſa [b]) ſcriba. 17. Benaja, Jojadae filius, prae-

a) Deeſt נְצִיבִים, quod 2 Sam. 8, 6. legitur, omnesque verſiones antiquae legerunt, atque margini adſcriptum eſt cod. 224. *Kennicotti.*

b) 2 Sam. 8, 17. *Seraja* vocatur.

praeerat ſatellitibus, filii vero Davidis primi erant poſt regem.

CAPUT XIX.

Rex Ammonitarum Davidis legatos perquam contumelioſe tractat 1—5. Quam injuriam David bello ulciſcitur, in quo Ammonitae ut et eorum ſocii Syri magna clade afficiuntur 6—19.

1. Nahaſo, Ammonitarum rege, mortuo, cui filius ſucceſſerat, 2. voluit David cum Hanune, Nahaſi filio, amicitiam, quae ſibi cum patre interceſſerat, porro colere, atque propterea miſit legatos, qui eum de morte patris conſolarentur. Poſtquam legati Davidis ad Ammonitas venerant, 3. horum principes perſuaſerunt Hanuni, non in honorem patris ipſius miſiſſe Davidem illos conſolatores, ſed ad explorandam, inveſtigandam et evertendam regionem eos veniſſe. 4. Tum Hanun legatos Davidis totondit, veſtes eorum dimidias ad nates usque abſcidit, et ſic eos dimiſit. 5. Qui cum disceſſiſſent, et Davidi res eſſet indicata, obviam eis miſit, (homines enim magna erant contumelia affecti,) juſſitque, ut Hierichunte manerent, donec barba iterum creviſſet, tunc redirent. 6. Ammonitae, qui facile intelligebant, quam inviſi facti eſſent Davidi, miſerunt mille talentorum argenti, quibus *copias auxiliares* ſibi conducerent ex Meſopotamia, ex Syria Maachenſi et ex Neſibenſi currus et equites. 7. Conductis igitur duobus et triginta millibus curruum, [a]) nec non rege Maachenſi cum ſuis co-

a) Nemo, niſi pertinaciſſimus lectionis receptae defenſor, negabit, numerum hunc omnem fidem ſuperantem eſſe corruptum, quod etiam

copiis, castra posuerunt prope Medebam. Tum ipsi quoque Ammonitae ex omnibus oppidis convenerunt et bellum pararunt. 8. Quae cum David audisset, misit Joabum cum toto exercitu hominum fortissimorum. 9. Ammonitae aciem instruxerant ante portam urbis; reges autem, qui ad auxiliandum venerant, seorsim in campo. 10. Joabus, cum videret aciem a fronte et a tergo contra se instructam, selegit lectissimos Israëlitarum, quos Syris opponeret; 11. reliquum autem exercitum tradidit Abisaeo, fratri suo, contra Ammonitas, 12. eique dixit: Si Syri me prement, tu mihi feres auxilium, et si Ammonitae tibi fuerint superiores, ego te adjuvabo. 13. Fortis esto, et pugnemus alacriter pro populo nostro et pro oppidis Dei nostri. Jova autem faciet, quod ei placuerit. 14. Tunc Joabus cum exercitu suo aggressus est Syros, qui terga dederunt. 15. Ammonitae, cum viderent, Syros fugisse, fugerunt et ipsi ab Abisaeo, Joabi fratre, seque in oppidum receperunt. Quibus confectis Joabus Hierosolymam est profectus. 16. Sed Syri ab Israëlitis caesi missis legatis exciverunt Syros trans Euphratem, quibus praeerat Sophachus, dux exercitus Hadadeseri. 17. Quod cum

etiam haud obscure ex loco parallelo 2 Sam. 10, 19. potest colligi, ubi narratur, Davidem septingentos currus perdidisse. Quo facto certe nondum victoriam esset consecutus, cum longe major superesset numerus, qui resisterent. Sed quis audeat verum numerum restituere, cum versiones antiquae in numero ipso consentiant, quanquam in rebus indicatis paullulum variant? Syrus enim *equites*, non *currus*, Arabs *currus et equites* vertit. *Kennicottus* vero in suis codd. nullum dissensum observavit. Conjecturae *Clerici* et *Hubigantii* legantur apud ipsos.

cum Davidi esset nunciatum, coactis omnibus Israëlitis Jordanum trajecit, et cum ad hostes venisset, aciem contra eos instruxit proeliumque commisit Syris, 18. qui terga dederunt Israëlitis. Occidit David ex Syris quadrigariorum septem millia, peditum vero quadraginta millia; etiam Sophachum, ducem exercitus, interfecit. 19. Cum vero Syri Hadadeseri viderent, se Israëlitis pares non esse, pacem fecerunt cum Davide, eique fuerunt subjecti, neque ausi sunt amplius auxilium ferre Ammonitis.

CAPUT XX.

Bellum contra Ammonitas a Joabo redintegratum et a Davide confectum 1—3. Contra Philistaeos variae expeditiones 4—8.

1. Sequenti anno, tempore, quo solent reges *ad bellum* prodire, Joabus quoque exercitum duxit in regionem Ammonitarum, eaque vastata Rabbam *metropolin* oppugnavit. David autem manserat Hierosolymae, igitur Joabus Rabbam expugnavit et destruxit. 2. Tum David cepit coronam regis *Ammonitarum* pendentem talentum auri et lapidibus pretiosis ornatam, eamque sibi imposuit, ex urbe autem ingentem praedae copiam abstulit. 3. Oppidanos eduxit, eosque serris et tribulis ferreis et securibus dissecuit, [a]) atque ita fecit omnibus Ammonitarum oppidis, tandemque cum toto exercitu Hierosolymam rediit. — 4. Postea proelio decertatum est apud Geseram cum Philistaeis. Tunc percussit Sibchaeus Hu-

sa-

a) Cf. 2 Sam. 12, 26—31.

ſathenſis Sippaeum ex poſteris Raphae, et ſubjugati ſunt *Philiſtaei*. 5. In alio proelio cum eis commiſſo Elhanan, Jairi filius, interfecit Lahmaeum, fratrem Goliathi, cujus haſtile erat inſtar jugi textorii. 6. Porro cum ad Gatham pugnaretur, homo quidam immanis ſtaturae, qui ſenos digitos *in manibus et pedibus* habebat numero quatuor et viginti, qui etiam fuit ex Raphae poſteris, 7. convicii proſcidit Iſraëlitas. Hunc Jonathan, Simaei filius, fratris Davidis, interfecit. 8. Hi ex Rapha prognati Gathae a Davide hujusque militibus ſunt confecti. [b])

CAPUT XXI.

David contra ſententiam Joabi populum numerari jubet 1—3, quod ille invitus facit, nec integrum catalogum regi exhibet 4—6. Punitur David a Deo peſte trium dierum immiſſa 7—15.; placatur Deus ejus precibus et ſacrificio in area Ornanis oblato 16—30.

1. Adverſatus eſt diabolus Iſraëlitis, qui Davidem incitavit, ut eos numerari juberet. [a]) 2. Quod manda-

---

b) Cf. 2 Sam. 21, 18—22.

a) Sic verto verba textus וַיַּעֲמֹד שָׂטָן עַל־יִשְׂרָאֵל, neque puto, alium eis ſubeſſe ſenſum. *Clericus* quidem ſub שָׂטָן *inimicum Iſraëlitarum* intelligit, qui Davidi perſuaſerit, ut populum juberet numerari. Sed quanquam non nego, ſic שטן dici interdum, v. c. 2 Sam. 19, 22.; tamen nimis quaeſita mihi videtur haec explicatio, atque a *Clerico* tantum inventa ad emolliendam alterius formulae duritiem, quae de eadem re 2 Sam. 24, 1. adhibetur. Verum enimvero ad illum locum jam obſervavimus, nullum errorem ſubeſſe illi formulae et ſimilibus multis ex more loquendi Hebraeorum, quo omnia hujusmodi eventa immediatae Dei providentiae tribuunt. Hunc uſum loquendi su-

datum dedit Joabo et exercitus ducibus his verbis: Ite, numerate Iſraëlitas a Berſeba usque ad Danem, et referte ad me numerum, ut ſciam, quot ſint. 3. Reſpondit Joabus: *Ego quidem opto*, ut Jova populum ſibi ſacrum centuplo augeat. At enimvero, mi domine rex, omnes ſervi tui ſunt. Cur igitur iſta cupis Iſraëlitis haud dubie perniciosa? 4. Sed regis voluntas obtinuit contra ſententiam Joabi. [b]) Igitur hic egreſſus eſt, ut peragravit omnem Iſraëlitarum *terram*, rediitque Hieroſolymam. 5. Hic exhibuit Davidi numerum populi recenſiti. Fuerunt autem omnium Iſraëlitarum, qui arma ferre poterant, undecies centena millia; Judaeorum autem quadringenti et ſeptuaginta millia in armis exercitatorum. 6. Neque Levitae et Benjaminitae quidem fuerunt in illo cenſu, quoniam Joabo regis conſilium valde displicebat. 7. Atque etiam Deus graviter eo offendebatur, et clade afficiebat Iſraëlitas. — 8. David quidem mox culpam a ſe commiſſam Deo eſt confeſſus, petiitque, ut ſibi peccatum ſuum ignoſceret, quanquam admodum impru-

auctor librorum Chronicorum, Eſra, uti plerique exiſtimant, permutavit eam eo, qui ſuis temporibus obtinebat. Nam cum Judaei ante exſilium Babylonicum Deum omnium rerum bonarum et malarum auctorem dixiſſent, poſt reditum ex illa captivitate angelorum interventu mundum gubernari et malos inprimis genios vires ſuas in hominum perniciem exſerere ſtatuebant. Igitur mirum non eſt, ſi auctor horum librorum eventum hunc populo Iſraëlitico tam noxium inſtigationi diaboli aut mali geniii tribuit. Sic quoque ſentiunt S. R. *Niemeyer* in characteriſt. Bibl. p. IV. p. 329. et Celeb. *Eichhorn* in introduct. ad Vet. Teſt. p. II. p. 640.

b) De conſilio Davidis in hac populi numeratione cf. obſervat. ad 2 Sam. 24, 2.

prudenter fecisset. 9. Sed Jova jussit Gadum, prophetam Davidis, 10. hunc adire, atque suo nomine ei dicere: Tria tibi propono, ex quibus unum elige, ut tibi immittam. 11. Venit igitur Gadus ad Davidem, atque nomine Jovae ei dixit: Optionem habes, 12. num malis trium annorum famem, an trium mensium fugam ab hostibus tuis, quorum gladius te insequatur, an per tres dies ensem Jovae, hoc est, pestem in terra, Jovae angelo omnes Israëlitarum terminos perdente. Vide igitur, quid respondeam ei, qui me misit. 13. Ad haec David Gado dixit: Vehementer angor; malim tamen me Jovae committere, nam magna est ejus misericordia, quam hominibus. 14. Igitur Jova pestem immisit Israëlitis, qua septuaginta millia hominum perierunt. 15. Et jam miserat Deus angelum Hierosolymam ad hanc quoque perdendam. Sed cum ille jam in eo erat, ut hoc ageret, poenituit Jovam calamitatis, dixitque angelo vastatori: Satis est, cohibe manum tuam. Stabat vero ille angelus Jovae juxta aream Ornanis Jebusitae. 16. Quem cum David videret stantem inter coelum et terram, strictumque gladium manu tenentem et in Hierosolymam porrectum, cum se ipse, tum seniores populi centonibus amicti in faciem se abjecerunt, 17. et David Deum in hunc modum est allocutus: Nonne ego jussi numerari populum? Nonne ego is sum, qui peccavit et male fecit? Istae vero oves quid commiserunt, o Jova, mi Deus? Converte manum tuam in me et in domum patris mei; populum vero tuum ne clade confice! 18. Tum Jovae angelus jussit

Ga-

Gadum Davidi dicere, ut aram exſtrueret Jovae in area Ornanis Jebuſitae. 19. Abiit igitur David a Gado admonitus nomine Jovae. (20. Ipſe quoque Ornan, qui triticum triturabat, vidit angelum, et quatuor ejus. filii, qui apud ipſum erant et ſeſe abdebant.) 21. Cum igitur David Ornanem convenire vellet, hic eum conſpicatus, atque ex area egreſſus ſubmiſſe ſalutavit. 22. Tum David Ornani dixit: Cede mihi hujus areae locum, exſtruam in eo aram Jovae, fed juſto pretio ſoluto eum mihi cedes, ut clades in populo cohibeatur. 23. Reſpondit Ornan Davidi: Cape tibi, mi domine rex, et utere pro arbitrio tuo. En! tibi do boves ad holocauſta, tribulas ad ligna, et triticum ad fertum, omnia offero. 24. Non ita, inquit David, ſed juſto pretio ſolvam, neque enim Jovae offeram, quae tua ſunt, neque victimas faciam gratuitas. 25. Ita ſolvit David Ornani pro eo loco ſiclos aureos pondere ſexcentos, 26. atque conſtructa ibi ara Jovae obtulit holocauſta et ſacrificia eucharifica; cum ad Jovam precaretur, hic ei reſpondit igne coelitus in aram demiſſo, 27. juſſitque angelo, ut referret gladium in vaginam. 28. Atque deinceps quoque David in illa Ornanis Jebuſitae area ſacrificavit, quod Jovam ſibi faventem ibi expertus fuerat. (29. Tabernaculum, quod Moſes in deſerto fecerat, et ara ſacrificiorum erant eo tempore in edito illo loco, qui eſt Gibeone.) 30. Nec tamen auſus fuiſſet David ſacra ibi facere, vehementer enim gladio angeli Jovae erat perterritus, *niſi Gadus propheta id ipſum eum juſſiſſet.* c)

CA-

c) Sic ex contextu coll. verſ. 18. locum explico perquam obſcurum et difficilem, quod ex interpretum diſſenſu apparet.

CAPUT XXII.

David Ornanis aream templo exstruendo destinat, magnamque materiae copiam pro hoc opere congerit 1—5. Salomoni, filio suo, indicat, eum a Deo ipso huic rei exsequendae esse destinatum 6—17., et proceres quoque hortatur, ut filium suum in eo negotio adjuvent 18. 19.

1. Postquam David hunc ipsum locum aedi Jovae et arae pro sacrificiis Israëlitarum destinaverat, 2. jussit congregari omnes terrae Israëliticae peregrinos, *ex quibus* constituit, qui lapides quadratos caederent pro aedificio templi divini. 3. Porro ferri magnam copiam ad clavos portarum ostiis et ad commissuras paravit, aeris vero pondus immensum 4. et materiam cedrinam innumerabilem. Nam Sidonii et Tyrii ligna cedrina magna copia advehebant ad Davidem. 5. Existimabat enim David, cum Salomo, filius suus, puer adhuc esset tenellus, aedes vero Jovae exstruenda deberet propter magnitudinem, excellentiam et nominis famam in omnibus terris celebrari, apparatum sibi esse pro ea faciendum; propterea instruxit ante mortem suam quam plurima. 6. Tum advocavit filium suum Salomonem, eique praecepit, ut aedem Jovae, Israëlitarum Deo, exstrueret, 7. his verbis ad eum usus: Equidem constitueram, mi fili, aedem Jovae, Deo meo, exstruere; 8. sed hic mihi dici jussit, nolle se, ut hoc a me fieret, qui multum sanguinis effudissem et magna bella gessissem. 9. Sed filium mihi nascendum, qui vir quietus sit futurus, et cui quoque quietem ab omnibus hostibus suis sit conciliaturus, Salomonem propterea vocandum, quod pace et tranquillitate Israëlitae ejus aetate fruituri sint, 10. hunc sibi aedem esse ex-

exſtructurum, hunc ſibi inſtar filii, ſe inſtar patris ei futurum eſſe, hujus in Iſraëlitas regnum ſe in perpetuum eſſe ſtabiliturum. 11. Jam igitur, mi fili, Jova, Deo tuo, favente, tu feliciter ei aedificabis aedem, quemadmodum tibi jam promiſit. 12. Sane dabit tibi Jova, Deus tuus, prudentiam et intelligentiam, praeficiet te Iſraëlitis, ſed ſub hac conditione, ut legem ejus obſerves. 13. Tunc enim omnia tibi feliciter ſuccedent, ſi diligenter impleveris omnes leges et inſtituta, quae Jova per Moſen Iſraëlitis praeſcripſit. Fortis igitur eſto et conſtans, noli timere aut conſternari. 14. Equidem pro tenuitate mea paravi ad aedem Jovae centum millia talentorum auri, argenti vero decies centena millia. [a]) Aeris autem et ferri pondus propter nimiam ejus copiam initum non eſt. Ligna quoque et lapides praeparavi, quibus tu plura addes. 15. Tecum habes opifices magno numero, lapicidas et fabros lapidarios et lignarios et omnium artium peritos, 16. auri porro, argenti, aeris, ferri immenſam copiam. Age igitur, aggredere opus, Jova juvante! — 17. Tum quoque Iſraëlitarum proceribus David praecepit, ut adjuvarent Salomonem, filium ſuum. 18. Jova, Deus veſter, inquit, vobis adeſt et quietem vobis dedit ab omnibus partibus. Mihi enim tradidit has regiones et ſubactae ſunt Jovae ejusque populo. 19. Igitur mentes veſtras eo tantum intendite, ut Jovam, Deum veſtrum, colatis. Exſtruite ei ſanctuarium, cui arca legis et vaſa ſacra inferantur.

CA-

a) Vid. obſervat. ad cap. 29, 7.

CAPUT XXIII.

Levitarum recenſio et ad ſacra munera ſecundum familias conſtitutio.

1. David ſenex et aetate jam ſatis provectus regem in Iſraëlitas conſtituit Salomonem, filium ſuum, 2. et congregavit omnes Iſraëlitarum principes, ſacerdotes et Levitas, 3. ut numerarentur ex Levitis, qui trigeſimum aetatis annum exceſſiſſent. Fuit autem horum numerus, qui viritim recenſiti ſunt, duodequadraginta millia. 4. Ex his ſint, *inquiebat David*, [a]) qui curam gerant aedis Jovae, quatuor et viginti millia, ſcribarum et judicum ſex millia, 5. quatuor millia janitorum, totidemque, qui ſymphonias canant in hononorem Jovae inſtrumentis hunc in finem a me factis. 6. Diviſit eos David in claſſes *pro numero* filiorum Levi, Gerſonis, Kehathi et Meraris. 7. Gerſonitarum fuerunt Ladan et Simei. 8. Filii Ladan fuerunt tres, Jehiel primus, ſecundus et tertius Setam et Joël. 9. Filii Simei: Selomith, Haſiel et Haran, tres. Hi principes familiarum Ladanis fuerunt. 10. Simei quatuor habebat filios, Jahathum, Siſam, [b]) Jeüſum et Beriam. 11. Jahathus princeps fuit, Siſa ſecundus. Jeüſus et Beria, quod non multos habebant filios, pro una familia cenſi ſunt. 12. Filii Kehathi: Amram, Jizhar, He-

---

a) Hoc ſupplendum eſſe, apparet ex verſu ſequenti, in quo David loquens inducitur עָשִׂיתִי.

b) In textu legitur זִינָא, ſed in ſequenti verſu, ubi eadem nomina repetuntur, ſcribitur זִיזָה, et ſic quoque *οἱ ὁ* et Vulgatus in utroque verſu legerunt, quae ſcriptio igitur horum interpretum auctoritate confirmatur. Syrus et Arabs legerunt זַבְדֹּא. Miratus ſum, veram lectionem a *Kennicotto* in nullo codice eſſe obſervatam.

Hebron et Uſſiel, quatuor. 13. Filii Amrami fuerunt Aaron et Moſes. Ille et poſteri ejus deſtinati ſunt in perpetuum miniſterio rerum ſacrarum, adolendo coram Jova, miniſtrando ei et bene precando *populo* c) ejus nomine. 14. Moſis autem, viri divini, filii cenſi ſunt in tribu Levi. 15. Fuerunt ejus filii Gerſom et Elieſer. 16. Filiorum Gerſomi princeps fuit Sebuel; 17. Elieſeris: Rehabja; nec habuit Elieſer praeter hunc alios filios. Sed hujus Rehabjae filii fuerunt complures. 18. Filiorum Jizharis princeps fuit Selomith. 19. Filii Hebronis: Jerijahu primus, Amarja ſecundus, Jahaſiel tertius, Jekamam quartus. 20. Filii Uſſielis: Micha primus, Jiſſijja ſecundus. 21. Filii Meraris: Mahli et Muſi. Filii Mahli: Elaſar et Kis. 22. Elaſar poſt mortem ſuam non filios, ſed filias reliquit, quas in matrimonium duxerunt filii Kiſi, earum conſobrini. 23. Muſi tres fuerunt filii: Mahli, Eder et Jeremoth. 24. Hi fuerunt Levitae ſecundum familias patrias, harumque principes, recenſiti pro numero capitum, qui ad aedem Jovae miniſtrabant, qui omnes annum aetatis viceſimum exceſſerant. d) 25. Nam quoniam David ſperabat, Jovam, Iſraëlitarum Deum, qui populum ſuum pacatum reddidiſſet, Hieroſolymae in perpetuum eſſe habitaturum: 26. ſtatuit, ut Levitae deinceps non amplius portarent tabernaculum et vaſa ad illius

c) Ex lege Num. 6, 24.

d) Supra verſ. 3. cenſi leguntur, qui annum aetatis trigeſimum exceſſerant, ex lege Moſaica Num. 4, 3. Sed in hoc verſu de alio cenſu ſermo eſt. Nimirum ſtatuit David, ut Levitae ab anno aetatis viceſimo miniſterio ſacro adhiberentur, ex ratione v. 25. indicata.

lius ministerium necessaria. 27. Igitur ex ultimis ejus mandatis numerus Levitarum initus est, qui annum aetatis vicesimum excesserant, 28. quorum munus esset, ut curantibus Aaronis posteris ministrarent in aede Jovae, in atriis, in conclavibus, ut purgarent totum sanctuarium et quae praeterea ad ejus ministerium pertinerent. 29. Nempe ut *pararent* panes appostitios, similam, munus farreum, placentas non fermentatas, aut quae in sartagine coquenda essent, nec non ut curae iis essent mensurae et dimensiones, 30. tum ut adessent singulis matutinis ad laudandum et celebrandum Jovam, itemque vespertinis, 31. ut omnis generis sacrificia Jovae sabbathis, noviluniis et diebus festis offerenda curarent, atque sic certo numero legeque constituta semper in loco sacro versarentur, 32. obeuntes munera in tentorio conventus, aut in sanctuario, aut apud consanguineos suos, Aaronis posteros, in ministerio templi Jovae.

CAPUT XXIV.

Sacerdotum classes viginti quatuor 1—19., iisdemque Levitarum classes attributae 20—31.

1. Aaronis quoque posteri in classes certas sunt distributi. Filii Aaronis erant Nadab, Abihu, Elasar et Ithamar. 2. Nadabus quidem et Abihu mortui sunt ante patrem suum, neque filios reliquerunt, igitur sacerdotio functi sunt Elasar et Ithamar, 3. quos David distribuit, Zadokum nempe ex posteris Elasaris et Ahimelechum ex posteris Ithamaris pro eorum recensione

ad

ad ipſorum miniſteria. 4. Et quoniam eis viritim recenſitis plures erant poſterorum Elaſaris quam Ithamaris, ita diviſi ſunt, ut ex illis eſſent principes familiarum ſedecim, ex his vero octo. 5. Quae eorum diviſio facta eſt per ſortes pares. [a]) Utrique enim, cum Elaſaris tum Ithamaris, poſteri erant principes ſanctuarii et principes magiſtratus. 6. Nomina eorum Semaja, Nethaneelis filius, ſcriba ex Levitis, praeſente rege, principibus, Zadoko ſacerdote, Ahimelecho, filio Ebjatharis, et familiarum capitibus tum ſacerdotum tum Levitarum conſignavit, ſingulos cum familiae Elaſaris, tum quoque ſingulos familiae Ithamaris [b]). 7. Prima ſors

---

a) Hebr. אֵלֶּה עִם־אֵלֶּה *hos cum illis.* Nimirum omnibus poſterorum Elaſaris et Ithamaris nominibus in urnam conjectis, prouti nomina educebantur, ordinem claſſis ſacerdotalis conſtituebant. Sic nemo de perſonarum reſpectu habito conqueri poterat.

b) Emendationem verborum difficillimorum אֶחָד אָחֻז לְאֶלְעָזָר וְאָחֻז אָחֻז לְאִיתָמָר jam *Cappellus* tentavit, (in crit. ſ. lib. IV. cap. IV. ſect. 8.); nam quid verba ואחז אחז ſibi velint, nemo dixerit. Ille igitur haec mutat in אֶחָד אָחֻז, ut prioribus reſpondeant, et ſenſum putat eſſe: unam ſortem pro Elaſare, alteram pro Ithamare eſſe ductam. Sed hanc Cappellianam criſin, quam maxima ex parte ſuam fecit *Clericus*, cum mutatione tamen parum felici, *Hubigantius* recte, uti arbitror, improbat ex eo, quod numerus familiarum non fuerit aequalis; nam verſ. 4. legitur, claſſes ſedecim fuiſſe Elaſaris, Ithamaris vero tantum octo, quod tamen eſſe debuiſſet, ſi alternatim unum nomen pro hoc, alterum pro illo ſorte eſſet eductum. Sed in hoc verſu, quod recte obſervat *Hubigantius*, nondum de ipſa ſortitione ſermo eſt, de qua ſequentes verſus exponunt, ſed de eo tantum, quod Semaja ſcriba conſignarit ſingula nomina eorum, qui erant de familia Elaſaris, et ſingula nomina eorum, qui erant de familia Ithamaris. Ex quo ſequitur, legendum eſſe אֶחָד

ſors obtigit Jojaribo, ſecunda Jedajae, 8. tertia Harimo, quarta Seorimo, 9. quinta Malcijae, ſexta Mijjamino, 10. ſeptima Kozo, octava Abijae, 11. nona Jeſuae, decima Sechanjaho, 12. undecima Eljaſibo, duodecima Jakimo, 13. decima tertia Huppae, decima quarta Jeſibabo, 14. decima quinta Bilgae, decima ſexta Immero, 15. decima ſeptima Heſiro, duodeviceſima Piſſeſo, 16. undeviceſima Petahjae, viceſima Jeheskelo, 17. viceſima prima Jachino, viceſima ſecunda Gamulo, 18. tertia et viceſima Delajaho, quarta et viceſima Maasjaho. 19. Hae fuerunt claſſes miniſterii ab eis peragendi in templo Jovae ſecundum ritus, quos acceperant ab Aarone, progenitore ſuo, ei praeſcriptos a Jova, Deo Iſraëlitarum. 20. Quod attinet ad reliquos Levitas, ex poſteris Amrami fuit Subaël, ex hujus poſteris Jehdeja, 21. e Rehabjae filiis Jiſſijja eorum primus, 22. Jizhari Selomothus, Selomothi Jahathus. 23. Filii *Hebronis fuerunt*: Jerijja *primus*, c) Amarja ſecundus, Jahaſiel tertius, Jekamam quartus. 24. Ex poſteris Uſſielis fuit Micha, ex poſteris Michae Samir. 25. Frater Michae fuit Jiſſijja, ex hujus filiis Secharja. 26. Filii Me-

---

אָחִד אָחִד et in poſteriori membro וְאָחִד אָחִד. Sic quoque legerunt *οἱ ὁ*, qui habent: *εἷς εἷς τῷ Ἐλεάζαρ, καὶ εἷς εἷς τῷ Ἰθάμαρ*. Num Syrus quoque ita legerit, cum *Hubigantio* non certo dixerim, vertit enim: (*Scripſit eos Semaja ſcriba*) *nempe domum patriarchae unam Elazaris* ܒܝܬ ܐܒܗܬܐ *et alteram Ithamaris*. Nam videri poſſet in poſteriori membro legiſſe אחרון ſ. אחרין, lectione tamen minus bona.

c) Deest nomen natu majoris filiorum Jerijjae, quod jam in codice *τῶν ὁ* fuit omiſſum, qui ſic habent: *υἱοὶ Ἐνδεοῦ* (pro *Ἰρίου*) *Ἀμα-*

Meraris fuerunt Mahli et Mufi, filii Jaafijjae Beno. *) 27. Meraris pofteri ex Jaafijja, Beno, Soham, Saccur et Ibri. 28. E Mahli pofteris fuit Elafar, qui nullos habuit filios. 29. Kifi filius fuit Jerahmeel. 30. Filii Mufi fuerunt Mahli, Eder et Jerimoth. Hi fuerunt Levitae fecundum familias patrias, 31. qui et ipfi fortes jecerunt cum confanguineis fuis, Aaronis pofteris, praefente Davide rege, Zadoko et Abimelecho, capitibus familiarum, facerdotibus et Levitis, familia princeps aeque ac familia minima.

CA-

Ἀμαδία ὁ δεύτερος. Vulgatus vertit: *filius ejus Jerian primus, Amarias fecundus*, quafi legiffet הָבְנוֹ יְרִיָּהוּ הָרִאשׁוֹן. Sed quis audeat hujusmodi lacunas explere fine codd. Hebr.? †)

†) Hujus loci lacuna ex loco parallelo 23, 19. fic explenda eft: וּבְנֵי חֶבְרוֹן יְרִיָּהוּ הָרִאשׁ. Ergo non filii natu majoris, fed patris nomen omiffum eft. Fortaffe הָרִאשׁ verfus 21. caufa fuit, cur h. l. fcriba hanc vocem una cum patris nomine omiferit.

*) Verba Hebraica בְּנֵי יַעֲזִיָּהוּ בְּנוֹ corrupta effe videntur. *Clericus*, quamquam in eorum translatione cum Dathio omnino congruit, in annotatione ad h. l. recte dicit: *Hic videntur verba quaedam abundare. Certe, fi tantum fcriptum fuiffet* וְיַעֲזִיָּהוּ, *ut Jaafijja intelligeretur tertius fuiffe Meraritarum, qui hic nominantur, nihil deeffe putaremus.* Quamobrem hic locus ita mutandus videtur et transferendus: Filii Merari fuerunt Mahli, Mufi et Jaafijja. v. 27. Filii Merari ex Jaafijja, filio fuo, fuerunt Soham, Saccur et Ibri; v. 28. ex Mahlio Elafar etc. Verba בְּנֵי et בְּנוֹ e fequenti verfu in hunc verifimiliter fcribae errore illata funt.

CAPUT XXV.

Cantorum et muſicorum ſacrorum claſſes viginti quatuor.

1. Selegerunt quoque David et principes coetus [a]) ad miniſterium ſacrum poſteros Aſaphi, Hemanis et Jedithunis, qui carmina ſacra canebant adhibitis citharis, nabliis et cymbalis, ut ex eorum numero ſuo quisque munere fungeretur. 2. Filii Aſaphi fuerunt Saccur, Joſephus, Nethanja, Aſarela, qui patri praeſto erant canenti moderante rege. 3. Jedithunis filii erant Gedalja, Seri, Jeſaias, Haſabja et Mattithja, ſex, [b]) qui patri ſuo Jedythuni ſuberant cithara canentes ad laudandum et celebrandum Jovam. 4. Hemanis filii erant Bukkijja, Mattanja, Uſſiel, Sebuel, Jerimoth, Hananja, Hanani, Eliatha, Giddalti, Romamtieſer, Josbekaſa, Mallothi, Hothir, Mahaſioth. 5. Hi omnes fuerunt filii Hemanis, vatis regii, qui tuba canebant. Dederat Deus Hemani quatuordecim filios et tres filias. 6. Hi omnes patri ſuo aderant, cum caneret in templo Jovae, cymbalis, nabliis et citharis cultus ſacri cauſa. Ipſi regi autem aderant Aſa-

a) Hebr. שָׂרֵי הַצָּבָא non ſunt *principes exercitus*, uti vulgo vertitur, hos enim David in conſtituendis muſicis ſacris non adhibuiſſet, ſed principes ſacerdotum et Levitarum, ſive ii, qui cultum ſacrum curabant; nam de hoc צָבָא ſaepe dicitur; cf. Num. 4, 3.

b) At quinque tantum nominati ſunt. Nimirum omiſſum eſt nomen ſexti, quod *oi ó* in cod. Alex. addunt et ponunt inter Jeſaiam et Haſabjam, nempe *Simei*. Ex verſu 17. etiam plane apparet, hoc nomen ſcribarum errore h. l. excidiſſe. Ibi enim huic Simaeo decimam claſſem ſorte obtigiſſe narratur. Habet quoque hoc nomen Arabs et cod. 172. *Kennicotti*.

Asaphus, Jeduthun et Heman. 7. Quorum numerus, una cum eorum cognatis edoctis cantica Jovae et peritis fuit ducenti octo et octoginta. 8. Qui per classes singulas sortiti sunt, tum natu major tum minor, peritus aeque ac discipulus. 9. Prima sors obtigit ex Asaphi familia Josepho, secunda Gedaljae, 10. tertia Saccuro, 11. quarta Jizrio, 12. quinta Nethanjae, 13. sexta Bukkijjae, 14. septima Jesarelae, 15. octava Jesaiae, 16. nona Mattanjae, 17. decima Simeo, 18. undecima Asarelo, 19. duodecima Hasabjae, 20. tertia decima Subaëli, 21. quarta decima Mattithjae, 22. quinta decima Jeremotho, 23. sexta decima Hananjae, 24. septima decima Josbekasae, 25. duodevicesima Hanani, 26. undevicesima Mallotho, 27. vicesima Elijjathae, 28. vicesima prima Hothiro, 29. vicesima secunda Giddalto, 30. vicesima tertia Mahasiotho, 31. vicesima quarta Romamtiesero, qui omnes cum suis quisque filiis et cognatis [c]) erant duodeni.

CAPUT XXVI.

Janitores et custodes templi.

1. Quod attinet ad janitorum classes, ex Korhanis fuit Meselemja, filius Korae, ex Asaphi posteris. 2. Meselemjae filii erant Sacharja primogenitus, Jediaël secundus, Sebadja tertius, Jathniel quartus,

c) Hebr. בָּנָיו וְאַחָיו, quae verba ad singula nomina repetita sunt in textu Hebraeo; sed in versione semel posita sufficiebant.

3. Elam quintus, Jehohanan ſextus, Eljeonaeus ſeptimus. 4. Obededomi filii erant Semaja primogenitus, Jehoſabad ſecundus, Joah tertius, Sachar quartus, Nethanel quintus, 5. Ammiel ſextus, Iſaſchar ſeptimus, Peullethaeus octavus, nam Deus ei benedixerat. 6. Semajae quoque, ejus filio, nati ſunt filii, qui principatum obtinebant in familia patria, erant enim viri praeclari. 7. Filii Semajae erant Othni, Rephaël, Obed, Elſabadus; fratres ejus viri egregii Elihu et Semachja. 8. Hi omnes fuerunt ex poſteris Obededomi, eorum filii et cognati, homines ſtrenui et in miniſterii partibus alacres, ſexaginta duo numero. 9. Etiam Meſelemja filios et cognatos habebat, homines egregios, duodeviginti. 10. Hoſa ex Merari poſteris filios habuit, Simrim primum, (quamquam hic non erat primogenitus, ſed pater eum principem conſtituerat) 11. Hilkija ſecundum, Tebalja tertium, Secharja quartum. Omnes Hoſae filii et cognati fuerunt numero tredecim. 12. Ex his claſſes janitorum conſtitutae ſunt ſecundum capita ſingulorum, ut conjunctim cum cognatis ſuis miniſtrarent in templo Jovae. 13. Sortes aequaliter jecerunt pro familiis patriis de ſingulis portis. 14. Selemjae ſors obtigit orientalis; ejus filio Sebadjae, viro prudenti, ſeptentrionalis; 15. Obededomo meridionalis, ejusque filiis domus penuaria. [a]) 16. Suppimo et Hoſae ad occidentem,

---

a) בֵּית הָאֲסֻפִּים quid ſit, incertum. *Οἱ ὁ* voces Hebraeas retinuerunt: *Οἶκον Ἐσεφίμ*. Vulgatus: *in qua parte domus erat ſeniorum concilium*. Chaldaeus vertit: בֵּית שַׁקְפַיָּא *aedes ſu-*

tem, cum porta Sallecheth in via, quae *ad regiam* ducit, [b]) ut utriusque loci custodiam haberent. 17. Ad orientem Levitae erant sex, ad septentrionem per diem quatuor, ad meridiem per diem quatuor, ad domum penuariam bini, 18. ad Parbarem [c]) versus occidentem quatuor, duo prope viam aggestam. 19. Hae fuerunt classes janitorum ex Korhanis et Meraritis. — 20. Ex Levitis Ahijja praefectus fuit thesauris templi Dei et thesauris rerum consecratarum. 21. Filii Ladan: ex filiis Ladan Gersonitae, principes familiarum ejus fuit Jehieli. [d]) 22. Filii Jehielis, Setham et Jo-

superliminares. Sic a סַף *limen* videtur deduxisse. Obscure Melius *Junius* et *Tremellius* explicant de aerario s. aedificio, in quo varia templi supellex sit servata; coll. 2 Chron. 25, 24. Nehem. 12, 25.

b) Aeque incertum ac praecedens. *Lightfootus* in descript. templi cap. V. sect. I. p. 559. opp. dicit, שלכת significare aggestionem, et h. l. indicari portam, quae e templo ad regiam ducebat via aggesta, de qua *Josephus* lib. XV. cap. 14.

c) Janua fuit in latere occidentali templi; cf. *Lightfootus* l. c.

d) Hic versus haud dubie est corruptus. Lectio recepta, si ad verbum vertitur, sensum non habet. Sed quis nomina vitiose scripta sine codd. emendare potest? Secutus sum ex parte *Hubigantium*. *)

*) Minime hic locus est corruptus, ut Dathius opinatur. Ita enim transferendus est: *Quod attinet ad* Ladanitas, *qui sunt* Gersonitae e Ladane oriundi, princeps familiarum Ladanitarum Gersoniticorum fuit Jehieli. E cap. 23, 6—8. apparet, Levitas pro numero filiorum Levi, qui erant Gerson, Kahath et Merari, in tres partes fuisse distributos. Ex Gersonitis erat Ladan, cui tres filii erant, Jehieli primus, Setham secundus, Joël tertius. Ergo Gersonitae erant gens, Ladanitae una eorum stirps. Qua de causa h. l. בְּנֵי לַעְדָן *Ladanitae* accuratius definiuntur verbis appositione, quae dicitur, adjectis בְּנֵי הַגֵּרְשֻׁנִּי לַעְדָן *Gersonitae ex Lada-*

Joël, ejus frater, thesauris templi Jovae praefecti. 23. Amramitae, Jizharitae, Hebronitae, Ossielitae — e) 24. Sebuël e Gersomo, filio Mosis, natus princeps fuit praefectus thesauri. 25. Ejus fratris Eliese-

ris

---

dane oriundi. Haec autem verba, quae ab initio hujus versus usque ad לְלַעְדָּן leguntur, sunt Nominativi absoluti praesertim in lingua Hebr. saepe obvii, in quibus explanandis adhiberi solent verba: *quod attinet ad.* Ejusmodi Nominativum plerumque sequitur Pronomen demonstrativum eo casu, quo ipsum Nomen poni debebat, e. c. Ps. 18, 31. הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ *Deus, recta est via ejus*, pro תָּמִים דֶּרֶךְ הָאֵל *via Dei recta est.* Interdum autem pro tali Pronomine Nomen ipsum repetitur, uti Esth. 6, 7—9. אִישׁ־וְהִלְבִּישׁוּ אֶת־הָאִישׁ; cf. 1 Joh. 2, 27. *Καὶ ὑμεῖς, τὸ χρίσμα, ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει.*, Idem h. l. reperimus. Quoniam enim illis verbis hunc versum incipientibus ל praeponendum erat; Nomen ipsum cum ל praefixo, brevius tamen, est repetitum. Pro בְּנֵי לַעְדָּן enim brevius dicitur לַעְדָּן aeque ac pro בְּנֵי יִשְׂרָאֵל saepissime dicitur יִשְׂרָאֵל eodem significatu. בְּנֵי הַגֵּרְשֻׁנִּי *filii Gersonitarum* cum idem sit atque solum הַגֵּרְשֻׁנִּי *Gersonitae*, perinde ac Joël. 4, 6. בְּנֵי יְוָנִים *filii Graecorum* pro יְוָנִים *Graecis*: secundo loco solum הַגֵּרְשֻׁנִּי positum est. לַעְדָּן הַגֵּרְשֻׁנִּי sunt *Ladanitae Gersonitici*, ergo i. q. בְּנֵי הַגֵּרְשֻׁנִּי לְלַעְדָּן. רָאשֵׁי Plur. aut falso scriptum est pro Sing. רֹאשׁ, quia unus tantum familiae princeps, Jehieli, appellatur, sicuti 6, 42. 52. עָרִים pro עִיר et בָּנִים 1 Chron. saepius pro בֵּן, e. c. 2, 7. 8., falso sunt scripta; aut Pluralem eam ob causam adhibuit auctor, quod duo deinceps Jehielis filii nominantur, qui lege Mosaica patri successerunt in familiae principatu.

Vulgaris horum verborum constructio haec esset: רֹאשׁ הָאָבוֹת לִבְנֵי לַעְדָּן בְּנֵי הַגֵּרְשֻׁנִּי לְלַעְדָּן יְחִיאֵלִי: vel, quod idem est, : רֹאשׁ הָאָבוֹת לְלַעְדָּן הַגֵּרְשֻׁנִּי יְחִיאֵלִי.

e) Omnes fatentur, in hoc quoque versu deesse nonnulla. Neque enim cum antecedentibus, neque cum consequentibus haec cohae-

ris *) filius fuit Rehabja, nepos Jesaias, pronepos Joramus, abnepos Sichri, adnepos Selomoth; 26. qui Selomoth et fratres ejus praeerant thesauris rerum consecratarum a Davide rege, et familiarum principibus, a chiliarchis et centurionibus exercitus, 27. quas ex bellis et manubiis consecrarant ad templum Jovae instaurandum; 28. omnia a Samuele vate, a Saulo, filio Kisi, ab Abnero, Neris filio, a Joabo, Serujae filio, et ab alio quocunque consecrata tradebantur Selomotho ejusque cognatis. 29. Ex Jizharitis Cenanja ejusque filii res curabant Israëlitarum civiles atque erant scribae et judices. 30. Ex Hebronitis Hasabja ejusque cognati, homines egregii, mille et septingenti praeerant Israëlitis cis Jordanum versus occidentem, curantes res ad *cultum* Jovae et ad regis ministerium pertinentes. 31. Quorum Hebronitarum princeps fuit Jerijja, et gentium et familiarum. Anno quadragesimo regni Davidis censiti sunt Jasere in Gileaditide, in quibus inventi sunt homines fortissimi, 32. quorum

haerent. Imperfecta est oratio, inquit *Castellio*. Versiones antiquae eundem textum, quem nos legimus, exhibent.

*) Dathius h. l. dupliciter errasse mihi videtur: primum, quod non אֶחָיו, sed אָחִיו transtulit, varia enim lectio nusquam indicata est; deinde, quod Pronomen ad Gersomum, אָח vero ad לֶאֱלִיעֶזֶר ita retulit, quasi Eliezer ipse sit ille frater, id quod linguae legibus repugnat. Quibus de causis *Clerico* assentior, qui hunc locum sic fere transtulit: *Quod attinet* ad consanguineos ejus (sc. Sebuëlis) *ortos* Eliezero, cujus filius fuit Rehabja, Rehabjae Jesaja, Jesajae Joramus, Jorami Sichrius, Sichrii Selomothus: is Selomothus una cum consanguineis praefuerunt omnibus thesauris rerum consecratarum etc.

rum cognatos viros praestantissimos, duo millia et septingentos familiarum primarios, praefecit rex David Rubenitis, Gaditis et dimidiae Manassitarum tribui, curandis negotiis tum ad *cultum* Dei tum ad regem pertinentibus.

CAPUT XXVII.

Duces exercitus perpetui secundum duodecim anni menses distributi 1—15. Singularum tribuum princeps 16—24., aliique aulae Davidicae ministri 25—34.

1. Porro Israëlitae certo numero tum familiarum principes, tum chiliarchi et centuriones, eorumque tribuni, qui regi ministrabant, in classes fuerunt distributi, quae per vices singulis anni mensibus *hoc suum munus* ingrediebantur et ab eo discedebant. Quarum classium unaquaeque fuit viginti et quatuor millium hominum. 2. Primae classi primi mensis praeerat Jasobam, filius Sabdiel, [a]) 3. ex Perezi posteris omnium exercitus ducum summus. 4. Classi secundi mensis praeerat Dodaeus Ahohita. Classis hujus dux erat Miklothus. [b]) 5. Tertii exercitus tertio mense princeps erat

a) Haec verba de singulis classibus repetita et propterea in versione a me in sequentibus omissa *Hubigantius* putat legenda esse post versum tertium, quippe qui de ipso illo Jasobamo agat, non de militibus, quibus praeerat, atque ita quoque est in sequentibus. Vera quidem est observatio, sed *οἱ ὁ* et Vulgatus eundem versuum ordinem exhibent.

b) Littera Vau ante מִקְלוֹת prorsus redundat. Vulgatus quoque praecedens ומחלקתו aut aliter legit aut explicat; vertit enim: *et post se alter nomine Macelloth. Οἱ ὁ* bis legerunt מַכְלוֹת, vertunt enim: *καὶ ἐπὶ τῆς διαιρέσεως αὐτοῦ καὶ Μακελὼθ ὁ ἡγούμενος. Kennicottus* nihil h. l. observavit ex suis codd.

erat Benaja, filius Jojadae, sacerdotis. 6. Hic est ille Benaja, qui triginta illorum heroum erat fortissimus eorumque praefectus. Classi verò ejus praeerat Ammisabadus filius. 7. Quarta quarti mensis classis fuit Asahelis, fratris Joabi, c) et post eum Sebadja, filius ejus. 8. Quintus quinti mensis princeps erat Samhuth Jisrahita. 9. Sextus sexti mensis Ira, filius Ikkesi Tekoënsis. 10. Septimus septimi mensis Heles Pelonensis ex Ephraimitis. 11. Octavus octavi mensis Sibchaeus Husathita ex Sarhitis. 12. Nonus noni mensis Abiesen Anathothensis Benjaminita. 13. Decimus decimi mensis Maharai Netophathensis ex Sarhitis. 14. Undecimus undecimi mensis Benaja Pirathonita ex Ephraimitis. 15. Duodecimus duodecimi mensis Heldai Netophathensis ex Othnielis posteris. Quorum omnium classes singulae vicena quaterna millia hominum continebant. — 16. Tribunum vero Israëliticarum praefecti fuerunt sequentes: Rubenitarum Eliesser, filius Sichri; Simeonitarum Sephatja, filius Maachae; 17. Levitarum Hasabja, filius Kemuelis; Aaronis posterorum Zadokus; 18. Judaeorum Elihu ex cognatis Davidis; Issascharitarum Omri, filius Michaëlis; 19. Sebulonitarum Jismaja, filius Obadjae; Naphtalitarum Jerimoth, filius Asrielis; 20. Ephraimitarum Hoseas, filius Asasjae; dimidiae tribus Manassitarum Joël, filius Pedajae; 21. alterius dimidiae Gi-

c) Non vivi, dudum jam occisi in proelio ab Abnero 2 Sam. 2, 18., antequam hae exercitus classes a Davide constituerentur. Sed in memoriam viri fortissimi classis de ejus nomine videtur nominata, cui filius praeerat.

Gileaditicae Jiddo, filius Sacharjae; Benjaminitarum Jaaſiel, filius Abneri; 22. Danitarum Aſarel, filius Jerohami. Hi fuerunt tribuum Iſraëlitiearum praefecti. 23. Nec vero numerati ſunt a Davide, qui erant viginti annis minores; nam Jova promiſerat angere Iſraëlitas inſtar aſtrorum coeleſtium. 24. Joabus, Serujae filius, inceperat quidem numerare, ſed non abſolvit, quod *Jova ea de cauſa* Iſraëlitis iraſcebatur, neque hic numerus relatus eſt in annales regis Davidis. — 25. Fiſco regis praeerat Aſmaveth, filius Adielis. Agrorum vero, oppidorum, pagorum et turrium fiſco Jonathan, filius Uſſijjae. 26. Ruſticis agriculturae operis praeerat Eſri, filius Chelubi. 27. Vinearum inſpectionem habebat Simei Ramathenſis. Vinum, quod erat in cellis vinariis, curabat Sabdaeus Sibmenſis; 28. oliveta et ſycomoros campeſtres Baalhanan Gederita; olei vero cellas Joaſus; 29. boves in Sarone paſcentes Sitrai Saronita, boves vero in vallibus Saphat, filius Adlaei; 30. camelos Obil Jismeelenſis, aſinas Jehdeja Meronothenſis; 31. tandem oves et capras Jaſis Hagrenus. Hi omnes praefecti fuerunt opibus regis Davidis. 32. Jonathan, Davidis patruus, erat conſiliarius, vir prudens et litterarum peritus. Jehiel, filius Hachmoni, erat cum filiis regis. 33. Ahithophel fuit conſiliarius regis, Huſaeus vero Archita ejus amicus. 34. Poſt Ahithophelem Jojada, filius Benajae, et Ebjathar. Dux exercitus regis fuit Joabus.

CA-

CAPUT XXVIII.

David in solemni conventu omnium procerum populi et aulae Salomonem regni successorem ab ipso Deo designatum declarat 1—8. Quem ut et universum coetum ad constantiam in colendo Deo hortatur; inprimis vero aedificationem templi commendat, cujus et totius apparatus formam Salomoni tradit, iterumque ad alacritatem in perficiendo opere excitat 9—21.

1. Tum convocavit David Hierosolymam omnes principes Israëlitarum, tribuum, classium, qui ipsi ministrabant, chiliarchos, centuriones, omnes suarum et filiorum suorum opum et facultatum praefectos, aulicos omnesque exercitus duces, 2. quos stans sic est allocutus: Audite me, fratres mei et populares! Ego quidem consilium ceperam, aedificare aedem quietis arcae legis divinae et scabello pedum Dei nostri, atque hujus aedificii jam apparatum feceram. 3. Sed Deus noluit, me ipsi aedem exstruere, quod bella gessissem sanguinemque effudissem. 4. Attamen Jova, Israëlitarum Deus, me ex omni patris mei familia elegit, ut rex essem Israëlitarum in perpetuum, (nam et tribum Judae voluit esse principem et in ea domum patris mei, atque in ejus filiis me hoc beneficio affecit, ut imperarem omnibus Israëlitis. 5. Ex filiis autem meis, quos complures mihi Jova largitus est, Salomonem, filium meum, elegit, qui throno regni in Israëlitas insideret). 6. Nimirum dixit mihi: Salomo, filius tuus, templum et atria mihi aedificabit, hic filii instar mihi sit, ego ei patris loco ero; 7. ejus regnum in perpetuum confirmabo, dummodo operam det, ut praecepta et instituta mea, uti hactenus fecit, exsequatur. 8. Jam igitur spectantibus omnibus Israëlitis,

qui

qui coetus est Jovae sacer, et audiente Deo nostro *vos obtestor*, ut summo studio praecepta Jovae, Dei vestri, servetis; sic enim terram hanc bonam tum ipsi possidebitis, tum eam posteris vestris relinquetis in perpetuum possidendam. 9. Tu vero, Salomo, mi fili, ama Deum patris tui, eumque corde integro et animo lubenti colito; nam omnium mentes Jova perscrutatur, et omnes cogitationes cognitas habet. Si eum quaesiveris, a te invenietur; si deserueris eum, abjiciet te in perpetuum. 10. En! te Jova dignatus est, qui ei aedem sanctuarii construeres, jam igitur alacriter hoc agito. — 11. Tum tradidit David Salomoni, filio suo, exemplar porticus, aedicularum, cellariorum, conclavium, penetralium et sanctuarii interioris, 12. porro exemplar omnium, quae in animo habebat, nimirum atriorum templi, omnium conclavium, quae illud ambire debebant, apothecarum ejus rerum consecratarum. 13. Tum porro *ei dedit descriptionem* classium sacerdotum et Levitarum, et totius cultus in templo exhibendi, omnisque supellectilis ei inservientis, 14. auri, quo pondere *insumi deberet* ad varia instrumenta illius cultus, et argenti ad varia vasa argentea diversi usus, 15. item auri ad candelabra aurea et lucernas eorum aureas pro diverso eorum pondere, et argenti ad candelabra argentea eorumque lucernas pro usu eorum diverso, 16. item auri ad mensas in usus varios, et argenti ad mensas argenteas, 17. ad fuscinas, crateres et pateras aurum purum, et ad scyphos tum aureos tum argenteos pro diverso singulorum pondere, 18. porro *exemplar* arae suffitus, assignato auri per-

perpurgati certo pondere, tandem delineationem currus cheruborum aureorum, qui alis ſuis expanſis tegebant arcam legis Jovae. 19. Atque horum operum omnium exemplar, *inquiebat David*, mihi ipſe Jova ostendit. 20. Tum Salomonem, filium ſuum, ſic eſt allocutus: Macte virtute eſto! Noli timere, aut deterreri; nam Jova Deus, Deus meus, tibi aderit, non te deſeret aut relinquet, quin totum opus templi ejus cultui deſtinati perfeceris. 21. Adſunt tibi claſſes ſacerdotum et Levitarum ad omne templi munus *parati*, nec non periti harum rerum artifices ſponte tibi in omnibus operam ſuam praeſtabunt, principes quoque et omnis omnino populus imperata facient.

CAPUT XXIX.

David principes populi hortatur, ut ipſi quoque ad ſtructuram templi munera ſua conferant; quod etiam liberaliter faciunt 1—9. Tum Deo gratias agit et pro Salomone precatur 10—19. Omnes diem feſtum celebrant, et Salomonem regem ungunt, qui patri ſuo in regno ſuccedit 20—30.

1. Tum David univerſum coetum his verbis eſt allocutus: Salomo, filius meus, quem [a]) Deus elegit, puer adhuc eſt tenellus; ſed opus magnum eſt. Nam non hominis, ſed Jovae Dei erit palatium. 2. Ego quidem pro viribus praeparavi ad aedem Dei mei aurum

---

a) Pro אֶחָד *unus* videtur legendum אֲשֶׁר, forma loquendi magis Hebraica. Sic quoque legerunt *οἱ ὁ*: *εἰς ὃν ᾑρέτισεν ἐν αὐτῷ κύριος*. Sed Syrus videtur lectionem receptam habuiſſe, quam membris transpolitis ſic vertit: *Salomo, hic filius meus, puer eſt parvus, hunc elegit Deus ex omnibus filiis meis, quoniam puer eſt ſapiens et prudens.*

rum pro aureis, argentum pro argenteis, aes pro aeneis, ferrum pro ferreis, lignum pro ligneis *operibus*, gemmas, ſmaragdos, et infitivos lapides ornatui et phrygionio operi aptos, omnisque generis lapidum pretioſorum et marmoris magnam copiam, 3. praeterea, pro amore meo in aedem Dei mei, dono inſuper ad ejusdem uſum peculium quoddam auri et argenti, praeter iſta omnia, quae aedi ſacrae paravi, 4. nempe tria millia talentorum auri Ophirini et ſeptem millia talentorum argenti puriſſimi, ad obducendos aedium parietes, 5. ita ut neque aurum neque argentum ulla in re, ubi opus eſt, artificibus deſit. Jam quis eſt, qui ultro munus Jovae offerat? 6. Tum ſponte obtulerunt principes familiarum, tribuum Iſraëlitarum, chiliarchi, centuriones et regiorum negotiorum praefecti 7. ad uſum aedis Dei quinque millia talentorum auri, decem millia Daricorum, totidem talenta argenti, [b]) aeris octodecim millia talentorum, et ferri cen-

b) De immenſa pecuniae ſumma a Davide ad templi ſtructura congeſta variae ſunt virorum doctorum ſententiae. Si ſummae, quam David 1 Chron. 23, 14. templo aedificando conſecravit, quae fuit centum millia talentorum auri, et mille millium talentorum argenti, adduntur ea, quae h. l. eundem in uſum donavit, tria millia talentorum auri et ſeptem millia talentorum argenti, et praeterea dona gratuita principum, quinque millia talentorum auri, decem millia talentorum argenti, totidemque Daricorum; ſumma pecuniae in uſum templi collatae efficitur, quae compluribus viris doctis omnem fidem ſuperare videbatur, quoniam talenti valorem aeſtimabant ex valore Graecorum et Romanorum nummorum. Sic *Brerewoodus* in tractatu de ponderibus et pretio veterum nummorum (qui praefixus eſt tom. polyglott. Londinenſ., inſertus quoque crit. Angl.

ntum millia. 8. Praeterea, quibus gemmae ſuppebant, eas dederunt ad theſaurum templi Jovae Jehi-

Angl. tom. VI. in fine) putat, pecuniam a Davide tantum collatam aequare 841125000 librarum Sterlingicarum, et *Cumberlandus* (cujus rationes *Clericus* in comment. ad ll. cc. affert) auxit ſummam ad 87782847 librarum ejusdem pecuniae Anglicae. Quas immenſas divitias, quibus ſimiles nullius vel ditiſſimi regis fuerint, cum non appareat, quomodo David, rex terrae non adeo magnae, congerere potuerit, *Clericus* Judaeos accuſavit, quod textum corruperint et numeris minoribus 1 Chron. 23, 14. majorem, nempe *millia*, addiderint, pro vano eorum ſtudio aliunde ſatis cognito, res popularium ſuorum praeter modum augendi. Sed hujusmodi corruptionis tentatae jure meritoque videntur abſolvendi. *Hubigantius* et *Kennicottus* (in diſſert. II. ſuper ratione textus Hebr. p. 843. verſ. Lat.) etiam errorem in numeris admiſſum ſtatuentes, eum ex more antiquo numeros per litteras ſcribendi deduxerunt, in quo quam facile peccari poſſit, nemo non intelligit. Mitto alias conjecturas minus probabiles, atque eorum ſententiam mihi maxime probari fateor, qui ſiclum Hebraeum ante captivitatem Babylonicam longe minoris fuiſſe pretii ſtatuunt, quam poſt reditum ex illo exſilio. Omiſſis aliis argumentis, ex quibus hoc probari poteſt, unum tantum commemorabo ex hoc ipſo loco ſumtum, idque ex mea quidem ſententia perquam clarum. Principes Davidis dabant praeter 5000 talentorum auri decem millia Daricorum. Jam vero illa 5000 talentorum auri ex communi aeſtimatione ſummam dediſſent centies quinquagies et octies millenorum millium Joachimicorum (158 Millionen Thaler); decem millia Daricorum autem tantum 82500 Joachimicorum, aeſtimato unius Darici valore ad duo et dimidium nummi aurei (Ducaten). Quae ſumma admodum exigua, ad illam relata, digna profecto non erat, quae priori adderetur aut ſpeciatim commemoraretur. Igitur dubitari non poteſt, quin talenti tempore Davidis valor longe minor fuerit, quam poſt reditum ex captivitate Babylonica. Sed quodnam pretium antiquiſſimum fuerit, quaeſtio eſt ad indagandum difficillima. *Michaelis* quidem data opera in eam inquiſivit in comment. de ſiclo ante exſilium Babyl. (tom. II. commentt. ſociet. ſcientt. Goetting. p. 110.) atque calculum ſummae pecuniae a Davide collatae ſic ſubduxit:

631548790

hieli Gerſonitae. c) 9. De qua eorum liberalitate (nam ſua ſponte optimo animo dona illa Jovae obtulerant) tum ceteri tum inprimis rex David magnam perceperunt laetitiam, 10. qui propterea Jovae gratias egit praeſente adhuc univerſa concione. His autem verbis precabatur: Ago tibi gratias immortales, Jova, Deus Iſraëlis, patris noſtri. 11. Tua eſt, o Jova! magnitudo et virtus et gloria et victoria et honor, omnia, quae in coelo et terra ſunt, tua ſunt, tuum eſt, Jova, regnum, et ſupra omnia excellens principatus. 12. Divitiae et gloria a te veniunt, tu dominaris omnibus, a te eſt robur et virtus, tu potes augere et confirmare omnes. 13. Jam vero, o Deus no-

---

631548790	Joachimicorum ſumma 1 Chron. 23, 14.
12982738	— — — ſumma priori a Davide addita h. l.
21205722	— — — donum gratuitum principum
665737250	Joachimicorum.

Quem calculum juſto minorem eſſe putat *Lilienthal*, (in der guten Sache der göttlichen Offenb. p. XIII. p. 823.) ſi ex pecunia ſignata ſumma ſubducitur. Sed cum longe probabilius ſit, auri et argenti hujus congeſti maximam partem fuiſſe infectam, eo ipſo etiam pretium totius ſummae minuitur: et tamen ille ſtatuit, eam 600 millenorum millia Joachimicorum aequare. Sed fortaſſe haec quoque ſumma nimis magna videatur, quam ut David eam congerere, aut ea templo exſtruendo inſumi potuerit. At fieri hoc potuiſſe, quis neget? Atque alia exempla divitiarum ab orientis regibus congeſtarum ſatis perſuadent, a Davide quoque hoc factum eſſe, cui bella, quae cum ditiſſimis gentibus geſſit, et ipſa quoque regni ſui oeconomia occaſionem dabant, opes et divitias ſuas praeter modum augendi. Sed non eſt hujus loci, ut hoc pluribus perſequar. Cf. *Lilienthal* l. c., qui prolixe hac de re egit p. 805. ſeqq.

c) Aerario ſacro praefecto; cap. 26, 21. 22.

nofter, te laudamus, nomenque tuum gloriofum celebramus. 14. Nam quis ego fum, aut qui eft meus populus, ut facultatem habeamus ad haec tibi ultro offerenda? A te funt omnia, et a te accepta tibi donavimus. 15. Peregrini enim et hofpites fumus, ficuti majores noftri omnes; ficuti umbra funt dies noftri in hac terra, nec fpes eft *vitae noftrae multum perducendae.* 16. O Jova, Deus nofter, omnis haec copia, quam paravimus ad aedem nomini tuo fancto conftruendam, a te venit, tua funt omnia. 17. Jam vero, mi Deus, certo fcio, te animum refpicere, atque integritate delectari: ego igitur animo integro ultro ifta omnia tibi obtuli, et fumma cum voluptate vidi populum tuum jam idem feciffe. 18. Jova, Deus Abrahami, Ifaaci et Ifraëlis, majorum noftrorum, ferva in perpetuum hanc populi tui mentem, animumque eorum ad te dirige. 19. Salomoni quoque, filio meo, da animum integrum ad fervanda praecepta tua, leges et inftituta, ut omnia perficiat atque palatium iftud, quod inftruxi, aedificet. — 20. Tum David univerfo coetui dixit: Gratias agite Jovae, Deo veftro, — et omnes gratias egerunt Jovae Deo majorum fuorum, eumque ut et regem fubmiffe funt venerati. 21. Poftridie facra fecerunt et holocaufta immolarunt in honorem Jovae, taurorum mille totidemque arietes et agnos cum eorum libaminibus, praeter facrificiorum omnium Ifraëlitarum ingentem multitudinem. 22. Sic inter facra eo die epulati funt vehementer laetantes, iterumque Salomonem, Davidis filium, regem crearunt et unxerunt ex voluntate Jovae, Zadokum vero facerdotem. 23. Sic confedit Salomo in

throno Jovae, ut rex esset loco Davidis, patris sui, idque feliciter; nam paruerunt ei omnes Israëlitae, 24. ut et omnes principes et duces militares, omnes quoque Davidis filii sese Salomoni regi submiserunt. 25. Jova vero eum vehementer auxit spectantibus omnibus Israëlitis, tantamque ejus regno concessit auctoritatem, quantam ante eum nullus regum Israëliticorum habuerat. 26. David vero, Isaei filius, 27. postquam in Israëlitas quadraginta annos regnaverat, Hebrone quidem septem annos, tres autem et triginta Hierosolymae, 28. mortuus est in canitie felici, vita, divitiis et gloria satiatus. Successit ei Salomo filius. 29. Res gestae Davidis ex ordine omnes memoriae proditae sunt in annalibus a prophetis Samuele, Nathane et Gado conscriptis, 30. una cum omnibus, quae ad historiam illius regni ejusque potentiam, et omnino tempora illa Israëlitarum pertinent, et conjuncta cum illis fata regnorum vicinorum.

CHRO-

CHRONICORUM

LIBER II.

CAPUT I.

Salomo Gibeone sacra facit 1—6. Noctu in somnio a Deo promissionem magnae sapientiae accipit 7—13. Divitias ejus ex negotiatione 14—17.

1. Salomo, Davidis filius, in regno confirmatus atque Jovae, Dei sui, favore dignitate auctus, 2. jussit, ut omnes Israëlitae, chiliarchi, centuriones, judices, omnes Israëlitarum principes et familiarum capita convenirent. 3. Quo facto ipse cum toto illo coetu Gibeonem profectus est; ibi enim erat illud Dei tentorium conventus, quod Moses, Jovae minister, in deserto fecerat. 4. Arcam vero transtulerat David Kiriathjearimo Hierosolymam, ubi ei tentorium paraverat. 5. Sed altare aeneum, quod Bezaleel, filius Uri, nepos Huris, fecerat, adhuc ibi erat apud tentorium Jovae. Huc se contulit Salomo cum toto illo coetu sacrorum causa, 6. atque super illo altari aeneo Jovae obtulit mille holocaustorum. 7. Hac ipsa nocte apparuit Deus Salomoni, jussitque, ut peteret, quod sibi ab ipso dari vellet. 8. Tum Salomo Deo dixit: Tu Davidem, pa-

trem meum, tanto illo beneficio affecisti, ut me pro eo regem constitueres. 9. Jam igitur, Jova Deus, rata fiant promissa Davidi, patri meo, a te data. Et quoniam me regem fecisti populi, qui multitudine pulverem terrae aequat, 10. da mihi sapientiam et peritiam, ut res hujus populi recte possim administrare. Alioquin quis tantum illum tuum populum gubernet? 11. Ad haec Deus Salomoni respondit: Quoniam sic sentis, neque petiisti divitias, opes, aut gloriam, neque hostium tuorum perniciem, aut vitam longaevam exoptasti, sed sapientiam et intelligentiam, ut regere possis meum populum, cujus te regem constitui, 12. non solum largior tibi sapientiam et prudentiam, sed etiam tantas divitias, opes et gloriam, ut regum, qui ante te fuerunt, nullus tibi possit comparari, nec post te similis sit futurus. — 13. Tunc revertit Salomo ab tentorio illo conventus, quod fuit in excelso Gibeonis loco, Hierosolymam, atque regnavit in Israëlitas. 14. Curruum et equitum numerum adeo auxit, ut mille et quadringentos currus haberet, equitum vero duodecim millia, quos partim in oppidis quadrigariis disposuit, partim in urbe regia Hierosolymae habuit. a) 15. Effecit rex, ut tanta esset auri et argenti copia Hierosolymae, quanta lapidum et cedrorum, quanta sycomororum in planitie. 16. Adducebantur Salomoni equi ex Aegypto. Nam mercatores ejus privilegium habebant, quod pro pecunia soluta eis concedebatur. 17. Pretium cujusque currus constabat sexcenties siclis argenteis, equi vero centum et quinquagin-

a) Cf. 1 Reg. 5, 6.

ginta. Sic omnibus Hethitarum et Syriae regibus ab eis adducebantur. [h])

CAPUT II.

Salomo a Huramo, Tyri rege, ligna et artifices petit mercede promissa 1 — 9. Huramus accepta conditione mittit utrumque 10 — 15. Salomo peregrinos terrae suae adhibet operi faciundo 16 — 18.

1. Postquam Salomo consilium ceperat aedis Jovae, sibi vero regiae exstruendae, 2. destinavit septuaginta millia hominum, [a]) qui bajularent, et octoginta millia, qui lapides caederent in montibus, eorumque praefectos tria millia et sexcentos. 3. Tum *litteras* misit ad Huramum, [b]) Tyri regem, hujus argumenti: Quemadmodum tu Davidi, patri meo, pro amicitia, quae tibi cum eo fuit, misisti cedros ad domum sibi exstruendam: *ita eundem favorem et mihi exhibeas peto.* [c]) 4. Scito enim, me aedificaturum esse templum Jovae, Deo meo, in quo religiose colatur suffitu aromatico, panibus continuo appositis, sacrificiis matutinis et vespertinis, sabbathis, interlunii, aliisque diebus festis ex perpetuis Israëlitarum institutis. 5. Templum vero istud, quod aedificaturus sum, magnum erit, quoniam Deus noster omnium Deorum maximus est. 6. Cui quidem nemo templum ejus ma-

b) Cf. observat. ad 1 Reg. 10, 28. 29.

a) Nempe peregrinos; cf. v. 16. seqq.

b) In libro regum scribitur hoc nomen חִירָם, cf. 1 Reg. 5, 15. In textu quidem est tantum *misit Salomo*, sed addidi *litteras*, quoniam vers. 10. Hiramus dicitur respondisse epistola.

c) Haec supplenda esse, contextus docet.

majeſtate dignum poteſt exſtruere; quippe quem nec altiſſimum coelum capiat, quomodo igitur ego ei aedem conſtruam? Tantum ad ſacra ei facienda hoc fiet. 7. Mitte igitur mihi virum peritum elaborandi auri, argenti, aeris, ferri, purpurae, cocci et hyacinthi, caelaturae quoque gnarum, qui cum artificibus, quos mecum habeo, in Judaea et Hierofolymae ea perficiat, quae David, pater meus, inſtruxit. 8. Praeterea mihi mitte ligna cedrina, abietina et ſandalorum ex Libano. Novi enim, tuos homines materiae caedendae peritos eſſe, mei vero tuis aderunt. 9. Sed materiae mihi parandae magna debet eſſe copia, quoniam aedes a me exſtruenda magna erit et plane ſingularis. 10. Ego vero lapicidis et lignatoribus tuis dabo tritici excuſſi cororum viginti millia et tantundem hordei, vini vero viginti millia bathorum et tantundem olei. — 11. Ad haec Huramus, Tyri rex, reſcripſit Salomoni his verbis: Jova amore in populum ſuum permotus te ei regem dedit. 12. Veneror ego Jovam, illum Iſraëlitarum Deum, coeli et terrae creatorem, qui regi Davidi filium dedit ſapientem, prudentia et intelligentia inſtructum, ut aedem Jovae, ſibi vero regiam conſtruat. 13. Jam vero mitto ad te peritum artificem, Huramum Abi, [d]) 14. filium mulieris ex Danitis, patris vero Tyrii. Is gnarus eſt elaborandi auri, argenti, aeris, ferri, lapidum et lignorum, purpurae, hyacinthi, byſſi et cocci. Caelandi artis quoque peritus eſt, et omnino omnis generis artificii, quod ei cum tuis et Da-

d) אָבִי mihi videtur eſſe nomen proprium propter cap. 4, 16., ubi cf. obſervat.

Davidis, patris tui, artificibus tradatur. 15. Quod promittis triticum, hordeum, oleum et vinum, mitte nobis, domine. 16. Nos vero ligna caedemus in Libano, quantum tibi opus erit; quae deinde tibi ratibus vehemus ad mare Joppam, unde tu ea Hierosolymam deportanda curabis. — 17. Tum numeravit Salomo omnes peregrinos terrae Israëliticae post illum censum, quem jam David, pater ejus, inierat. [e]). Inventi sunt centum quinquaginta millia, tria millia sexcenti, 18. ex quibus septuaginta millia bajulos fecit, octoginta millia lapicidas in montibus, et tria millia et sexcentos praefectos constituit, qui reliquis praeessent.

CAPUT III.

Templi situs, magnitudo, partes, ornatus, inprimis ex cherubis in adyto et columnis duabus aeneis ante templum.

1. Coepit vero Salomo construere templum Jovae Hierosolymae in monte Moria, qui Davidi, ejus patri, monstratus fuerat, in eo loco, quem ille hunc in finem paraverat in area Ornanis Jebusitae. 2. Structuram ipsam incepit secundo die mensis secundi, regni autem sui anno quarto. 3. Fundamenta, quibus templum Dei superstruxit, *hanc habebant mensuram*. Longitudo in dimensione prima [a]) patebat cubitos sexa-

e) 1 Chron. 22, 2.

a) Cur prima? *Clericus* putat, dici hoc cum respectu ad mensuram templi secundi, scriptoris horum librorum, Esrae nimirum, aevo aedificati. Esr. 6, 3. 4.

xaginta, latitudo templi patebat cubitos viginti. 4. Vestibulum, quod fuit cum in longitudine tum in latitudine templi, patebat cubitos viginti, altitudo vero centum et viginti, idque obduxit intrinsecus auro puro. 5. Aedem magnam [b]) tectam lignis abiegnis incrustavit auro puro, cui palmae et catenulae insculptae erant. 6. Stravit *aream* templi lapide pretioso ornatus causa. 7. Ejus trabes, limina, parietes et januas auro obduxit, quod aurum fuit ex Taprobane. [c]) Parietibus insculpsit cherubos. 8. Deinde fecit aedem sacrosanctam, cujus longitudo latitudini templi respondens patebat viginti cubitos, quam auro optimo obduxit, insumtis ad id sexcentis talentis. 9. Clavi aurei pendebant quinquagenos siclos. Conclavia quoque superiora auro obduxit. — 10. In illa aede sacrosancta fecit duos cherubos opere sculptili, auro obductos. 11. 12. Alas habebant viginti cubitos longas. Videlicet singularum alarum longitudo quinum cubitorum tantum erat; sed harum alarum utriusque cherubi una hinc, altera hinc templi parietem attingebat, alterae inter se cohaerebant. 13. Sic alae horum cheruborum in viginti cubitos expansae erant. Ipsi vero stabant in pedibus suis, faciebus ad aedem conversis. — 14. Fecit quoque siparium ex hyacinthina, purpurea et coc-

b) H. e. totum templum cum adyto.

c) Haec sunt verba versus 6. extrema. Quae quoniam illi parum apta sunt, huc videntur transferenda. Res enim in hoc versu nominatae auro sunt obductae, non lapides pretiosi pavimenti, de quo vers. 6. sermo est. — פַּרְוַיִם *Bocharto* (in Phaleg lib. II. cap. 27. p. 141. opp.) est insula *Taprobana*, quae nunc Zeilan vocatur, aliis aliter sentientibus; cf. *Cellarius* in notitia orb. antiq. tom. II. p. 718. 750.

coccinea lana et byſſo, cui quoque cherubos intexuit; 15. item duas columnas ante templum ſtatuendas, triginta quinque cubitos longas, una cum capitello vertici impoſito quinque cubitorum, 16. cui capitello catenulas et malogranata centum applicavit. 17. Has columnas erexit ante templum, unam ad dextram, alteram ad ſiniſtram, illam Jachin, hanc Boas vocavit.

CAPUT IV.

Altaris, lacus aenei, labrorum aliorumque vaſorum deſcriptio.

1. Deinde fecit aram aeneam viginti cubitos longam et totidem latam, decem vero altam; 2. porro lacum fuſum, cujus labra decem cubitos inter ſe diſtabant, undique rotundum, quinque cubitos altum, filum triginta cubitorum eum circumdabat. 3. Simulacra boum ſubtus in decem cubitos hunc lacum cingebant, duplici ordine, ſimul cum eo conflata. 4. Stabat ſuper duodecim bubus, quorum tres ſeptentrionem ſpectabant, tres occidentem, tres meridiem, et tres orientem. His lacus ille erat impoſitus, poſteriora vero eorum intus erant converſa. 5. Craſſities ejus erat palmaris. Labrum referebat labrum calicis, aut florum lilii. Tria millia bathorum capiebat. — 6. Porro fecit conchas decem, quarum quinque ad dextram, quinque ad ſiniſtram poſuit, ut in iis ablu-erentur, quae ad ſacrificia pertinerent, lacus vero abluendis ſacerdotibus erat deſtinatus. 7. Porro candelabra aurea decem ex forma conſueta, quae quina in templo poſuit ad dextram et ad ſiniſtram. 8. Item men-

menſas decem, quas eodem ordine ibidem diſpoſuit; et crateres aureos centum. — 9. Fecit et atrium ſacerdotum et atrium magnum, [a]) quod januas habuit aere obductas. 10. Lacum vero illum poſuit ad latus dextrum orientale verſus meridiem. 11. Idem ille Huramus fecit et ollas, palas et pateras, tandemque abſolvit omnem illam ſupellectilem pro rege Salomone in uſum templi Dei deſtinatam, 12. *nempe* duas columnas cum capitellis et coronis vertici illarum columnarum imponendis; retia duo ad tegenda illa capitella et coronas; 13. mala punica quadringenta duobus retibus, quorum utrumque duobus malorum punicorum ordinibus erat ornatum ad tegenda duo coronarum capitella columnis illis impoſita; 14. porro baſes decem et conchas eis impoſitas; 15. lacum et boves duodecim ei ſupponendos; 16. ollas; palas; fuſcinas et alia complura utenſilia, quae Huramus Abiv [b])

re-

a) Sc. omnibus Iſraëlitis communis.

b) Ex h. l. clarum eſſe videtur, cap. 2, 13., ubi idem nomen hujus artificis occurrit, חורם אבי, poſterius vocabulum partem nominis conſtituere, non vero nomen eſſe appellativum, *patris mei*, ſc. qui fuit, ſive, quo pater meus uſus eſt, uti vulgo explicatur. Nam in h. l. ſcribitur חורם אביו. Igitur ad prioris loci explicationem tuendam exiſtimat *Clericus* excidiſſe poſt חורם haec verba: *quem miſerat rex Tyri ſervum* patris ſui. *Hubigantius* prorſus omittit vocem אביו ut ſuperfluam, et falſe expreſſam, uti loquitur, ad formam alterius loci cap. 2, 13. — Utramque criſin nimis audacem eſſe, facile intelligitur. Vulgatus receptam lectionem exhibet, quae obſcura eſt, ſi אביו vertatur *pater ejus*. Num *oi ó* hanc vocem correxerint, an in codice ſuo litteris inverſis legerint ירבא, quoniam vertunt; *καὶ ἀνήνεγκε*, nolo decidere. Sed planum eſt, hanc

regi Salomoni in usum templi fecit ex aere puro. 17. In planitie Jordani ea conflavit in solo argillaceo inter Succotham et Zeredam. 18. Quorum utensilium tanta fuit copia, ut pondus aeris non posset investigari. 19. Sed supellectilem aedis divinae fecit Salomo ex auro puro, nempe aram, mensas, quibus panes imponi debebant, 20. candelabra, lucernas pro more incendendas ante adytum, 21. flores, lucernas, forcipes, 22. cultros, pateras, cochlearia, thuribula, quae omnia ex auro optimo facta sunt. 23. Atque adeo templi januae interiores ad adytum et januae templi erant aureae.

CAPUT V.

Salomo templo absoluto infert patris donaria 1., atque cum solemni pompa principum populi arcam legis in templi adyto collocat 2—10., quo facto nubes Dei templum implet 11—14.

1. Absolutis omnibus, quae Salomo ad templum Jovae facienda curaverat, intulit ei consecrata a Davide, patre suo, argentum nempe et aurum, et vasa omnia, quae in thesauris templi deposuit. 2. Tunc convocavit seniores Israëlitarum, et omnes tribuum duces et familiarum principes Hierosolymam ad transferendam arcam legis Jovae ex urbe Davidis, quae Sion vocabatur. 3. Qui cum omnes apud regem conve-

hanc lectionem minus esse aptam. Versio Syriaca et Arabica h. l. mutila est. Igitur nihil fere superesse videtur, nisi valde illud אביו f. אבי torquere velimus, quam ut statuatur, partem hanc vocem esse nominis hujus Hurami; cf. *Beckius* in notis ad paraphrasin Chaldaicam horum librorum.

veniſſent *menſe Ethanim*, [a]) qui eſt ſeptimus, ad festum celebrandum, 4. Levitae arcam 5. una cum tentorio conventus et vasis ejus sacris transtulerunt. 6. Ad quam rex Salomo et universus Israëlitarum coetus innumerabilem ovium et boum multitudinem immolarunt, 7. dum interea sacerdotes eam ad locum ei destinatum in adytum templi sanctissimum sacrarium detulerunt sub alis cheruborum, 8. qui alas suas versus eam extendebant, eamque ut et vectes superne tegebant. 9. Vectes tam longi erant, ut partes eorum extremae videri possent ante adytum, [b]) sed foris non poterant videri, atque etiamnum ibi prostant. 10. Nihil fuit in arca praeter duas tabulas, quas Moses *ibi* [c]) ad Horebum reposuerat. Quo tempore Jova cum Israëlitis post exitum eorum ex Aegypto foedus percussit. 11. Postquam sacerdotes e sanctuario egressi erant, (nam omnes lustrati erant, nulla classium ratione habita) 12. Levitae, cantores Asaphus, Heman, Jeduthun cum filiis suis et cognatis byssо induti, cum cymbalis, nabliis et citharis stabant ad orientem arae, et juxta eos sacerdotes centum et viginti, qui tubis canebant. 13. Et fuit, quasi una tuba clangeret et cantaret, dum una modo vox audiebatur laudando et celebrando Jovam. Cum vero ederetur sonitus ille turbarum, cymbalorum, aliorumque

a) Hoc supplendum esse, apparet ex 1 Reg. 8, 2.

b) Pro מִן הַדְּבִרִים legendum est מִן הַקֹּדֶשׁ et pro יִרְאוּ leg. יִחְיוּ. Sic omnes veteres, et sic quoque exstat in loco parallelo 1 Reg. 8, 8.

c) Addo שָׁם ex loco parallelo.

que inſtrumentorum muſicorum, quibus Jova laudabatur, quod bonus eſſet et benignitas ejus aeterna; nubes majeſtatis divinae [d]) *ſymbolum* templum implevit, 14. ita, ut ſacerdotes propter eam non poſſent miniſterio fungi.

CAPUT VI.

Preces Salomonis et oratio in ſolenni templi dedicatione ab eo habita.

1. Tum Salomo dixit: Jova ſtatuit habitare in caligine. 2. Exſtruxi tibi domum ad habitandum, locum, in quo perpetuo ſedeas. 3. Deinde converſus univerſum Iſraëlitarum coetum, qui ſtabat, ſalutavit, 4. et dixit: Laudetur Jova, Iſraëlitarum Deus; quod Davidi, patri meo, promiſit, jam implevit. Dixerat enim: 5. Ex quo populum meum Iſraëlem ex Aegypto eduxi, nullam ullius tribus urbem elegi, quae aedem mihi exſtrueret ad ſacra mihi in ea facienda, nec hominum quemquam, qui dux eſſet populi mei Iſraëlis. 6. Hieroſolymam vero elegi, ubi ſacra mihi fierent, et Davidem, ut populo meo Iſraëli praeeſſet. 7. Pater quidem ille meus David conſtituerat, templum aedificare Jovae, Iſraëlitarum Deo; 8. ſed hic ei declaravit: ſe quidem approbare, quod illud conſilium cepiſſet; 9. at enimvero nolle ſe, hoc ab ipſo fieri, ſed filium ejus ex eo genitum aedem ſibi eſſe exſtructurum. 10. Praeſtitit Jova hoc promiſſum ſuum. Con-

d) Pro בֵּית יְהוָה legendum eſt haud dubie כְּבוֹד יְהוָה. Sic veteres. Alias prorſus illa verba redundant.

Constitutus ego sum, patri meo successor in
Israëlitico. Exstruxi hanc aedem Jovae, Israëli
Deo. 11. Locum in ea assignavi arcae, in qu
signa illius foederis, quod Jova cum Israëlitis p
12. Stetit autem Salomo ante aram Jovae in con
totius coetus Israëlitarum. 13. Nam suggestum
rat aeneum instar conchae, quinque cubitos la
totidem latum, et tres cubitos altum, quem i
dio atrio posuerat. In hoc stetit, et flexis g
manibusque ad coelum expansis coram universo
ëlitarum coetu in hunc modum est precatus: 1
va, Israëlitarum Deus! non est tui similis Deus
que in coelo neque in terra, qui servas promissa
gna admodum data tuis cultoribus, qui tibi tuis
vunt. 15. Meo quoque patri Davidi tibi dedi
quod promiseras, praestitisti. Testatur hoc di
diernus. 16. Jam vero, Jova, Israëlitarum
praesta in posterum quoque Davidi tuo, patri meo,
promisisti: semper eum ex familia sua habitur
successores in throno Israëlitico, dummodo vitam
sic in tui timore peragerent, uti ipse fecisset. 17.
fiant, quaeso, Jova, Deus Israëlitarum, haec,
Davidi tuo promisisti. 18. Equidem bene scio, te
in terra habitare cum hominibus. En! coelum et
coelorum te non capiunt, multo minus haec
quam exstruxi. 19. Verum respice preces meas et
plicationes, Jova, mi Deus, audi hanc orationem
cantem, qua te hodie imploro. 20. Sint oc
aperti in hanc aedem noctu diuque, et in locum,
cultui tuo destinasti, ut preces exaudias, quas in

loco ſum facturus. 21. Exaudias, inquam, me et populum tuum Iſraëlem, qui ad hunc locum oraverit, et dum in loco ſedis tuae, in coelo, audieris, eſto propitius. 22. Si quis in alterum deliquerit, et hic jusjurandum ei detulerit coram altari tuo hac in aede praeſtandum: 23. tu audi in coelo, et judica inter eos, ita ut reum condemnes, eique pro merito rependas, innocentem vero abſolvas, eique pro juſta ſua cauſa retribuas. 24. Si Iſraël, populus tuus, ab hoſtibus ſuis propter peccata in te commiſſa profligatus fuerit, et ad te converſus tuam majeſtatem veneratur, et ſupplex hac in aede te adorat: 25. tu in coelo audias, et ignoſcas ejus peccato, et reducas eum in terram, quam ejus majoribus dediſti. 26. Si clauſum fuerit coelum, nec pluvia deciderit, quod te Iſraël, populus tuus, offendit, et hic hoc in loco precetur, teque adoret a peccatis ſuis per afflictiones tuas converſus: 27. tu in coelo audias, et ignoſcas ejus peccato, dum rectam viam ei ostenderis, qua incedere debeat, et demittas pluviam in terram, quam populo tuo poſſidendam dediſti. 28. Fames ſi in hac terra invaluerit, ſi peſtis, ſi uredo, rubigo, locuſtae aut bruchi eam invaſerint, ſi hoſtes ejus incolas in oppidis ſuis obſideant, aut ullum aliud malum aut afflictio evenerit: 29. omnes preces et ſupplicationes, quas facit ullus aliquis tuorum Iſraëlitarum, quicunque vulneris ſui dolorem ſentit, manusque ſuas in hanc aedem expandit, 30. tu exaudias in coelo, habitationis tuae ſede, et ignoſcas, et reddes cuique pro vita ſua, prouti mentem ejus cognitam habes, (nam tu

ſo-

solus omnium hominum mentes perspicis) 31. ut te timeant et ad normam tuam agant, quamdiu vivent in terra, quam majoribus nostris dedisti. 32. Peregrinum quoque, qui non fuerit ex populo tuo Israël ortus, si venerit e terra remota propter nomen tuum magnum, potentiam insignem et facinora edita, et in hac aede precatus fuerit, 33. tu in coelo, habitationis tuae sede, audias, et praestes ei omnia, propter quae te invocaverit, ut omnes nationes te cognoscant, teque ut Israëlitae tui venerentur, atque intelligant, hanc aedem, quam aedificavi, tibi esse sacram. 34. Si populus tuus ad bellum contra hostes suos jussu tuo egressus fuerit, et preces suas ad te direxerit versus hanc urbem, quam tu elegisti, et versus hanc aedem, quam tibi exstruxi: 35. tu audias in coelo ejus preces supplices, et causam ejus agas. 36. *Idem* si in te peccaverit, (nemo enim est, qui non peccet) et tu in ira tua eum hosti tradideris, in terram sive remotam sive propinquam in captivitatem abducendum, 37. atque ibi animo mutato ad te supplex sese converterit, peccati sui gravitatem agnoscens; 38. si sic ad te toto corde totaque mente conversus in terra hostium suorum, a quibus captivus tenetur, ad te precatus fuerit versus terram, quam ejus majoribus dedisti, versus urbem quam ipse elegisti, et versus hanc aedem, quam tibi exstruxi: 39. tu audias in coelo, sede tua, preces ejus supplices, ejusque causam agas, ignoscas populo tuo peccatum in te commissum. 40. Sic ergo, mi Deus, sint oculi tui aperti et aures attentae ad preces hoc in loco factas. 41. Et sic vade jam, o Jova Deus, ad qui-

quietem tuam, tu et arca tua gloriosa! sacerdotibus tuis adfis auxilio, et pii tui laetentur de felicitate *sua*. 42. O Jova Deus! ne repudies preces uncti tui. Memento beneficiorum Davidi tuo promissorum.

CAPUT VII.

Ignis coelitus delapsus absumit sacrificia Salomonis, et nubes, symbolum praesentiae divinae, implet templum. Tum festum celebratur a Salomone et populo per quatuordecim dies 1—11. Deus Salomoni in somnio apparet, et promittit ei magnam felicitatem, si constans fuerit in religione; mala vero minatur gravissima, si ab ea defecerit 12—22.

1. Peractis his a Salomone precibus ignis coelitus delapsus absumit holocaustum et victimas, et *symbolum* majestatis divinae [a]) adeo replevit templum, 2. ut sacerdotes illud ingredi non possent. 3. Israëlitae, cum viderent ignem et majestatem Jovae in templo apparentem, vultu ad terram converso in pavimentum prolapsi adorarunt et celebrarunt Jovam, quod bonus sit et aeternae benignitatis. 4. Tum rex et omnis populus sacrificia Jovae obtulerunt, 5. et ille quidem immolavit duo et viginti millia boum, et centum et viginti millia ovium, atque hac ratione templum Dei rex et populus dedicaverunt. 6. Sacerdotes ministerio suo fungebantur. Levitae autem instrumentis musicis, a Davide rege inventis, laudabant Jovam, quod benignitas ejus sit aeterna, prouti a Davide edocti erant. Sacerdotes vero e regione eorum tubis clangebant, adstan-

---

a) H. e. nubes, cf. cap. 5, 14.

ſtante univerſo Iſraële. 7. Tunc Salomo conſecravit atrium medium, quod fuit ante aedem Jovae, ut ibi holocauſta et adeps ſacrificiorum eucharifticorum incenderetur; nam altare aeneum ab eo factum iſta omnia non capiebat. 8. Sic celebravit Salomo feſtum per ſeptem dies, et cum eo ingens Iſraëlitarum coetus a Hamatha usque ad flumen Aegypti. 9. Diem octavum tunc *porro* ut diem feſtum peregerunt, nam dedicationem arae per ſeptem dies celebrarunt, deinde totidem dies feſtum *tabernaculorum*. 10. Tandem die tertio et viceſimo menſis ſeptimi Salomo populum dimiſit laetum et hilarem propter felicitatem, quam Jovi Davidi et Salomoni ſuisque Iſraëlitis largitus fuerat. — 11. Poſtquam Salomo templum Jovae, ſuum palatium et omnia, quae in utroque facere voluerat, feliciter abſolverat, 12. noctu ei Jova apparuit, et ſic eum eſt allocutus: Audivi preces tuas, atque hunc locum ſacris mihi peragendis deſtinavi. 13. Si coelo clauſo imbrem cohibuero; ſi locuſtas terram vaſtare juſſero; ſi peſtem populo meo immiſero; 14. ſi illi, qui a nomine meo vocantur, ſeſe ſubmiſerint, et a prava ſua vita converſi ad me precati gratiam meam imploraverint: ego audiam in coelo, ignoſcam eorum peccatis, et terrae medebor. 15. Oculos apertos et aures attentas praebebo ad preces hoc in loco factas. 16. Etenim elegi et conſecravi hanc aedem, ut in ea mihi cultus religioſus in perpetuum praeſtetur, ei providebo et nullo non tempore ejus curam geram. 17. Tibi vero, ſi exemplum Davidis, patris tui, imitatus fueris, obtemperando praeceptis meis omnibus,

et

et conſervando leges et inſtituta mea, 18. confirmabo thronum regni tui ex promiſſione Davidi, patri tuo, data: non defuturum eſſe in familia ejus, qui Iſraëlitis dominetur. 19. Quodſi vos legibus et praeceptis meis neglectis alios Deos colueritis et adoraveritis: 20. exſtirpabo vos [b]) e terra, quam vobis dedi, hanc aedem, quam mihi conſecravi, repudiabo, atque efficiam, ut proverbium et dicterium ſit inter omnes nationes, 21. ita ut ad eam adeo celebrem viatores obſtupeſcant, et quaerant: cur Jova ſic fecerit huic terrae et huic aedi? 22. quibus reſpondebitur: Quia relicto Jova, majorum ſuorum Deo, qui eos ex Aegypto eduxerat, aliis Diis adhaeſerunt, quos adorarunt et coluerunt, propterea tanta mala in eos induxit.

CAPUT VIII.

Salomo urbes inſtaurat et munit, reliquias Cananitarum tributarias facit 1—8., Iſraëlitas vero variis muneribus admovet. Filiae Pharaonis aſſignat palatium extra Sionem 9—12. Cultus ſacer ab eo ordinatus et navigatio cum Tyriis in Ophiram 13—18.

1. Exactis viginti annis, quibus Salomo templum Jovae ſuumque palatium exſtruxerat, 2. oppida, quae

 ei

b) Pro וְהִשְׁמַדְתִּים *exſtirpabo eos* utique legendum videtur וְהִשְׁמַדְתִּיכֶם *exſtirpabo vos*, et ſic *οἱ ὁ*, Vulg., Syrus et Arabs, et pro ſequenti לָהֶם *eis* לָכֶם *vobis*, uti veteres praeter *τοὺς ὁ* legiſſe videntur. Praecedit enim perſona ſecunda in protaſi verſ. 19.; igitur eadem ſequi debet in apodoſi, quae eſt in hoc verſu. Attamen non ignoro, ſcriptores Hebraeos non ſatis ſemper *ἀκριβεῖς* eſſe in ſervandis perſonis.

amus dederat, a) aedificavit atque
a signavit. 3. Deinde Hamatha
4. Porro condidit Tadmorem in
ra oppida promtuaria in *tractu* H
em Bethhoronem superiorem et inferio
uris, portis et repagulis. 6. Pr
vit m condidit, multa oppida promtuaria
t equis et omnia, quae Hierosoly
in tota ditionis suae regione ac
7. Reliquias istas Hethitarum,
tarum, Hevitharum et Jebusita
ex Israëlitis, 8. sed posteri eor
superstites esse siverant, hos Sal
fecit. In qua conditione etiamnum su
vero non ut servis usus est ad opera
erant, duces, et tribuni, b) quadriga
tum praefecti. 10. In his principes
ducenti et quinquaginta, c) quos po

---

a) Fortasse *restituerat*, si sermo est de iisd
12. narratur, ea Hiramo displicuisse.

b) Primo אֲשֶׁר omittendum est, quod
ab interpretibus antiquis lectum, sed e
similem vocem praecedentem רַשְׂרָאֵל
וְשָׂרֵי שָׁלִישָׁיו legendum est שָׁלִישָׁיו
parallelo 1 Reg. 9, 22. et apud ve
pter sequens scribarum errore, uti s

c) Sed 1 Reg. 9, 23. legitur 550. Cu
repetenda est ex more antiquo, nur
Quarum similium confusione frequ
prehenditur. Sic h. l. pro ד, C
scriptum est ר, 200. Vid. aliu

*) Cf. dissertatio lectu dignissima, c
ber scripsit 1775.

a ſandalorum et
ſabricandos cu-
uo palatio, et ci-
am antea hujus-
. Donavit autem
ae ſibi expetebat,
dedit. Et ſic re-
13. Pondus auri,
ebat, fuit ſexcen-
. praeter ea, quae
icientes et merca-
es et provinciarum
ndebant. 15. Fecit
. et trecentos cly-
ſingulis inſumeban-
ſuit in aedibus ſil-
um eburneum ma-
Sex gradus habe-
n. Summa ejus
habebat utrimque
ad

19. eſt emendandus.
nullo modo po-
מאחריו, ex quo
ſimilitudo facile
uoque Syrus et

um corruptum
Nam מאחזים
orma *affigi*, *con-*
tum eſt, quoniam
ad

CAPUT IX.

Regina Arabiae Salomonem invisit, cui multa munera affert et alia à eo accipit 1—12. Reditus annui Salomonis, divitiae, luxus, mors. Rehabeamus filius successor 13—31.

1. Regina Sabaeorum audita fama Salomonis venit ad eum tentandum aenigmatibus Hierosolymam cum magno comitatu, cum camelis ferentibus aromata, auri magnam copiam et gemmas. 2. Ille vero ei ad omnia respondit, nec quidquam eum latuit. 3. Postquam autem contemplata fuerat omnem Salomonis sapientiam, ejus palatium, 4. victum mensae, conclavia aulicorum, munera ministrorum, eorumque vestitum, ut et pincernarum, et sacrificium, quod in templo Jovae offerebat, prorsus obstupefacta 5. dixit regi: Vera sunt, quae audivi in terra mea de rebus tuis et de sapientia tua; 6. sed credere nolui hominum sermonibus, donec ipsa venirem et viderem oculis meis. Sed ne dimidium quidem tantae tuae sapientiae mihi narratum est. Multum tu superas famam quam audivi. 7. O felices homines tuos! felices hi tuos ministros, qui tibi perpetuo adstant tuamque audiunt sapientiam. 8. Laudetur Jova, Deus tuus, qui te ita dilexit, ut te in throno suo regem constitueret pro amore suo in Israëlitas ad eos perpetuo stabiliendos. Te eis regem dedit, ut justitiam *apud eos* recte exerceres. 9. Donavit regi centum et viginti talenta auri, aromatum autem copiam ingentem et lapides pretiosos. Non poterant his aromatibus, quae regina Sabaeorum regi Salomoni dedit, alia comparari. 10. Etiam servi Hurami et servi Salomonis non solum aurum

ex

ex Ophire advehebant, ſed etiam ligna ſandalorum et gemmas, 11. ex quibus ſandalis rex fabricandos curavit cancellos in templo Jovae et in ſuo palatio, et citharas et nablia cantoribus. Nunquam antea hujusmodi ligna in Judaea viſa fuerant. 12. Donavit autem Salomo reginae Sabaeorum omnia, quae ſibi expetebat, praeter ea, quae ipſe ei *ſua ſponte* dedit. Et ſic revertit in patriam ſuam cum ſuis. 13. Pondus auri, quod Salomoni ſingulis annis proveniebat, fuit ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum, 14. praeter ea, quae ei ſolvebant portitores *merces inſpicientes* et mercatores. Omnes quoque Arabum reges et provinciarum praefecti aurum et argentum ei pendebant. 15. Fecit ducenta ſcuta ex auro ductili, 16. et trecentos clypeos ex eadem materia. Quibus ſingulis inſumebantur ſexcenti ſicli aurei, quae depoſuit in aedibus ſilvae Libani. 17. Fecit quoque ſolium eburneum magnum, quod auro optimo texit. 18. Sex gradus habebant illud ſolium et ſcabellum aureum. Summa ejus pars a tergo erat rotunda. [a]) Manus habebat utrimque ad

a) Locus haud dubie corruptus ex 1 Reg. 10, 19. eſt emendandus. Pro מְאֻחָזִים, quod cum praecedenti וְכֶבֶשׁ nullo modo poteſt conſtrui, ex loco parallelo legendum eſt מֵאַחֲרָיו, ex quo ſimul reſtituendum h. l. וְרֹאשׁ עֵגֹל. Vocum ſimilitudo facile omiſſioni dare potuit occaſionem. Sic fere quoque Syrus et Vulgatus. *)

*) Meo quidem judicio non eſt, cur hunc locum corruptum putemus, cum omnia optime cohaereant. Nam מְאֻחָזִים participium Hoph. verbi אחז, quod illa forma *affigi*, *conjungi* ſignificat, in plurali numero poſitum eſt, quoniam ad

ad locum ſeſſionis, quibus duo leones adſtabant. 19. Duodecim autem leones ſtabant in ſex gradibus ab utraque parte. Cujusmodi opus in nullo regno *antea* factum eſt. 20. Omnia vaſa potoria regis Salomonis erant aurea, nec non omnis ſupellex domus ſilvae Libani erat aurea et quidem ex auro puriſſimo. Argentum temporibus Salomonis nullo in pretio erat. 21. Nam naves regis cum ſervis Hurami Tarteſſum navigantes tertio quoque anno redibant, atque aurum, argentum, ebur, ſimias et pavones advehebant. 22. Sic ſuperavit rex Salomo omnes iſtarum regionum reges divitiis et ſapientia, 23. qui quoque eum cupiebant videre et audire ſapientiam, qua a Deo praeditus erat, 24. munera ſimul afferentes, vaſa argentea, aurea, veſtes, arma, aromata, equos, mulos, eaque ſingulis annis. 25. Habebat quatuor millia ſtabulorum pro equis et curribus, et duodecim millia equitum, quos partim in oppidis quadrigariis, partim Hieroſolymae apud ſe diſpoſuit. 26. Imperavit omnibus regibus ab Euphrate usque ad regionem Philiſtaeorum et Aegypti terminos. 27. Effecit, ut tanta eſſet argenti et cedrorum copia Hieroſolymae, quanta lapidum et ſycomororum in planitie. 28. Equos ei adducebant partim ex Aegypto, partim ex aliis regionibus. 29. Reliquae res geſtae Salomonis priores et poſteriores ſcriptae exſtant in annalibus Nathanis prophetae, in prophetia Ahijjae Silonitae, et in viſionibus Jeddonis vatis de Jerobe-

---

ad utrumque nomen praecedens, מַעֲלוֹת et כֶּבֶשׁ, pertinet. Sic igitur haec verba transferenda ſunt: *Illi ſolio ſex gradus et ſcabellum aureum affixa erant.*

beamo, Nebati filio. 30. Postquam Hierosolymae quadraginta annos in omnes Israëlitas regnaverat, 31. tandem diem suum obiit et sepultus est in urbe Davidis, patris sui. Successit ei in regno Rehabeamus filius.

CAPUT X.

Rehabeamus Israëlitas remissionem petentes duro responso offendit 1—11. Propterea decem tribus ab eo deficiunt 12—19.

1. Quoniam omnes Israëlitae Sichemum convenerant, ut Rehabeamum regem crearent, is quoque eo se contulit. 2. Quod cum audisset Jerobeamus, Nebati filius, qui adhuc in Aegypto, quo propter Salomonem fugerat, degebat, inde rediit. 3. Is ab Israëlitis vocatus venit atque una cum legatis populi sic cum Rehabeamo egit: 4. durum sibi ab ejus patre jugum fuisse impositum; jam si remitteret aliquid ab illa duritie, et jugum, quo ab ejus patre pressi essent, levaret, sese ei submissuros esse. 5. Jussit eos Rehabeamus post triduum ad se reverti. Cum discessissent, 6. consuluit seniores, qui Salomoni, patri suo, a consiliis fuerant, quid censerent populi legatis esse respondendum? 7. Illi ei demonstrarunt, si benignum et humanum se praeberet populo, eum perpetuo sibi deditum esse futurum. 8. At *Rehabeamus* neglecto seniorum consilio juniores, qui cum eo educati fuerant et jam ministrabant, consuluit. 9. Quid vos censetis, inquiebat, ut respondeam populo, qui a me postulat, ut jugum, quod ei pater meus imposuit, allevem?

10. Tunc illi ſuadent, ut populo ad petita ſua ſic reſpondeat: Digitus meus minimus craſſior erit patris mei lateribus: 11. pater ille meus gravi jugo vos oneravit, ego illud jugum veſtrum augebo; ille vos ſcuticis caſtigavit, ego ſcorpiones adhibebo. 12. Tertio die Jerobeamus omnesque populi *legati* veniunt ad Rehabeamum, ſicuti ab eo juſſi fuerant, 13. qui eis dure reſpondit, neglecto ſeniorum conſilio, 14. atque juniorum conſilium ſecutus dixit: Pater meus aggravavit onus veſtrum, ego illud augebo; ille vos ſcuticis caſtigavit, ego vero ſcorpionibus. 15. Sic rex nihil conceſſit populo, Jova rem ſic dirigente, ut impleretur id, quod per Ahijjam Silonitam ad Jerobeamum, Nebati filium, dixerat. 16. Iſraëlitae igitur, cum viderent, regem precibus ſuis locum non dare, ei reſponderunt: nihil jam ad ſe pertinere Davidem, nec quidquam ſe ſperare poſſe a filio Iſaei: proinde quisque domum reverteretur, et familia Davidis ſibi ipſi proſpiceret. Et ſic omnes Iſraëlitae ad ſua redierunt, 17. tantum eis, qui Judaeae oppida incolebant, Rehabeamus imperavit. 18. Miſit quidem *deinde* Adoramum, qui tributis praeerat; ſed Iſraëlitae eum lapidibus obrutum interfecerunt. Rex ipſe Rehabeamus aegre potuit currum conſcendere et Hieroſolymam effugere. 19. Sic defecerunt Iſraëlitae a domo Davidis, ne nunc quidem ei juncti.

CAPUT XI.

Rehabeamus omittit bellum adversus Israëlitas a Deo prohibitum 1—4., varia oppida munit 5—12., Levitas et sacerdotes ex Israëlitis profugos excipit 13—17., filios multos ex multis uxoribus genitos praeficit oppidis cum reditibus certis 18—23.

1. At Rehabeamus, cum Hierosolymam venisset, congregavit omnes Judaeos et Benjaminitas centum et octoginta millia hominum lectissimorum et belli peritorum, ut bellum inferret Israëlitis et regnum sibi recuperaret. 2. Sed jussit Deus Semajam prophetam 3. Rehabeamo, Salomonis filio, regi Judae, Israëlitis in Judaea degentibus, et Benjaminitis 4. suo nomine dicere: ne popularibus suis bellum inferrent, sed omnes domum redirent; se enim hujus rei esse auctorem. Cui mandato divino quoque obtemperarunt atque abstinuerunt a bello Jerobeamo inferendo. — 5. Rehabeamus sedem regni sui fecit Hierosolymam, et complura Judaeae oppida munivit, 6. nempe Bethlehemum, Ethamum, Tekoam, 7. Bethzurum, Sochonem, Adullamum, 8. Gatham, Maresam, Siphum, 9. Adorajimam, Lachisem, Asekam, 10. Zorjam, Ajjalonem et Hebronem, quae omnia fuerunt oppida munita in Judaea et Benjamine. 11. Tradidit ea ducibus, et instruxit ea cellis frumentariis, oleariis, vinariis. 12. Singula quoque oppida instruxit scutis et hastis, et valde munivit. Judaeam et Benjaminitidem imperio tenuit. — 13. Ad eum convenerunt sacerdotes et Levitae ex omnibus Israëlitarum terminis; 14. nam reliquerant suburbia sua et possessiones, atque in Judaeam et Hierosolymam se receperant, postquam

quam eos eorumque filios Jerobeamus a ſacerdotio Jovae removerat, 15. ſibique ſacerdotes conſtituerat excelſorum locorum, ſatyrorum et vitulorum, quos fecerat. 16. Illos Levitas ſecuti ſunt quoque complures ex omnibus tribubus Iſraëlitarum, qui conſtantes erant in religione Jovae, Dei Iſraëlitarum. Hi venerunt Hieroſolymam ad ſacrificandum Jovae, majorum ſuorum Deo, 17. atque ita confirmarunt regnum Judaicum, et Rehabeamum, Salomonis filium, potentem fecerunt per tres fere annos, quos ex inſtitutis Davidis et Salomonis vixerunt. — 18. In matrimonium duxit Rehabeamus Mahalatham, Jerimothi filiam, neptem Davidis, et Abihailam, Eliabi filiam, neptem Iſaei, 19. quae ei peperit Jeuſum, Semarjam et Sahamum. 20. Poſt eam duxit Maacham, filiam Abſalomi, ex qua ſustulit Abijjam, Attaeum, Siſam et Selomithum. 21. Amavit autem Rehabeamus Maacham, Abſalomi filiam, magis quam reliquas ſuas uxores et pellices, (habuit autem uxores duodeviginti et pellices ſexaginta, ex quibus duodetriginta filios et ſexaginta filias ſustulit). 22. Ejus filium Abijjam principem et ducem conſtituit fratrum ſuorum, quod eum regno deſtinaverat. 23. Reliquos autem filios ſuos conſulto distribuit per omnem Judaeam et Benjaminitidem et per oppida munita, reditus eis largos deſtinavit, et cepit eis uxores. [a])

CA-

a) Sic textum emendandum puto, ex conjectura quidem, non aſſentientibus antiquis, ſed quam contextus confirmat et tantum non flagitat. Nam in verbis lectionis receptae וַיִּשְׁאַל הַמּוֹן נָשִׁים et

CAPUT XII.

Rehabeamo in poenam defectionis a Deo Sisakus, rex Aegypti, bellum infert, qui terra potitur atque thesauros templi et regis aufert 1—11. Poenitentiam quidem agit Rehabeamus, propterea quoque regnum recuperat, nec tamen multum emendatus moritur. Abia filius ei succedit 12—16.

1. Regno Rehabeami stabilito et confirmato cum ipse tum Israëlitae legem Jovae neglexerunt. 2. Propter hanc eorum a Jova defectionem factum est, ut anno quinto Rehabeami Sisakus, rex Aegypti, expeditionem faceret adversus Hierosolymam 3. cum mille et ducentis curribus, sexaginta millibus equitum et innumerabili peditum multitudine Libyorum, Troglodytarum et Cuschaeorum, qui cum eo ex Aegypto veniebant. 4. Postquam omnia Judaeae oppida munita ceperat, progressus est usque ad Hierosolymam. 5. Tum Semaja propheta adiit Rehabeamum et Judaeae proceres, qui Hierosolymam metu Sisaki convenerant, eisque nomine Jovae declaravit, se eos deseruisse et Sisako tradidisse, quod ipsum deseruissent. 6. Tum omnes Israëlitarum proceres et rex sese submiserunt et Jovam juste agere fassi sunt. 7. Quod cum

---

et petiit multitudinem mulierum primo ambiguum est, cui Rehabeamus multas uxores duxerit, num sibi, an filiis? Utrovis modo explices, sensus est incommodus. Si de Rehabeamo, non cohaeret cum antecedentibus; si de ejus filiis, sensus est ineptus. Deinde forma loquendi prorsus aliena est, neque aliud habet exemplum. Semper dicunt Hebraei de matrimonio ineundo לקח vel נשא, ut cap. 13, 21. Neque דָּמוּן נָשִׁים est ex usu loquendi Hebraeorum, secundum quem esse deberet נשים רבות. — Quae omnia mihi persuadent, legendum esse וַיִּשָּׂא לָהֶם נָשִׁים *sumsit illis*, sc. filiis suis, de quibus sermo est, *uxores*.

cum Jova videret, iterum Semajae indicavit: quoniam se submisissent, nolle se eos perdere, sed brevi liberare, nec omnem iram suam in Hierosolymam per Sisakum effundere. 8. Attamen servos ejus futuros esse, ut intelligerent, quantum differret suum imperium ab imperio aliorum regnorum. 9. Venit igitur Sisakus, rex Aegypti, Hierosolymam, atque abstulit omnes thesauros templi et palatii regii, in his quoque clypeos illos aureos, quos Salomo fecerat, 10. quorum loco Rehabeamus clypeos aeneos faciendos curavit, quos tradidit satellitibus ad palatium regium custodiam agentibus, 11. qui eos, quando rex templum Jovae adibat, gestabant; deinde eos ad stationem suam referebant. 12. Cum igitur Rehabeamus se submisisset, aversa est ira Jovae, ut non prorsus eum perderet, atque etiam Judaeorum res in melius sunt mutatae. 13. Sic in regno confirmatus, quod init annos natus unum et quadraginta, [a]) septemdecim annos Hierosolymae, in urbe, quam Jova ex omnibus tribubus Israëliticis elegerat, ut ibi religiose coleret, regnavit; matrem habuit Ammoniticam, nomine Naamam. 14. In eo maxime peccavit, quod non satis constans esset in cultu religioso Jovae praestando. 15. Ceterum res gestae Rehabeami primae et ultimae ex ordine omnes memoriae proditae sunt in annalibus prophetarum Semajae et Iddonis. Bellum fuit perpetuum Rehabeamum inter et Jerobeamum. 16. Illo mortuo et sepulto in urbe Davidis, regnavit Abia, ejus filius.

CA-

a) Cf. observat. ad 1 Reg. 14, 21.

CAPUT XIII.

Abia bellum infert Jerobeamo, regi Iſraëlitarum. Antequam proelium iniret, oratione ad exercitum Iſraëliticum habita hos ſibi reconciliare ſtudet 1—12. Sed non conſequitur, quod optat. Attamen Jerobeamum magna clade afficit. Poſt mortem ei filius Aſa ſuccedit 13—23.

1. Anno duodeviceſimo regis Jerobeami regnare
epit in Judaea Abia. 2. Tres omnino annos regna-
t Hieroſolymae. Mater ejus fuit Michaja, Urielis
ia, Gibeenſis. Bellum inter Abiam et Jerobeamum
nflatum eſt. 3. Ad quod ille exercitum eduxit ho-
inum fortiſſimorum quadringentorum millium; cui
robeamus oppoſuit octingenta millia, itidem lectiſ-
norum et fortiſſimorum militum. 4. Tum Abia in
onte Zemaraim regionis Ephraimiticae conſtitit, at-
ie hunc in modum verba fecit: Audite me, Jero-
ame et omnes Iſraëlitae! 5. An ignoratis, Jovam,
raëlitarum Deum, regnum in eos tradidiſſe Davidi
perpetuum, neque ſolum ipſi, ſed etiam poſteris
us ex foedere immutabili? [a]) 6. Sed inſurrexit Je-
beamus Nebati filius, Salomonis Davidis filii ſervus,
que contra dominum ſuum rebellavit. 7. Cui ſe
ad-

---

a) In textu eſt: *foedus ſalis.* Οἱ ὁ, Vulg. et Chaldaeus conſentiunt cum lectione Hebraea; tantum Syrus, et, qui eum ſequitur, Arabs, habent عَهْدَ ٱلْمَلِكِ ، ܩܝܡܐ ܕܡܠܟܐ *foedere regio.* Sic pro מֶלַח legit מֶלֶךְ. Sed quoniam non ſatis intelligo, quid haec ſibi velint: Deum Davidi et poſteris ejus *regnum* Iſraëlitarum tradidiſſe *foedere regio*, malim acquieſcere in lectione recepta, forma loquendi tropica quidem, quae tamen explicationem in verſione poſitam, quam Chaldaeus habet, admittit

adjunxerunt homines nequam et perditi, qui conspiraruṇt contra Rehabeamum, Salomonis filium. Fuit autem hic juvenis admodum, animique meticulosi, nec aulus est eis resistere. 8. Et vos nunc paratis impugnare regnum Jovae Davidis posteris commissum. Ingens est vestrum multitudo, et vitulos aureos vobiscum habetis, quos Jerobeamus vobis dedit ut Deos *colendos*. 9. Vos expulistis sacerdotes Jovae, Aaronis posteros, et Levitas, et sacerdotes fecistis more gentilium; quisquis consecratum venerit cum tauro bovillo, aut septem arietibus, hunc sacerdotem facitis idoli. 10. Nos vero Jovam, Deum nostrum, non deseruimus. Sacerdotes habemus Jovae ministrantes, Aaronis filios et Levitas officiis suis fungentes. 11. Hi Jovae solida sacrificia faciunt singulis matutinis et vespertinis, et suffitum offerunt aromaticum; hi panes *curant* apponendos in mensa pura, et candelabrum aureum cum suis lucernis singulis vesperis accendendis. Sic nos observamus instituta Jovae, Dei nostri, quem vos deseruistis. 12. Ducem habemus Deum, cujus sacerdotes *mox* tubis clangorem contra vos edent. O Israëlitae! nolite pugnare cum Jova, Deo majorum vestrorum, successu haud dubie infelici! — 13. Jerobeamus autem circumduxerat insidias, ut eos a tergo aggrederentur. Sic Judaei hostem habebant a fronte, et a tergo insidiatores. 14. Cum vero viderent, sibi utrimque esse pugnandum, clamarunt ad Jovam, et sacerdotes tubis sonuerunt. 15. Judaei quique vociferati sunt, atque ad hunc eorum clamorem Deus Jerobeamum et Israëlitas cecidit. 16. Terga dederunt Abi-

Abiae et Judaeis, quibus Deus eos tradidit. 17. Magna clade tunc Abia cum ſuis eos affecit. Ceciderunt enim ex Iſraëlitis quinquaginta millia hominum lectiſſimorum. 18. Sic ſubacti ſunt Iſraëlitae eo tempore, et ſuperiores facti Judaei, quippe Jova, majorum ſuorum Deo, freti. 19. Perſecutus quoque eſt Abia Jerobeamum, et aliquot oppida ei eripuit, nempe Bethelem, Jeſanam et Ephronem cum eorum villis; 20. nec vires recuperare potuit Jerobeamus Abiae temporibus. Morbo divinitus inflicto periit. 21. Abia vero *in regno ſuo* eſt confirmatus. Uxores duxit quatuordecim, ex quibus genuit viginti duo filios et ſedecim filias. 22. Reliqua ejus facta et dicta memoriae prodita ſunt in hiſtoria prophetae Iddonis. 23. Poſt mortem ſepultus eſt in urbe Davidis. Succeſſit ei Aſa filius, cujus temporibus pax fuit decem annorum.

CAPUT XIV.

Aſa rex pius ſacra publica emendat, Judaeae oppida munit 1—7. et glorioſam a Seraho, Aethiopum rege, victoriam reportat 8—14.

1. Aſa Jovam Deum pie coluit. 2. Sustulit aras peregrinas et loca excelſa, confregit ſtatuas, ſuccidit lucos. 3. Edixit, ut Judaei colerent Jovam, Deum patrium, hujus legem et praecepta obſervarent. 4. Item ex omnibus Judaeae oppidis ſustulit loca excelſa et ſtatuas ſolares. Eo enim regnante pax erat. 5. Hac ipſa de cauſa, quod nullo bello per eos annos erat implicatus, Jova enim quietem ei conceſſerat, oppida munivit, 6. et Judaeos hortatus eſt, ut hoc jam agerent, ut op-

oppida moenibus cingerent, et turribus, portis et repagulis munirent. Utamur jam, inquiebat, facultate, quam habemus ex beneficio Jovae, Dei nostri, qui nostram in eum pietatem pace remuneratur. Atque ita cum optimo successu aedificarunt. 7. Habuit autem Asa exercitum clypeis et hastis instructum, Judaeorum quidem trecentorum millium, Benjaminitarum autem scutis et arcubus armatorum ducentorum et octoginta millium, qui omnes erant fortes bellatores. — 8. Contra hos expeditionem suscepit Serahus, *rex* Aethiopum, cum exercitu millies mille hominum et trecentorum curruum. Postquam usque ad Maresam pervenerat, 9. obviam ei egressus est Asa, atque, acie in valle Zephata ad Maresam instructa, 10. ad Jovam Deum his verbis est precatus: Tu quidem, o Jova, potentem aeque ac imbecillem potes adjuvare; nobis igitur tuo auxilio adsis, qui tibi confidimus, atque in nomine tuo contra multitudinem istam venimus. Tu, Jova, es Deus noster; noli committere, ut homines tibi praevaleant. 11. Tunc Jova effecit, ut Aethiopes ab Asa et Judaeis caederentur et fugerent, 12. qui eos usque ad Gerarem sunt persecuti, et tanta clade affecerunt, ut consistere amplius non possent a Jova et exercitu ejus confecti. Judaei vero magna praeda sunt potiti. 13. Ceperunt quoque omnia oppida Gerari finitima, terrore divino perculsa, eaque diripuerunt. Ingens vero in eis fuit praeda. 14. Porro pecuariorum tentoriis sunt potiti, magnamque pecoris et camelorum multitudinem abigentes Hierosolymam reverterunt.

CA-

CAPUT XV.

Asa ab Asarja propheta admonitus 1—7. pergit in cultu divino restituendo et purgando ob omni idololatria 8—19.

1. Tum Asarja, filius Obedi, spiritu divino in-
tatus 2. obviam egressus est Asae, eique dixit: Au-
ite me, Asa omnesque Judaei et Benjaminitae! Jova
obiscum est, si vos estis cum eo. Si eum quaeretis,
ivenietur vobis; si eum deseretis, vos deseret. 3. Isra-
litae quidem per complures dies sine Deo vero, sine
acerdote, doctore et lege fuerunt; 4. sed calamitate
ressi redierunt ad Jovam, Deum suum, et cum eum
nplorarent, exoratus est eis. [a]) 5. Illis temporibus
emo tuto negotiis suis vacare poterat; nam turba-
issimus erat status omnium incolarum istarum regi-
num. 6. Gens cum gente, civitas cum civitate con-
lictabatur, quod Deus eos omnis generis malis af-
ligebat. 7. Vos vero alacres estote, nec remisse agite,
aborum vestrorum mercedem habebitis. — 8. Cum
Asa haec *Asarjae, filii* [b]) Obedi, effata prophetica au-
issset, alacri studio sustulit idolorum simulacra ex
ota terra Judaica et Benjaminitica, et ex oppidis in
nontanis Ephraimiticis captis, aram Jovae, quae erat
nte vestibulum *templi* Jovae, instauravit, 9. et con-
regavit Judaeos, Benjaminitas et peregrinos ex Ephra-

a) Haec ambigue dicta intelligo de temporibus praeteritis judicum, qui vulgo dicuntur.

b) Haec verba supplenda esse, plane apparet ex vers. 1., neque dubito, quin ea ex Hebraeis codd. exciderint, quamquam *Kennicottus* ea in nullo codice repererit. Sed legerunt ea *oi ó*, Vulgatus et Syrus.

imitis, Manaſſitis et Simeonitis (nam multi ex Iſra-
ëlitis ad eum defecerant, cum viderent, Jovam Deum
ei adeſſe) 10. Hieroſolymam, menſe tertio anni quin-
et decimi regni ſui, 11. atque immolarunt Jovae de
praeda, quam adduxerant, boves ſeptingentos et ovium
ſeptem millia. 12. Tum foedere ſe obſtrinxerunt, ut
colerent Jovam, Deum majorum ſuorum, toto corde
et animo, 13. et, qui hoc non fecerit, ſupplicio af-
ficeretur, ſive parvus eſſet ſive magnus, ſive mas ſive
femina. 14. Haec Jovae jurejurando interpoſito pro-
miſerunt magno clamore ſublato et cum tubarum et
buccinarum ſono. 15. Omnes vero Judaei gaviſi ſunt
de hoc ſacramento, quod ex animo juraverant. 16. Tum
matrem adeo ſuam, Maacham, rex Aſa a principatu
removit, quoniam in luco horrendum idolum con-
caverat; quod dejectum et comminutum combuſſit ad
torrentem Kidronem. 17. Tantum loca excelſa ab Iſra-
ëlitis non ſublata ſunt; attamen ipſe Aſa animo integro
Deum coluit, quamdiu vixit. 18. Intulit quoque vasa
argentea et aurea in aedem Dei, quae cum pater ipse
tum ipſe conſecraverat. 19. Bellum non fuit usque ad
annum quintum et triceſimum regni Aſae.

CAPUT XVI.

Aſa Benhadadum, Syriae regem, mercede conducit in ſui [illegible]
contra Baëſam, regem Iſraëlis 1—6. Reprehenſus propter
propheta, hunc in carcerem conjicit 7—10. Tandem pe-
moritur 11—14.

1. Anno ſexto et triceſimo hujus regis Baëſa, regis
Iſraëlis, expeditione in Judaeam facta munivit Ramam,

ut impediret commercium cum Asa, Judaeae rege. 2. Tunc Asa sumsit argentum et aurum ex thesauris aedis Jovae et regiae, idque misit ad Benhadadum, Syriae regem, Damasci, cui dici jussit: 3. Foedus pangamus, quale jam inter meum et tuum patrem intercessit. Mitto tibi munus auri et argenti, ut dissolvas foedus, quod tibi est cum Baësa, Israëlis rege, ut a me discedat. 4. Fecit Benhadadus, quod rex Asa optabat, et misit exercitus sui duces adversus oppida Israëlitarum, qui vastarunt Ijjonem, Danem, Abelmajimum, et omnia oppida promtuaria Naphtalitarum. 5. Quod cum Baësa audiret, destitit Ramam munire, et suscepta omisit. 6. Tum rex Asa convocavit omnes Judaeos, ut auferrent lapides et ligna, quibus Baësa Ramam munire voluerat, iisque usus est ad muniendam Gibeam et Mizpam. — 7. Tunc Hanani propheta venit ad Asam, regem Judae, eique dixit: Quoniam regi Syriae, non Jovae, Deo tuo, confisus es, propterea evadet illius exercitus tuis manibus. 8. Nonne Aethiopum et Libyorum fuit exercitus perquam magnus, curruumque et equitum admodum multi; sed quod Jovae confidebas, is eos tradidit? 9. Oculi enim Jovae perlustrant totum terrarum orbem, ut confirmet eos, qui animo integro sunt erga ipsum. Sane in eo imprudenter egisti, propterea abhinc bella tibi erunt. 10. Asa prophetae iratus conjecit eum in carcerem; gravem enim propterea iram conceperat. Oppressit quoque nonnullos de populo eo tempore. 11. Ceterum res gestae Asae ab initio usque ad finem litteris consignatae sunt in an-

annalibus regum Judae et Iſraëlis. 12. Anno undequadrageſimo regni ſui pedibus aegrotabat, ita ut tandem vis morbi ad partes ſuperiores transiret, neque tamen in hoc morbo Jovam conſuluit, ſed medicos. 13. Tandem diem ſuum obiit anno primo et quadrageſimo regni ſui. 14. Sepeliverunt eum in ſepulcro, quod ipſe ſibi excidendum curaverat in urbe Davidis. Poſuerant eum in feretro aromatibus et unguentis arte unguentaria confectis referto, quae in funere ejus magna copia combuſſerunt.

CAPUT XVII.

Joſaphatus, Aſae filius, patri in regno ſuccedit. Rex optimus, qui reliquias idololatriae exſtirpare ſtudet. Sacerdotes et Levitae oppida obire jubet, et populum docere legem divinam 1—10. Potentia ejus et divitiae 11—19.

1. Poſt eum regnavit Joſaphatus filius. Hic Iſraëlitis praevaluit. 2. Praeſidia diſpoſuit per omnia oppida Judaeae munita, et praefectos conſtituit in terra Judae et oppidis Ephraimiticis, quae pater ejus Aſa ceperat. 3. Expertus eſt Joſaphatus Jovam faventem; nam imitatus eſt mores antiquos progenitoris ſui Davidis. Non Baalibus, 4. ſed Deo patrio ſtuduit, et ſecundum praecepta ejus vixit, ſecus ac Iſraëlitae facere ſolebant. 5. Hinc quoque Jova ejus regnum confirmavit. Omnes Judaei munera obtulerunt Joſaphato, ita ut magnas divitias magnamque dignitatem conſequeretur. 6. Tunc eo magis animum ſuum convertit ad religionem Jovae, atque loca excelſa et lucos ex Judaea

daea sustulit. 7. Anno tertio regni sui misit principes suos *aulicos* Benhajilem, Obadjam, Secharjam, Nathanelem et Micham, ut docerent in oppidis Judae, 8. et cum eis Levitas, Semajam, Nethanjam, Sebadjam, Asaëlem, Semiramothum, Jonathanem, Adoniam, Tobiam et Tobadoniam, Levitas et cum his Elisamam et Joramum sacerdotes, 9. qui secum habebant librum legis divinae. Hi omnia Judaeae oppida obierunt, populum erudientes. 10. Et Jova timorem injecit omnibus istarum regionum regnis Judaeae finitimis, ne bellum inferrent Josaphato. 11. Philistaei munera ei obtulerunt argenti summam *tributi impositi*. Arabes quoque obtulerunt pecudes, arietum septem millia, et septingentos hircos. 12. Sic Josaphatus magis magisque gloria et dignitate crevit, et exstruxit *passim* in Judaea arces et oppida promtuaria. 13. Multum occupatus fuit in oppidis Judaeae *ornandis et muniendis*. Milites autem fortissimos habuit Hierosolymae. 14. Quorum census secundum familias patrias hic est. Princeps chiliarchorum Judae fuit Adna, cui tributa erant trecenta millia militum. 15. Proximus ab eo fuit Jonathan dux, qui praefuit ducentis et octoginta millibus. 16. Hunc excepit Amasja, filius Sichri, Jovae dicatus, [a]) qui praefuit ducentis millibus militum. 17. Ex Benjaminitis vir militaris fuit Eljada, cui tributa erant sagittariorum et clypeatorum ducenta millia. 18. Cui proximus fuit Jo-

a) Hebr. מִתְנַדֵּב, οἱ ὁ: προθυμούμενος τῷ Κυρίῳ, Vulgatus: *consecratus Domino*. Sed qua ratione haec consecratio facta sit, non constat.

Josabadus cum centum et octoginta millibus militum expeditorum, 19. qui omnes regi ministrabant, praeter eos, quos per omnia Judaeae oppida munita disposuerat.

CAPUT XVIII.

Josaphato persuadet Ahabus, rex Israëlis, ut socius ejus sit in bello contra Syros. Ille postulat, ut Jovam antea consulat 1—7. Micha, verus Dei propheta, hanc in rem adductus, exitum belli praedicit infelicem, quamquam pseudoprophetae Ahabi contrarium affirmant, et propterea in vincula conjicitur 8—27. Ahabus in proelio vulneratus moritur 28—34.

1. Josaphatus, magnas divitias et gloriam consecutus, affinitatem contraxit cum Ahabo. 2. Hunc post aliquot annos invisit Samariae, [a]) qui eum ejusque comitatum lauto convivio ovium et boum mactatorum excepit. Simul eum in societatem belli contra Ramotham in Gileaditide pertrahere cupiens, 3. interrogavit, velletne se eo comitari? Respondit Josaphatus: velle se et suum populum eandem cum illo fortunam in hoc bello experiri. 4. Attamen se iudere, ut antea Jovam consuleret. 5. Igitur congregavit rex Israëlis prophetas fere quadringentos, atque ex eis quaesivit: num deberet expeditionem facere contra Ramotham in Gileaditide, an ab ea abstinere? Responderunt: faceret, Deum traditurum esse *oppidum* regi. 6. Tunc Josaphatus dixit: Annon praeterea adest Jovae propheta, quem consulere possimus? 7. Respondit rex Israëlis: Est quidem adhuc, quem de

a) Cf. 1 Reg. 22., ubi eadem historia narratur.

de Jovae voluntate percontari licet; ſed ego eum odi, quoniam nunquam fauſta, tantum infauſta mihi vaticinatur. Hic eſt Micha, filius Jimlae. At Joſaphatus: Non decet regem, ita loqui, inquit. 8. Tunc rex Iſraëlis vocavit aulicum quendam, cui mandavit, ut ſtatim Micham, filium Jimlae, arceſſeret. 9. Sedebant autem, rex Iſraëlis, et Joſaphatus, rex Judae, uterque in ſolio ſuo, veſtibus pretioſis induti, in area portae Samariae, et prophetae illi coram eis vaticinabantur. 10. *E quibus* Zedekias, filius Cenaanae, ſibi fecerat cornua ferrea, et dixit: Hoc Jova fatur: His feries Syros, donec eos confeceris; 11. et ſic omnes illi prophetae divinabant: Aggredere Ramotham Gileaditidis, felix eris, Jova tibi eam tradet. 12. Nuncius autem, qui Micham arceſſitum iverat, hortabatur eum, ut, quoniam prophetae uno ore fauſta regi praedicerent, ipſe quoque idem faceret. 13. Reſpondit Micha: Per Jovam immortalem! quod Jova mihi dicet, eloquar. 14. Igitur cum ad regem veniſſet, rex ſic eum eſt allocutus: Micha, bellumne inferemus Ramothae Gileaditidis, an non? Reſpondit: Inferte, felices eritis, tradentur vobis *hoſtes*. 15. At rex: Iterum iterumque te obteſtor, ut non niſi verum mihi dicas nomine Jovae. 16. Tum *Micha*: Vidi, inquit, Iſraëlitas diſperſos per montes, uti oves, quae paſtorem non habent. Et Jova dixit: Non habent illi dominos, domum revertantur incolumes. 17. Hic rex Iſraëlis Joſaphato: Nonne tibi dicebam, hunc nunquam mihi fauſta, ſemper infauſta praedicere? 18. At *Micha*: Sane audite, quod vobis nomine Jovae dicam.

cam. Vidi Jovam ſedentem in throno ſuo, coeli miniſtris a dextra et ſiniſtra ſtipatum. 19. Quis pelliciet, inquit, Ahabum, regem Iſraëlis, ut Ramotham Gileaditarum aggrediatur, ibique cadat? Atque alio aliud dicente 20. prodiit ſpiritus, dixitque Jovae: Ego eum pelliciam. Per quem? inquit ille. 21. Egrediar, ajebat, et mendacia ſuggeram omnibus ejus prophetis. Tunc ille: Pellicies *eum*, ſuccedet tibi, age, perfice. 22. Scito igitur, falſa tibi vaticinari prophetas tuos omnes, Jova hoc concedente, qui malum in te decrevit. 23. Tum Zedekias, filius Cenaanae, colaphum inflixit Michae, et dixit: Quanam via ſpiritus Jovae a me disceſſit, ut per te loqueretur? 24. Reſpondit Micha: Videbis tunc, cum te in conclavibus interioribus occultabis. 25. Rex vero Iſraëlis juſſit Micham abduci ad Ammonem, oppido praefectum, et ad Joaſum Benmelechum, 26. qui eum carceri includerent, et panem et aquam tantum ad neceſſitatem praeberent, donec ſalvus redierit. 27. Si ſalvus redieris, inquit Micha, Jova per me non eſt locutus. Audite hoc omnes, ait. 28. Sic rex Iſraëlis et Joſaphatus, rex Judae, Ramotham in Gileaditide profecti ſunt. 29. Tunc ille huic dixit: Ego veſtes mutabo, [b]) dum in pugnam procedam; tu vero tuas veſtes

b) De mutandis imperativis, *muta veſtes et veni*, in perſonam primam jam dictum eſt ad 1 Reg. 22, 30., ubi idem error exſtat. De noſtro loco modo obſervo, verſionem Graecam, quae in altero loco veram lectionem exhibet, in hoc falſam ex parte habere: *Καταπάλυψόν με καὶ εἰσελεύσομαι*, Vulgatum contra, qui illic falſam ſecutus fuerat, hoc loco veram ex-

ſtes indue. Sic rex Iſraëlis veſtitu mutato proelio interfuit. 30. At rex Syriae praeceperat ducibus quadrigarum ſuarum, ne quem alium, ſive parvum ſive magnum, impeterent, niſi unum regem Iſraëlis. 31. Igitur cum illi Joſaphatum viderent, exiſtimabant, hunc eſſe regem Iſraëlis, atque arma in eum convertebant. Sed eo clamante Jova eum adjuvit, atque *hoſtes* ab eo avertit. 32. Nam cum duces curruum intelligerent, eum non eſſe regem Iſraëlis, ab eo perſequendo deſtiterunt. 33. Tunc forte quidam arcum tendens regem Iſraëlis vulneravit inter commiſſuras loricae. Ille igitur juſſit aurigam currum reflectere et ſe ex proelio educere, quod vulneratus eſſet. 34. Sed proelio eo die invaleſcente rex Iſraëlis cum in curru contra Syros usque ad veſperam ſtetiſſet, mortuus eſt ſub occaſum ſolis.

CAPUT XIX.

Joſaphatus propter amicitiam cum Ahabo, rege impio, reprehenditur a propheta 1—3. Pergit in emendandis ſacris, et judices conſtituit, cum in aliis urbibus, tum Hieroſolymae, quibus ſummum juſtitiae ſtudium injungit 4—11.

1. Joſaphato, regi Judae, qui domum ſuam incolumis Hieroſolymam redierat, 2. obviam venit Jehu, Ha-

exprimere: *Mutabo habitum, et ſic ad pugnam vadam.* Sed vix dubitem, lectionem verſionis Graecae eſſe vitioſam, et legendum eſſe: *Καταχαλύψομαι.* Syrus quoque minus bene quam in altero loco אזיל *Armabo me, et veniens me ſiſtam in acie belli*, attamen perſonam primam in verbis exhibet. Item Chaldaeus: אֲנָא אֶשְׁתַּנֵּא וְאֵעוֹל בְּקַרְבָּא *Ego mutabor, et ingrediar proelium.*

Hananis filius, vates, atque hunc in modum eum eſt allocutus: Siccine debebas impium adjuvare, atque oſores Dei amare? Iram quidem Jovae propterea merebaris; 3. ſed bona quaedam in te inventa ſunt, nimirum quod lucos e terra fustuliſti et animum tuum ad colendum Jovam applicuiſti. — 4. Poſtquam Joſaphatus *aliquamdiu* Hieroſolymae commoratus fuerat, iterum terram peragravit a Berſeba usque ad montana Ephraimitica, ut populum ad Jovam, majorum ſuorum Deum, reduceret. 5. Praeterea quoque judices in omnibus Judaeae oppidis munitis conſtituit, 6. quos ſic eſt adhortatus: Videte, quid agatis; nam non hominum, ſed Jovae perſonam ut judices ſustinetis, isque vobis in judicio adeſt. 7. Jam igitur Jovam reveremini, et ſummam curam in munere veſtro adhibete. Nam Jova, Deus noſter, abhorret ab omni iniquitate, a perſonarum reſpectu, aut munerum corruptione. 8. Atque etiam Hieroſolymae conſtituit Joſaphatus quosdam ex Levitis, ſacerdotibus, et ex familiarum Iſraëliticarum principibus, qui Jovae vice judicarent, et jus dicerent civibus Hieroſolymitanis. [a]) 9. Atque hunc in modum eis praecepit: Sic jus

a) Non commodam admittit explicationem lectio textus recepta: וַיָּשֻׁבוּ יְרוּשָׁלִַם *et redierunt Hieroſolymam*; nam ſermo eſt de judicibus a Joſaphato Hieroſolymae conſtitutis. Quomodo igitur hi dici poſſunt eo rediiſſe? Syrus interpres legit ſingularem, ita ut de Joſaphato dicatur: *et reverſus Hieroſolymam praecepit eis, et dixit.* Sed de illo Joſaphati itinere verſu 4. narratum eſt, neque bene cohaeret haec reditus commemoratio cum eo, quod in hoc verſu narratur. Igitur ſane praeferenda videtur h. l. lectio ἐῶν ὁ et Vulgati interpretis. Illi habent:

jus dicite Jovam reverentes omni fide et dexteritate. 10. In omnibus caufis popularium veftrorum, quae ad vos ex aliis oppidis deferentur, tum criminalibus, tum in quaeftionibus de lege, difciplina, inftitutis et ritibus, de jure eis refpondete, ne in Jovam delinquant, et ira ejus in vos aut populares veftros exardefcat. Ab omni omnino culpa in jure dicendo vobis cavete. 11. Amarja facerdos praefes vefter erit in caufis religionis, et Sebadja, filius Ifmaëlis, princeps tribus Judae in quaeftionibus de jure regio. Levitas eruditos habetis vobiscum. Praeftate vos fortes, Jova bonis aderit.

CAPUT XX.

Moabitae, Ammonitae et Edomitae bellum inferunt Jofaphato, qui in folenni populi conventu auxilium divinum implorat 1—12., quod etiam promittitur 13—17., et clade divinitus hoftibus illata praeftatur 18—24., poft quam Judaei magna praeda potiuntur 25—30. Pius ceterum rex Jofaphatus cum impio rege Ifraëlis Ahasja focietatem iniit exitu infelici 31—37.

1. Pofthaec Moabitae, Ammonitae et cum eis Edomitae [a]) bellum intulerunt Jofaphato. 2. Quod cum ei

---

bent: *καὶ κρίναν τοὺς κατοικοῦντας ἐν Ἱερουσαλήμ*; hic: *et caufam Domini judicarent habitatoribus ejus.* Legerunt igitur: לְיֹשְׁבֵי יְרוּשָׁלִַם. Sic optime cohaerent haec verba cum antecedentibus et fequentibus.

a) In textu eft וְעִמָּהֶם מֵהָעַמּוֹנִים *et cum eis de Ammonitis.* Jam *Caftellio* judicavit, hanc lectionem mendofam effe. Abfurdum effet, inquit, dicere: *Ammonitas et Ammonitarum partem*, et hiftoria ostendit, adfuiffe Idumaeos, Seïris montis incolas, quorum hic mentionem omiffam effe, non eft veri-

fi-

ei esset annunciatum, ingentem nempe multitudinem ex regione transmarina et ex Syria venire, eamque jam prope Hazzontamaram (quae quoque Engeddi vocabatur) esse, 3. ille perterritus auxilium Jovae implorare decrevit et supplicationem solennem per omnem Ju-

---

simile. Atque ita sane est; versus 10. 22. 23. plane evincunt, tres gentes fuisse, quae bellum inferebant, Ammonitas, Moabitas et *incolas montis Seïr*, qui nulli alii esse possunt, quam Edomitae. Sed aliam gentem nominant *οἱ ὁ*, qui vertunt: *καὶ μετ' αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων*. De his Minaeis copiose egit *Bochartus* in Phaleg., lib. II. cap. 23., et probavit, gentem eos fuisse Arabiae felicis, et, ne quis objiceret, eam nimis remotam fuisse a Palaestina, parti horum Minaeorum etiam in Arabia Petraea sedes assignavit. Quae more suo magno eruditionis apparatu probare studuit, ut illam *τῶν ὁ* lectionem praeferendam esse doceret Hebraeae, levi litterarum transpositione, ut pro מחעמונים legeretur מהמעונים. — Non placuit *Clerico* haec emendatio, quoniam defendi posse existimat lectionem receptam, si מ vertatur per *ultra*, et supplentur אשר in hunc modum: *et cum illis, qui ultra Ammonitas habitant*, et sic significari Arabiae desertae aut Syriae populos, qui a Cananaea remotiores erant quam Ammonitae. — At miror, neque *Bochartum* neque *Clericum* attendisse ad versus 10. 22. 23. qui trium tantum gentium mentionem faciunt, ut non opus sit, quartam addere ignotam et alienam. Unus Chaldaeus, a quo omnium minime hoc exspectaram, veram lectionem exhibet מִן אֱדוֹמָאֵי *ex Idumaeis*. Syrus, quem Arabs secutus est, quid legerit, aliis divinandum relinquo. Vertit enim: ܘܥܡܗܘܢ ܓܒܪܐ ܩܪܒܬܢܐ *et cum eis viri bellicosi*. *)

*) Sine dubio Syrus pro וְעִמָּהֶם מֵהָעַמּוֹנִים legit וְעִמָּהֶם מְתֵי הַמּוֹנִים *et cum iis viri copiarum* s. *exercituum*. הַמּוֹן enim, quod strepitum et multitudinem hominum, quae strepitum facit, significat, praesertim de exercitibus adhibetur, e. c. hujus capitis versu 2., Jud. 4, 7., Dan. 11, 11. 12. 13. Pluralis hujus vocis Joel. 4, 14. et Ezech. 32, 20. invenitur.

udaeam indixit. 4. Cum igitur Judaei ex omnibus ppidis conveniſſent, ut Jovam orarent et obſecraent, 5. ipſe Joſaphatus in coetu Judaeorum et Hiroſolymitanorum ante atrium novum ſtetit, 6. atque is verbis eſt precatus: Jova, majorum noſtrorum Deus, nonne tu es Deus, qui quidem in coelo ſeem ſuam habet, qui tamen quoque omnium gentium egnis dominatur? qui tanta es potentia et virtute, ut emo tibi poſſit reſiſtere. 7. Nonne tu, Deus noſter, jeciſti hujus terrae incolas propter populum tibi ſarum, Iſraëlem, eamque dediſti Abrahami, amici tui, oſteris in perpetuum? 8. Quam inhabitantes exſtruerunt ſanctuarium nomini tuo dicatum, eo conſilio, ut, ſi qua nobis inciderit calamitas, aut hoſtis tiendus, [b]) aut peſtis, aut fames, nos ante hanc aeem, in qua te praeſentem exhibuiſti, [c]) propter ilum calamitatem te imploraremus, et tu nos exaudies et defenderes. 10. Jam vero Ammonitae, Mobitae et montis Seïris *incolae*, quos ut invaderemus, obis non permiſiſti, cum ex Aegypto veniremus, ſed b eis deflexímus, nec terram eorum vaſtavimus: 1. en! hi nobis jam hanc gratiam referunt, ut nos jicere velint ex poſſeſſione, quam nobis aſſignaſti. 2. Et tu, Deus noſter, eos non punires? Nos quiem ſat virium non habemus, ut reſiſtere poſſimus ntae multitudini, quae nos aggreditur. Nec ſcimus, uid facere debeamus. In te tantum oculi noſtri ſunt onverſi. — 13. Sic ſtantibus omnibus Judaeis in loco ſa-

b) Hebr. *gladius judicii.*

c) Hebr. *nam nomen tuum in hac aede.*

ſacro una cum eorum parvulis, mulieribus et filiis, 14. Jahaſiel, filius Secharjae, Benajae nepos, Jeïelis pronepos, Mattanjae abnepos, Levita ex Aſaphi poſteris, in medio coetu divino inſtinctu ſic fari coepit: 15. Attendite, omnes Judaei et Hieroſolymae incolae, et tu, rex Joſaphate! Sic dicit Jova vobis: Ne metuatis, aut contremiſcatis propter iſtam tantam multitudinem. Nam non veſtra erit pugna, ſed Dei. 16. Cras ad eos deſcendite. Aſcendent clivum Siſum, et incidetis in eos in extrema valle e regione deſerti Jeruëli. 17. Non opus erit, ut vos pugnetis. Adeſte modo, ſtate et videte ſalutem, quam vobis praeſtabit. Judaei et Hieroſolymitani! nolite timere aut expaveſcere. Cras obviam eis procedite, Jova vobis adeſt. — 18. Tum Joſaphatus capite ad terram inclinato omnesque Judaei et cives Hieroſolymitani prociderunt coram Jova eum venerantes. 19. Levitae autem ex Kahathitis et Korahitis laudarunt Jovam, Iſraëlitarum Deum, voce maxima. 20. Poſtridie mane, cum egrederentur ad ſolitudinem Tekoam, adſtitit Joſaphatus, et dixit: Audite me, Judaei et Hieroſolymae incolae, fidem habete Jovae, Deo veſtro, et eritis immoti; credite ejus prophetis, et feliciter vobis omnia ſuccedent. 21. Deinde aſſentiente populo cantores Jovae conſtituit, qui ritu in ſacris recepto praecederent milites, et canerent: Laudate Jovam; nam aeterna eſt ejus benignitas. 22. Simulac illi *hujusmodi* laeta carmina cantare inceperant, fecit Jova, ut infidiae Seïritarum, quae Judaeos aggredi debebant, Ammonitas et Moabitas invaderent et caederent. 23. Tum Ammonitae et Moabi-

abitae aggressi sunt Seïritas; eosque funditus perdiderunt, quibus confectis deinde illi sese mutuo conciderunt. [d]) 24. Cum igitur Judaei venirent ad speculam solitudinis, seque versus multitudinem illam converterent, vident cadavera humi strata, nec quisquam evaserat. 25. Tum Josaphatus et milites ejus veniunt ad praedam agendam, et invenerunt tantam copiam variarum divitiarum, vestium [e]) et pretiosae supellectilis, ut auferre omnia non possent. Triduum consum-

d) Hic versus nobis lucem accendit ad dispellendas tenebras versus praecedentis, in quo verborum ordinem paullulum turbatum esse, partim dissensus interpretum in eo explicando, partim hic ipse versus luculenter probat. Ex versione mea facile intelligitur, qua ratione putem, rem actam esse. Nimirum arbitror, in versu 22. litteram Vau τοῦ וְהַר praeponendam esse τῷ מוֹאָב, quoniam in vers. 23. Ammonitae et Moabitae dicuntur sese opposuisse Seïritis, atque his confectis illi sese mutuo concidisse. Ex quo sequitur, מארבים *insidias* non quartam aliquam gentem fuisse, uti plerique interpretes statuunt, sed hos ipsos Seïritas, missos haud dubie a sociis suis contra Judaeos; illos vero vel errore vel consilio sese in socios suos convertisse. Quo facto inter hos quoque discordia orta est, quae mutua caede finiebatur; cf. *Hubigantius*.

e) Pro פְּגָרִים *cadavera*, legendum esse בְּגָדִים *vestes*, probant novem codd. *Kennicotti*. Vulgatus utramque lectionem jungit: *Invenerunt inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque et vasa pretiosissima*. Syrus habet: ܦܓܘܪܐ *fraena*, nisi forte legendum est ܦܓܪܐ *cadavera*. Οἱ ὁ duo habent vocabula, quae Hebraeo respondent: ἀποσκευὴν καὶ σκῦλα. Chaldaeus: גּוּשְׁמִין קְסִילִין *corpora caesa*. Sed cadaverum jam in versu praecedenti mentio facta est, et in hoc sermo est de praeda acta.

ſumſerunt in ſpoliis colligendis, quoniam ingens eorum erat copia. 26. Tandem die quarto convenerunt in valle gratiarum actionis, quae ex eo hoc nomen accepit, (quod etiamnum gerit) quoniam in eo gratias egerunt Deo. 27. Tum omnes Judaei et Hieroſolymitani duce Joſaphato laetabundi redierunt Hieroſolymam, quod Jova eis illam de hoſtibus ſuis laetitiam conceſſerat, 28. urbemque ingreſſi ſunt cum nabliis, citharis et tubis ad aedem Jovae, 29. omnia autem iſtarum regionum regna divino terrore correpta ſunt, cum audirent, Jovam cum Iſraëlitarum hoſtibus pugnaſſe, 30. et quietum habuit *deinceps* Joſaphatus regnum, Deo ei undique quietem concedente. 31. Annum agebat quintum et triceſimum, cum regnum capeſſeret, atque omnino viginti quinque annos regnavit Hieroſolymae. Mater ejus vocabatur Aſuba, filia Silhi. 32. Patris ſui Aſae mores imitatus eſt in omnibus, ita, ut faceret, quae Jovae probarentur. 33. Tantum loca excelſa non ſunt ſublata, neque populus ſatis confirmatus fuit in Deo majorum ſuorum colendo. 34. Reliquae res geſtae Joſaphati ex ordine omnes deſcriptae exſtant in annalibus Jehui, filii Hananis, qui inſerti ſunt annalibus regum Iſraëliticorum. — 35. Poſtea ſocietatem iniit Joſaphatus, rex Judae, cum Ahasja, peſſimo iſto rege Iſraëlis. 36. Cujus ſocietatis hoc fuit conſilium, ut naves Ezeongebere aedificatas Tarteſſum mitterent. 37. Sed Elieſer, Dodavae filius ex Mareſa, Joſaphato praedixit ſpiritu prophetico, fore, ut Jova propter illam cum Ahasja ſocietatem laborem ejus irritum redderet. Quod etiam factum eſt. Nam nau-

fragium passae sunt istae naves, neque Tartessum ire potuerunt.

CAPUT XXI.

Mortuo Josaphato succedit Joramus, homo pessimus, qui fratres suos interficit 1—7. Idumaeos rebelles frustra sibi rursus subjicere tentat. Indicantur ei ab Elia, epistola ad eum missa, judicia divina et tristis exitus 8—15., quae etiam ei evenere 16—20.

1. Postquam Josaphatus mortuus et apud majores suos in urbe Davidis sepultus erat, successit ei in regno Joramus filius. 2. Hic fratres habuit Asarjam, Jehielem, Secharjam, Asarjahum, Michaëlem et Sephatjahum, qui omnes filii fuerunt Josaphati, regis Judae. [a]) 3. Sed pater eis dederat dona multa, argentum, aurum aliasque res pretiosas, praeter oppida Judaeae munita; regnum autem dederat Joramo, quoniam erat natu maximus. 4. Hic, postquam regnum paternum occupaverat et *in eo* se confirmarat, omnes fratres suos gladio interfecit, et praeterea quoque quosdam de Israëlitarum principibus. 5. Annos natus erat duo et triginta, cum regnare inciperet; octo vero annos Hierosolymae regnavit. 6. Imitatus est mores regum Israëliticorum, atque ad exemplum familiae Ahabi, cujus quoque filiam in matrimonio habebat, Jovam offendit. 7. Verum hic nolebat stirpem Davidis delere propter foedus, quod cum Davide percusserat, et quoniam ei promiserat, ipsum et filios ejus semper po-

 ste-

a) Pro *Israël*, quod in textu est, legendum esse *Juda*, partim historia docet, partim auctoritas versionum antiquarum Graecae, Syr. et Vulg. et 25 codd. *Kennicotti* probat.

ſteros eſſe habituros. — 8. Jorami temporibus Edomitae [b]) defecerunt a Judaeis, quibus ſubjecti fuerunt, regemque ſibi ipſi fecerunt. 9. Profectus quidem eſt contra eos Joramus cum ducibus ſuis et curribus omnibus, eosque noctu aggreſſus percuſſit; qui ipſum circumdederant et curruum duces; 10. ſed tamen Edomitae iterum defecerunt a Judaeis, neque deinde ab eis rurſus ſubigi potuerunt. Tunc Libna quoque a Joramo defecit, quoniam Jovam, majorum ſuorum Deum, deſeruerat. 11. Etenim in montibus Judae exſtruxit ſacella, atque auctor fuit, ut Hieroſolymitani et Judaei turpiſſimae idololatriae ſe committerent. 12. Allata ei eſt epiſtola ab Elia propheta hujus tenoris: Sic dicit Jova, Deus Davidis, progenitoris tui: Quoniam non inſtitiſti viis Joſaphati, patris tui, aut Aſae, regis Judae, 13. ſed reges Iſraëliticos imitaris, et Judaeos atque incolas Hieroſolymae ad turpiſſimam idololatriam ſeducis, quae in familia Ahab obtinet, atque praeterea fratres tuos, familiam patris tui, te meliores, interfeciſti: 14. ego Jova magna calamitate afficiam populum tuum, filios, mulieres et omnia, quae poſſides. 15. Tu vero morbo graviſſimo conficieris, morbo inteſtinorum, ex quo viſcera tua poſt complures dies ejicientur. — 16. *Quod etiam evenit.* Nam excitavit contra Joramum Philiſtaeos et Arabes Aethiopibus vicinos, 17. qui facta in Judaeam irruptione captivos abduxerunt omnes in arce regia obvios, omnes regis filios et mulieres, nemine filiorum

b) Cf. 2 Reg. 8, 21.

rum relicto, nisi Ahasja, [c]) natu minimo. 18. Post haec inflixit ei Jova morbum intestinorum insanabilem, 19. ex quo diu *laboravit*, tandemque post biennium intestina ex morbo ejecta sunt, et morbo gravissimo est mortuus. *Propterea quoque* subditi ejus in funere nulla aromata incenderunt, uti *in honorem* majorum ejus fecerant. 20. Anno aetatis secundo et trigesimo regnum iniit, quod octo annos tenuit Hierosolymae. Mortuus est a nemine desideratus. Sepelierunt quidem eum in urbe Davidis, sed non inter sepulcra regum.

CAPUT XXII.

Joramo succedit Ahasja itidem impius 1—4. A Jehu interficitur, cum Joramum, regem Israëlis, Ramothae inviseret 5—9., quo facto Athalja, mater ejus, stirpe regia interfecta, praeter Joasum, qui caedi surripitur, regnum invadit 10—12.

1. Loco ejus regem fecerunt Hierosolymitani Ahasjam, filium natu minimum; nam natu majores interfecerat turma illa, quae cum Arabibus ad castra [a]) venerat. 2. Regnum iniit ille Ahasja, Jorami filius, anno aetatis secundo et vicesimo, [b]) atque unum annum

c) In textu recepto vocatur יְהוֹאָחָז, sed in sequenti capite vocatur אֲחַזְיָהוּ, et sic quoque h. l. in versione Graeca et Syriaca. Sic quoque exstat in duobus codd. *Kennicotti* 332. et 356.

a) Incertum, num ad castra Philistaeorum, an Judaeorum, cap. 21, 17.

b) In textu recepto quidem legitur *anno aetatis quadragesimo secundo*; sed falsum esse hunc numerum, multis modis potest probari. 1 Reg. 8, 26. hic Ahasja dicitur vicesimo secundo anno ac-

num regnavit Hierosolymae. Nomen matris ejus fuit Athalja, neptis Omri. 3. Verum hic quoque imitatus est mores familiae Ahabi, in qua impietate consultricem habuit matrem suam. 4. Jovam igitur offendit, uti omnes de ista Ahabi familia, quibus quoque post mortem patris consiliariis usus est, sed in suam perniciem. 5. Ex eorum consilio factum est, ut cum Joramo, Ahabi filio, rege Israëlis, ad bellum proficisceretur contra Hasaëlem, regem Syriae, Ramotham in Gileaditide. Sed cum vulneratus esset a Syris c) Joramus, 6. revertit Jesreelem, ut sanaretur ex vulneribus. d) Quo etiam venit Ahasja, e) rex Judae, ut eum in-

---

aetatis suae regnum iniisse. Capite praecedenti vers. 20. narratur, ejus patrem Joramum triginta duos annos natum regnare coepisse et octo annos regnasse. Igitur anno aetatis quadragesimo mortuus est. Error scribarum haud dubie venit ex numerorum litteris permutatis: pro כב scripserunt מב. Chaldaeus et Vulgatus textus vulgaris lectionem exhibent; *οἱ ὁ viginti annos*; Syrus autem et Arabs *viginti duo* habent. Codex 590. *Kennicotti* עשרים ושתים in margine habet, sine dubio ex emendatione possessoris errorem observantis. Quam anxie olim laborarint in eo defendendo viri quidam docti, legisis in annotatt. uberioribus Halens.

c) Pro הָרַמִּים legendum est אֲרַמִּים *Syri*. Sic est 2 Reg. 8, 29. Sic quoque Chaldaeus et Vulgatus. *Οἱ ὁ* tamen etiam sine א vocem legerunt; nam vertunt: *οἱ τοξοταί sagittarii*. Tunc legendum esset הָרֹמִים. Pro illa lectione *Kennicottus* duos codd. citavit, in altero 519. legitur ארמים, in altero 531. הארמים.

d) In textu legitur כִּי המכים; sed legendum esse מִן המכים partim contextus probat, partim locus parallelus 2 Reg. 8, 29. Sic quoque *οἱ ὁ*, Syrus, Chaldaeus et sex codd. *Kennicotti*.

e) Non *Asarja*, uti in textu est, sed *Ahasja*, quo nomine semper in sequentibus venit. Sic quoque *οἱ ὁ*, Vulgatus, Syrus et 12 codd. *Kennicotti*.

inviſeret, 7. at in interitum ſuum, Deo ſic rem dirigente. Nam cum ibi eſſet, cum Joramo obviam egreſſus eſt Jehuo, filio Nimſi, quem Jova *regem* ungi juſſerat ad exſtirpandum familiam Ahabi. 8. Igitur cum ille Jehu poenas ſumeret de familia Ahabi, et forte offenderet Judaeae principes, filios nempe fratrum Ahasjae, eos interfecit. [f] 9. Tum quoque ipſum Ahasjam voluit comprehendere; ſed latebat Samariae. Verum producitur ad Jehuum et interficitur. Attamen ſepultus eſt, quod erat filius Joſaphati, qui Jovae ex animo erat addictus. Sed in familia Ahasjae nemo erat, qui potuiſſet regnum obtinere. 10. Athalja enim poſt mortem filii ſui conata eſt, omnem ſtirpem regiam domus Judae delere. 11. At Joſaba, regis Jorami filia, ſoror Ahasjae, eademque uxor Jojadae, ſacerdotis ſummi, ſurripuit Joaſum, Ahasjae filium, e media caede filiorum regiorum, eumque una cum ejus nutrice in conclavi lectorum abdidit. 12. *Ibi* quoque in aede Dei per ſex annos latuit, dum interea Athalja terrae imperaret.

CAPUT XXIII.

Jojada, ſacerdos ſummus, adjutus a principibus Judae et Levitis, Joaſum regem proclamat 1—11. Athalja accurrens interficitur 12—15. Foedus religionis cauſa renovatur, et novus rex in throno confirmatur 16—21.

1. Anno autem ſeptimo Jojadae animus acceſſit, ut centuriones Aſarjam Jerohami, Iſmaëlem Johananis,

f) Cf. 2 Reg. 10, 13. ſeqq.

nis, Asarjam Obedi, Maasejam Adajae et Elisapatum Sichris filium foedere sibi jungeret. 2. Hi Judaeam obierunt et convocarunt Levitas ex omnibus Judaeae oppidis et familiarum Israëliticarum principes Hierosolymam. 3. Postquam universus coetus in aede Dei foedus percusserant cum rege, *Jojada* a) omnes sic alloquitur: Videtis filium regis, ad hunc pertinet regnum ex promissione Jovae Davidis filiis data. 4. Hoc est igitur, quod faciatis. Tertia pars vestrum, cum sacerdotum tum Levitarum, qui ministerium vestrum ingredimini, limina custodiat. 5. Tertia sit ad regiam; et tertia ad portam fundamenti, populus autem universus sit in atriis templi Jovae, 6. quod nemo ingrediatur nisi sacerdotes et Levitae administri, quia sancti sunt; populus autem omnis custodiam agat *in atriis* Jovae. b) 7. Levitae regem undique cingant, omnes armis instructi, eumque exeuntem et redeuntem comitentur; qui templum intrare ausus fuerit, moriatur. — 8. Tum Levitae et Judaei fecerunt omnia, quae Jojada, sacerdos summus, ipsis praeceperat, et suos quisque homines *mandatis* adhibuerunt, tum ministerium *hebdomadale* ingredientes, tum eo jam perfunctos, nam Jojada classes non dimiserat. 9. Praeterea hic dederat centurionibus hastas, clypeos et tela, quae olim regis Davidis fuerant et jam in templo servabantur. 10. Sic stabant omnes armati a latere templi dextro ad latus ejus sinistrum circa altare et sanctum sanctorum, regem undique cingentes. 11. Tum pro-

a) Supplet hoc Vulgatus ex 2 Reg. 11, 8. Recte.

b) Idem praecipitur, quod jam versu 5. dictum est.

produxerunt Jojada ejusque filii filium regis, eique diadema regium impofuerunt et infignia regia tradiderunt. Quo facto eum unxerunt et regem falutarunt. 12. Athalja, audito hoc populi concurrentis et regem collaudantis ftrepitu, venit in templum. 13. Hic videt regem pro more ftantem ad columnam et circa eum duces et tubicines; populum vero omnem jubilantem, tubis clangentem, et inftrumentis muficis canentem cum horum carminum peritis. Tum veftes fuas dilacerat atque exclamat: Conjuratio! conjuratio! 14. Sed Jojada, pontifex maximus, juffit [c]) centuriones et duces exercitus, ut eam educerent e templo extra ordines, et, qui eam fequeretur, gladio interficerent, quia nolebat eam in templo Dei fupplicio afficere. 15. Igitur manus ei injecerunt, et cum in viam, qua aditus eft equis ad regiam, veniffet, fupplicium ab ea fumferunt. 16. Jojada autem foedus percuffit inter fe, [d]) populum et regem, *nimirum* ut populus tantum Jovam coleret. 17. Quo facto omnes Baalis templum ingreffi funt, aras ejus et fimulacra fregerunt, et Mattanem, Baalis facerdotem, ante aras interfecerunt. 18. Tum reftituit Jojada curam templi Jovae per facerdotes Levitas, quam David fecundum certas claffes distribuerat, ut facrificia facerent Jovae

ex

c) Secutus fum lectionem, quae eft in loco parallelo 2 Reg. 11, 15., וַיֹּצִיאוּ, quam etiam Syrus exhibet, quoniam lectio Hebr. h. l. וַיּוֹבֵא *et eduxit* non commodam habet explicationem.

d) In loco parallelo 2 Reg. 11, 17. legitur quidem *inter Jovam*; fed non eft, quod lectionem noftri loci בֵּינוֹ fufpectam habeamus. Nam fummus facerdos perfonam Dei gerebat, igitur ejus quoque nomine omnia peragebantur.

ex lege Mosaica inter laeta cantica secundum Davidis instituta. 19. Similiter et janitores portis templi Jovae praepofuit, ne quis immundus intraret. 20. Deinde assumtis centurionibus, nobilibus et primariis populi et ipso populo universo, regem e templo Jovae deduxerunt, et cum per portam superiorem regiae ingressi essent, regem throno imposuerunt. 21. Laetati sunt omnes et otium nacta est civitas Athalja gladio interfecta.

CAPUT XXIV.

Joasus, quamdiu Jojada vivit, pie et feliciter regnat, et templum e collectis a populo pecuniis restaurat 1—16. Post mortem Jojadae per adulatores ad idololatriam seducitur et Sacharjam prophetam, Jojadae filium, lapidari jubet 17—22. Punitur a Deo per Syros, tandemque morbo laborans a domesticis interficitur 23—27.

1. Septem annos natus fuit Joasus, cum regnum capesseret. Regnavit autem omnino quadraginta annos Hierosolymae. Mater ejus vocabatur Sibja, Beersebensis. 2. Fecit, quae Jovae probabantur, quamdiu Jojada, summus sacerdos, vixit. 3. Hic ei duas uxores collocavit, cum quibus complures utriusque sexus liberos genuit. 4. Posthaec consilium cepit Joasus, restaurare templum Jovae. 5. Igitur congregavit sacerdotes et Levitas, eisque praecepit, ut oppida Judaeae obirent atque ab omnibus Israëlitis quotannis pecuniam colligerent ad aedem Dei restaurandam, idque propere facerent. Verum illi minime properarunt. 6. Tunc vocavit rex Jojadam, sacerdotem principem, eumque reprehendit, quod non operam dedis-

diffet, ut Levitae colligerent a Judaeis et Hierofolymitanis donarium, quod Mofis, Dei miniftri, juffu coetus Ifraëlitarum ad tentorium conventus conferre deberet. [a]) 7. Nam peffima ifta Athalja *et* filii ejus perruperant templum Dei, et omnia Jovae confecrata ad Baalum cultum abstulerant. 8. Tunc juffit rex, ut arcam facerent, quam in porta templi exteriori ponerent, 9. atque omnibus Judaeis et Hierofolymitanis edicerent, ut donarium Mofis, Dei miniftri, Ifraëlitis in deferto impofitum *ad locum* Jovae facrum conferrent. 10. Omnes vero tum principes tum de plebe homines laeti contulerunt et conjecerunt in arcam, usque dum fatis erat. 11. Subinde enim deferebatur arca ad curatores a rege conftitutos per Levitas, quando nempe videbant multum pecuniae ineffe; tunc venerunt fcriba regis et is, cui fummus facerdos rem commiferat, et evacuarunt arcam, quam deinde ad locum fuum retulerunt. Atque fic fecerunt quotidie, ita ut magnam pecuniae fummam congererent. 12. Hanc deinde rex et Jojada tradiderunt curatoribus operis, ut lapicidas et fabros *lignarios* nec non artifices ferrarios et aerarios conducerent ad reftaurationem templi Jovae. 13. Quorum curatorum ftudio etiam effectum eft, ut ruinae illae operis reficerentur atque templum Dei priftinae integritati reftitueretur. 14. Opere abfoluto retulerunt ad regem et Jojadam reliquam pecuniam, quam impendit

a) Intelligit femificlum, quem omnes mares ad ufum tentorii folvere tenebantur annum aetatis vicefimum ingreffi. Exod. 30, 12. feqq. et 38, 26.

dit vasis ad usum et ministerium templi, phialis aliisque vasis aureis et argenteis, quibus etiam usi sunt ad sacrificia in templo Jovae continuo offerenda, quamdiu Jojada vixit. 15. Verum hic senex et mori non detrectans diem suum obiit annos natus centum et triginta, 16. quem sepelierunt in urbe Davidis inter reges ob praeclara ejus erga Israëlitas merita, tum quoad cultus divini, tum quoad templi restaurationem. — 17. Post mortem Jojadae venerunt Judaeorum principes et regem submisse venerati sunt, b) qui eis quoque obtemperavit. 18. Relicto igitur templo Jovae, Dei majorum suorum, coluerunt lucos et simulacra, quo crimine ira Jovae vehementer commota est in Judaeos et Hierosolymitanos. 19. Misit quidem ille prophetas, qui eos ad se reducerent; sed admoniti quoque non auscultarunt. 20. Tunc Sacharja, Jojadae sacerdotis filius, spiritus divini impulsu apud populum hunc in modum verba fecit: Haec Deus dicit: Quare vos violatis praecepta Jovae? Non bene hoc vobis cedet; quoniam Jovam deseruistis, ille vos quoque deseret. — 21. Sed facta in eum conjuratione jussu regis in atrio templi lapidatus est. 22. Sic rex Joasus immemor beneficiorum, quae a Jojada, ejus patre, acceperat, interfecit filium, qui moriens ultionem divinam minabatur. 23. *Quae etiam evenit.* Nam anno vertente venerunt Syri c) et irruperunt in Judaeam *usque* ad Hierosolymam, interfecerunt principes

b) Hebr. יִשְׁתַּחֲווּ לַמֶּלֶךְ, quod intelligo de adulatoribus, qui regi persuadebant id, quod versu sequenti factum esse narratur.

c) Cf. 2 Reg. 12, 18. seqq.

ipes populi et praedam ab eis actam miſerunt ad regem Damaſcum. 24. Copiae quidem iſtae Syrorum rant exiguae; ſed Jova eis tradidit ingentem *Judaeorum* exercitum, quod ſe, Deum patrium, reliquerant. Atque etiam de Joaſo poenas ſumſerunt. 25. Nam eliquerunt eum multis vulneribus affectum. Poſtquam liscefferant, conjurarunt in eum aulici *quidam* proter caedem in filio [d]) Jojadae commiſſam, et in leto eum interfecerunt. Sepultus quidem eſt in urbe Davidis, ſed non inter ſepulcra regia. 26. Qui conurarunt contra eum, fuerunt hi: Sabadus, filius Sinathae, Ammonita, et Joſabadus, filius Simrith, Mobita. 27. De filiis ejus, de multis in eum dictis raticiniis et de templi reſtauratione ſcriptum eſt in hiſoria regum. Succeſſit ei in regno Amazia filius.

CAPUT XXV.

Amazia, rex probus, ulciſcitur caedem in patre ſuo commiſſam 1—4., conducit Iſraëlitas, quibus in bello adverſus Edomitas utatur, ſed conſilio prophetae obſequens eos remittit atque magna clade Edomitas afficit 5—13. Hoſtium victorum Deos colit et prophetae eum propterea reprehendentis admonitionem contemnit 14—16., a rege Iſraëlis, quem ad bellum provocaverat, vincitur, male multatur et ex conjuratione perit 17—28.

1. Regnum iniit Amazia annos quinque et viginti natus, idque undetriginta annos tenuit Hieroſolymae. No-

d) Pro בְּנֵי legendum videtur בֵּן; nam unum tantum Jojadae filium ſec. verſ. 21. interfecerat. Sic quoque legerunt *oi ó* et Vulg. Attamen Syrus et Chaldaeus habent pluralem. Cod. 80. et 166. *Kennicotti* omittunt בנֵי. Male.

Nomen matris fuit Jehoaddana, Hierosolymitana. 2. Jovam coluit, sed non animo integro. 3. In regno confirmatus supplicio affecit aulicos istos, qui patrem interfecerant; 4. eorum vero filios non occidit, ex lege Mosaica, quae praecipit: [a]) Non moriantur patres propter filios, neque filii propter patres; sed quisque ob suum peccatum moriatur. 5. Deinde congregavit Amazia Judaeos et Benjaminitas, qui annum aetatis vicesimum excesserant, eosque secundum familias patrias in classes milliarias et centuriatas distributos recensuit. Quorum trecenta millia lectissimorum hominum ad bellum idoneorum hastis et scutis instructorum fuerunt. 6. Tum centum argenti talentis conduxit militum Israëliticorum centum millia. 7. Sed propheta quidam eum adiit, et dixit: Noli, rex, tecum Israëliticos milites *ad hoc bellum* ducere; Jova enim non est cum Israëlitis, neque cum Ephraimitis. 8. Verum tu vade *solus* et bellum fortiter gere, *alioquin* Deus te ante hostes prosternet; hujus enim est, juvare et clade afficere. 9. Respondit Amazia prophetae: Sed quid fiet centum talentis, quae dedi copiis *auxiliaribus* Israëlitarum? Jova tibi, inquit ille, plura illis reddere potest. 10. Igitur sejunxit Amazia manum istam Ephraimitarum, quae ad eum venerat, ut ad suos redirent. Qua re illi vehementer offensi admodum irati ad suos reverterunt. 11. Amazia autem animo forti duxit suos in vallem salis, et percussit ibi Seïritarum decem millia. 12. Captivorum vero, quos Judaei fecerant, decem millia e vertice rupis, quo eos

a) Deut. 24, 16.

eos duxerant, praecipitarunt, ut omnes rumperentur. 13. Manus autem ista *Ephraimitarum*, quam Amazia remiserat, ne se ad bellum sequeretur, irruptionem fecit in oppida Judae a Samaria usque ad Bethhoronem, et interfectis tribus *incolarum* millibus multam praedam abstulit. — 14. Postquam Amazia ex illa Edomitarum clade redierat, Deos Seïritarum erexit, adoravit, eisque adolevit. 15. Qua re graviter iratus Jova misit prophetam, qui ei dixit: Quare vero colis Deos populi, qui eum contra te defendere non potuerunt? 16. Cui ille respondit: Ecquis te regis consiliarium constituit? Desine, ne occidaris. Tum desiit propheta; sed dixit: Intelligo, Deum te perniciei tuae permisisse, quod hoc fecisti, neque meum admittis consilium. — 17. Postea Amazia consilio inito misit ad Joasum, filium Jehoahasi, nepotem Jehui, regem Israëlis, eumque ad certamen provocavit, 18. qui per suos legatos ei hunc in modum respondit: Carduus Libani misit ad cedrum Libani, atque ab eo postulavit, ut suam filiam ipsius filio daret in matrimonium; sed fera Libani forte praeteriens conculcavit carduum. 19. Tu propter victoriam de Edomitis elatus te jactas. Jam domi mane; quid malum lacessis, ut cadas tu et Judaei tecum? 20. Sed noluit Amazia concedere, quod ex divino judicio factum est, ut eum propter illum Edomitarum Diis cultum exhibitum *hostium* manibus traderet. 21. Igitur egressi sunt cum Joasus, rex Israëlis, tum Amazia, rex Judae, et proelio decertarunt ad Bethsemesum Judaeae, 22. in quo Judaei ab Israëlitis caesi sunt et

in

in fugam converſi, 23. atque Amazia a Joaſo captus, qui, cum illum Hieroſolymam duxiſſet, deſtruxit murum hujus urbis a porta Ephraimitica usque ad portam angularem quadringentos cubitos. 24. Aurum vero et argentum et omnia vaſa templi penes Obed-edomum inventa et quidquid in theſauris regiis eſſet, obſides quoque abduxit et ſic Samariam rediit. 25. Vixit hic Amazia, Joaſi filius, rex Judae, poſt mortem Joaſi, Jehoahaſi filii, regis Iſraëlis, quindecim annos. 26. Reliquae ejus res geſtae cum primae tum ultimae deſcriptae ſunt in hiſtoria regum Judae et Iſraëlis. 27. Poſtquam Amazia a Jova defecerat, facta eſt in eum conjuratio Hieroſolymae. Fugit propterea Lachiſam; ſed miſſi ſunt eo, qui eum ibi occiderunt. 28. *Alii* tamen eum equis ſublatum ſepeliverunt apud majores ſuos in urbe Davidis. b)

CAPUT XXVI.

Uſſia, Amaziae filius, patri ſuccedit. Pie et feliciter regnat. Hieroſolymam munit et exercitum ſuum armis inſtruit 1—15. Ob felicitate ſuperbia elatus ſuffitum in templo offerre audet. Lepra propterea punitur. Regnum interea usque ad ejus mortem adminiſtrat Jothamus filius, qui ei ſuccedit 16—23.

1. Tum omnis populus Judaicus Uſſiam, a) qui annum agebat ſextum et decimum, regem crearunt

b) In textu vulgari legitur quidem בְּעִיר יְהוּדָה; ſed haud dubie eſt legendum בעיר דוד *in urbe Davidis.* Nunquam enim alias Sion aut Hieroſolyma ita vocantur. Sic quoque habet locus parallelus 2 Reg. 14, 20., interpretes antiqui omnes praeter Chaldaeum et 12 codd. *Kennicotti.*

a) De alio nomine hujus regis, *Aſarja*, cf. obſervat. ad 2 Reg. 15. 30.

loco patris ejus Amaziae. 2. Is Elatham restauravit et Judaeae restituit rege mortuo. 3. Regnum iniit annos natus sedecim, atque duo et quinquaginta annos regnavit Hierosolymae. Nomen matris ejus fuit Jecholja Hierosolymitana. 4. Jovam coluit, prorsus uti Amazia, pater ejus. 5. Fuit autem Deo deditus, quamdiu Sacharja vixit, qui eum in religione [b]) instituebat, quoad hoc fecit, expertus quoque est Deum faventem. 6. Bellum intulit Philistaeis, et muros Gathae, Jabnae et Asdodae diruit. Oppida aedificavit in Asdodensium et Philistaeorum tractu, 7. contra quos eum Deus adjuvit, ut et contra Arabes Gurbaalem incolentes, et contra Meonaeos. [c]) 8. Ammonitae tributarii facti sunt Ussiae. Fama ejus usque in Aegyptum pervenit, quoniam insigni erat potentia. 9. Hierosolymae turres exstruxit super portis anguli, vallis et Mikzoa [d]) easque munivit. 10. Praeterea in solitudine turres exstruxit, excidit multas cisternas, habebat enim multos greges tum

b) In textu recepto legitur חַמְּבִין בְּרִאַת הָאֱלֹהִים, quae *Clericus* explicat: *visionum divinarum peritus*, et dicit, periphrasin esse prophetae, collato loco Dan. 1. [illegible] valde alieno. Interpretes antiqui omnes praeter Vulgatum [illegible]gerunt בְּיִרְאַת *in timore*, h. e. religione Dei. Sic quoque habent 50 codd. *Kennicotti*. Ex mea versione post חַמְּבִין supplendus est accusativus אֹתוֹ *eum*. Sic quoque Syrus.

c) Οἱ ὁ habent: *καὶ ἐπὶ τοὺς Μιναίους*, uti cap. 20, 1., cf. observat. ad illum locum. Chaldaeus: *in planitie Maon*. Vulgatus: *contra Ammonitas*. Codex 180. *Kennicotti* ובעמונים et 89., 235., 530. et 590. והעמנים, quae lectio etiam propter sequentem versum praeferenda videtur.

d) Vulgo quoque ut פִּנָּה per *angulum* explicatur, quod nolui repetere, propterea vocabulum Hebraeum retinui.

tum in vallibus, tum in locis campeſtribus, item agricolas et vinitores in montibus et in Carmelo; erat enim agriculturae deditus. 11. Habuit praeterea Uſſia exercitum ad expeditiones ſuscipiendas paratum et in claſſes ſuas distributum per Jeïelem et Maaſejam ſcribas, cui praeerat Hananja, *unus* ex principibus regiis. 12. Numerus principum militarium fuit bis mille et ſexcentorum, 13. quibus ſuberat exercitus trecentorum et ſeptem millium et quingentorum militum, qui ad bellum gerendum fortes regem contra hoſtes juvabant. 14. Hunc totum exercitum inſtruxit Uſſia clypeis, haſtis, galeis, loricis, arcubus et fundis. 15. Fecit et Hieroſolymae machinas *bellicas* artificioſe excogitatas, quibus in turribus et in angulis dispoſitis tela et ſaxa ingentia jacerentur; hinc fama ejus ad remotas usque regiones ſparſa eſt, quod mira arte adjutus ad tantam potentiam perveniſſet. — 16. Enimvero propter hanc ipſam potentiam animo elatus in perniciem ſuam contra Jovam, Deum ſuum, peccavit. Nimirum ingreſſus eſt templum Jovae ad ſuffiendum in altari ſuffitus. 17. Secuti ſunt quidem eum Aſarja pontifex et octoginta ſacerdotes viri boni, 18. qui eum retinere conantes dixerunt: Non tuum eſt, Uſſia, ſuffitum offerre Jovae, ſed ſacerdotum, poſterorum Aaronis hanc in rem conſecratorum. Egredere e ſanctuario, nam crimen committis; neque laudi tibi erit a Jova Deo. 19. Verum Uſſia indignatus manu thuribulum tenens ſuffire contendit. Adhuc vero eo altercante cum ſacerdotibus lepra in fronte ejus erupit in templo Jovae ad aram ſuffitus. 20. Quod

cum

cum Asarja pontifex omnesque sacerdotes viderent, eum propere exire jusserunt, quod et ipse sponte fecit, cum lepra esset a Jova affectus. 21. Atque hoc morbo laboravit usque ad mortem suam, vixitque in aedibus separatis e Jovae templo exclusus, Jothamo, filio ejus, regiam et res populi administrante. 22. Historiam Ussiae completam scripsit Jesaias, Amozi filius, propheta. Sepultus est post mortem in fundo quodam sepulcris regiis destinato, quoniam leprosus fuerat. Successit ei Jothamus filius.

CAPUT XXVII.

Jothamus, rex pius, varia oppida munit, Ammonitas vincit et tributarios sibi facit. Post mortem Ahasus filius ei succedit.

1. Quintum et vicesimum aetatis annum agebat Jothamus, cum regnum capesseret. Regnavit autem omnino sedecim annos Hierosolymae. Mater ejus Jerusa filia fuit Zadoki. 2. Fecit, quae Jovae probabantur, prorsus ad exemplum Ussiae, patris sui. [a]) Tantum templum Jovae ingredi ausus non est, et populus adhuc erat moribus depravatis. 3. Restauravit portam templi superiorem, et in muro Opheli multa aedificavit. 4. Oppida in montanis Judaeae, in *tractibus* vero silvestribus arces et turres exstruxit. 5. Bellum gessit cum Ammonitis, qui victi solverunt ei illo anno centum talenta argenti, decem millia cororum tritici, totidemque hordei, quod anno quoque secundo

a) Ambiguitas horum verborum ex praecedenti historia facile intelligitur.

et tertio iterarunt. 6. Sic viribus valuit Jothamus, quoniam vitam ſuam ad voluntatem Jovae inſtituit. 7. Reliquae ejus res geſtae, bella et facta litteris conſignata ſunt in hiſtoria regum Iſraëlis et Judae. 8. Annos natus quinque et viginti regnum iniit, atque omnino ſedecim annos regnavit Hieroſolymae. 9. Poſtquam cum majoribus ſuis obdormierat, ſepultus eſt in urbe Davidis, ejusque loco regnavit Ahaſus filius.

CAPUT XXVIII.

Ahaſus patri valde disſimilis idololatriae ſe committit 1—4. Bello affligitur a Syris et Iſraëlitis, qui eum magna clade afficiunt, et multos captivos abigunt, quos tamen a propheta admoniti liberos dimittunt 5—15. Ahaſus a rege Aſſyriorum auxilium petit cum magno ſuo detrimento. Perpetuo usque ad finem vitae idololatriae deditus 16—27.

1. Anno aetatis viceſimo *quinto* a) regnum capeſſivit Ahaſus, quod ſedecim annos tenuit Hieroſolymae. Vitam ſuam ad exemplum Davidis, progenitoris ſui, minime Jovae probavit. 2. Sed imitatus est reges Iſraëlis. Fuſa ſimulacra Baalum fecit; 3. obtulit ſuffitum in valle Benhinnom, igne combuſſit filios ſuos, eadem ſcelera committens, quae gentes a Jo-

---

a) *Hubigantius* ſatis probaſſe videtur, addendum eſſe חָמֵשׁ *quinque*, quod etiam legerunt οἱ ὁ, Syrus et Arabs. Nam cap. 29, 1. narratur, Hiskiam anno quinto et viceſimo aetatis ſuae regnare coepiſſe; ex quo ſequeretur, Hiskiam natum eſſe anno Ahaſi undecimo, quod eſt parum probabile. At enimvero ſi Ahaſus anno 25. aetatis ſuae regnum iniit, mortuus eſt anno 41. nam ſedecim annos regnavit, et Hiskias ei natus eſt anno decimo ſexto.

Jova propter Iſraëlitas ejectae commiſerant. 4. Sacrificavit et ſuffiit in locis excelſis, in collibus et ſub arbore quavis frondoſa. — 5. Igitur Jova eum tradidit regi Aſſyriae, qui ejus exercitum percuſſit, magnam ejus partem captivam fecit et Damaſcum abduxit. Iſraëlitarum quoque regi eum addixit, a quo magna clade eſt affectus. 6. Ille enim Pekahus, Remaljae filius, Judaeorum centum et viginti millia uno die occidit, qui omnes erant homines ſtrenui, quoniam Jovam, majorum ſuorum Deum, deſerueranf. 7. Interfecit quoque Sichri, miles Ephraimita, Maaſejahum, regis filium, Asrikamum, praefectum palatio, et Elkanam, ſecundum a rege. 8. Captivos fecerunt Iſraëlitae de popularibus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum, et praeterea magnam ab eis praedam diripuerunt, quam Samariam abduxerunt. 9. Sed fuit ibi propheta Jovae nomine Obed. Is obviam egreſſus exercitui Samariam petenti ſic eum allocutus eſt: Jova, majorum veſtrorum Deus, Judaeis iratus eos vobis tradiderat, et vos inaudita crudelitate in eos ſaeviiſtis. 10. Jam quoque eis et civibus Hieroſolymitanis ut ſervis et ancillis uti vultis? Nonne vos *hoc facto* culpam contraheretis in Jovam, Deum veſtrum? 11. At enimvero audite me! Dimittite captivos, quos e popularibus veſtris abduxiſtis, alioquin ira Jovae in vos exardeſcet. 12. Tum quoque quidam de principibus Ephraimitarum, Aſarja, filius Johananis; Berechja, filius Meſillemothi; Jehiskia, filius Sallumi; et Amaſa, filius Hadlaei, invehebantur in eos, qui e proelio veniebant, 13. eisque dicebant: Ne intro-

troducatis huc captivos. Nam criminis in Jovam nos reos faceretis; ita ut peccata et delicta nostra augeremus, quae jam sic satis multa sunt et ira gravis nobis *metuenda*. 14. Tunc milites captivos et praedam praesentibus illis principibus et universo coetu dimiserunt. 15. Homines autem illi antea nominati captivos, qui nudi erant, vestierunt e spoliis, neque solum vestes, sed et calceos, cibum et potum eis praebuerunt, eos unxerunt, atque infirmos asinis imposuerunt, et sic Hierichuntem ad urbem palmarum deduxerunt ad consanguineos suos, deinde redierunt Samariam. — 16. Eo tempore misit rex Ahasus ad regem b) Assyriae, ut sibi auxiliaretur. 17. Insuper enim Edomitae Judaeos aggressi erant, *multosque* conciderant et captivos abduxerant. 18. Philistaei quoque, irruptione facta in oppida Judaeae campestria et meridiana, ceperant Bethsemesum, Ajjalonem, Gederotham, Sochonem, Timnam, Gimsonem et pagos eis finitimos, atque in iis habitarunt. 19. Nam deprimere Judaeos Jova decreverat, propter Ahasum, regem Judae, qui *ab omnibus legum divinarum vinculis* Judaeos solverat et ipse a Jova prorsus defecerat. 20. Venit quidem Tiglathpilesar, rex Assyriae, sed vexavit eum, non

b) Pro מלכי *reges*, quod in textu est, legendum esse מלך jam propterea dubio caret, quod semper unius tantum regis Assyriae mentio fit. Verum sic quoque legitur 2 Reg. 16, 7. et veteres omnes sic legerunt, cf. v. 20. Miror igitur, *Kennicottum* hanc lectionem unice veram in duobus tantum codd. 1. et 188. invenisse.

c) In textu quidem legitur *Israël*; sed versiones antiquae omnes habent *Juda*; item decem codd. *Kennicotti*. Similis error supra jam notatus est ad cap. 21, 2.

non adjuvit. 21. Et quamquam Ahasus *omnem pecuniam* a templo, e suo palatio atque a principibus collegerat, et regi Assyriae dederat, tamen ei non fuit auxilio. [d]) 22. Atque adeo illo tempore, quo affligebatur, perrexit in Jovam delinquere. 23. Nam sacrificavit Diis Damascenis, a quibus caesus fuerat, sperans, quod Dii Syrorum eos adjuvissent, ipsos se quoque adjuturos esse, si eis sacrificaret; sed detrimento fuerunt tum ei tum omnibus Israëlitis. 24. Praeterea congessit omnia vasa aedis divinae, iisque confractis et clausis januis templi Jovae exstruxit aras in omnibus Hierosolymae angulis. 25. In singulis Judaeae oppidis fecit loca excelsa ad suffiendum Diis peregrinis, et irritavit Jovam, Deum majorum suorum. 26. Reliqua, quae ad vitam ejus pertinent, ex ordine omnia descripta sunt in historia regum Judae et Israëlis. 27. Eo mortuo sepultus est in urbe Hierosolymae, nec tamen illatus inter sepulcra regum Israëlis. Loco ejus regnavit Hiskias filius.

CAPUT XXIX.

Hiskias rex pius hortatur sacerdotes et Levitas, ut templum ab omnibus sordibus purgent 1—11. Quo facto 12—19. ipse cum principibus sacrificia offert ad expiandum populum 20—24. Cantores quoque et musicos, qui hymnos sacros in templo canant, ex instituto Davidis revocat, tandemque sacra eucharistica agit 25—36.

1. Hiskias anno aetatis quinto et vicesimo regnum iniit, regnavit autem omnino undetriginta annos Hiero-

d) Liberavit eum a rege Damasci 2 Reg. 16, 9. Sed propterea res ejus affectae parum sunt restitutae.

erosolymae. Matrem habuit Abijam, Secharjae filiam. 2. Fecit, quae Jovae placebant, prorsus ad exemplum Davidis, progenitoris sui. 3. Is statim primo mensis primi anni regni sui aperuit templi januas, et restauravit eas. 4. Deinde congregatos a se sacerdotes et Levitas introduxit in aream orientalem, 5. eosque his verbis est allocutus: Audite me, Levitae! Primo vos ipsos, deinde quoque templum Jovae, Dei majorum nostrorum, sanctificate, atque efferte e loco sacro omnes sordes. 6. Nam majores nostri peccatis Jovam Deum offenderunt. Facies suas a sede Jovae avertentes tergum ei obverterunt. 7. Praeterea clausis vestibuli foribus, exstinctis lucernis, neque suffitum obtulerunt, neque holocausta fecerunt in sanctuario Dei Israëlitarum. 8. Hinc quoque ira Jovae graviter exarsit in Judaeos et Hierosolymitanos, tradidique eos *hostibus* dispellendos, perturbandos, exsibilandos, uti vos ipsi oculis vestris vidistis. 9. Nam patres nostri gladio interierunt, liberi nostri et mulieres in captivitatem sunt abductae. 10. Jam igitur animo mihi est, ferire foedus cum Jova, Deo Israëlitarum, ut irae suae fervorem a nobis avertat. 11. Vos ergo, filii mei, nolite remittere; [a]) nam vos Jova elegit, ut ei ministretis et tamquam ministri ejus suffitum faciatis. — 12. Tum opus aggressi sunt Levitae, Mahath, Amasaei filius, et Joël, Asarjae filius, ex Kahathitis; ex Meraritis Kis, filius Abdi, et Asarja, filius Jehallelelis; ex Gersonitis Joahus, filius Simmae, et Edenus, filius Joahi; 13. ex posteris Elizaphanis Sim-

a) Scilicet in labore demandato templi purgandi.

ıri et Jeïel; ex posteris Asaphi Secharja et Mat-
ja; 14. ex posteris Hemanis Jehiel et Simei; ex
:eris Jeduthunis Semaja et Ussiel; 15. qui, con-
gatis suis consanguineis, ipsi lustrati ingressi sunt,
ı regis et ex munere eis a Jova demandato, tem-
m ad illud purgandum. 16. Sacerdotes quidem
riores aedis divinae partes ingressi sunt, atque in-
egesserunt omnes sordes in atrium, quas excepe-
t Levitae et ad torrentem Kidronem exportarunt.
Primo primi mensis die inceperunt templum pur-
:, et octavo die illius mensis pervenerunt ad ejus
ibulum, in quo perpurgando etiam octo dies con-
ıserunt, ita ut omnem laborem decimo sexto die
ni mensis absolverent. 18. Quibus confectis His-
n regem adierunt, eique indicarunt, se totam Jo-
aedem purgasse, aram holocaustorum cum ejus
ısilibus, item mensam, in qua panes struerentur,
ı ejus vasis, 19. et omnino omnia vasa, quae rex
ısus pro impietate sua abstulisset, restituisse et con-
asse, adesse omnia ad aram Jovae. 20. Tum rex
kias, congregatis omnibus urbis proceribus, adiit
plum Jovae. 21. Adducti sunt juvenci, arietes,
i et hoedi septeni, sacrificia piacularia pro regno,
:tuario et Juda, jussitque *rex* Aaronis posteros sa-
lotes ea super Jovae altari immolare. 22. Macta-
t igitur sacerdotes juvencos, et excepto sanguine
n consperserunt; quod idem etiam factum est cum
:tibus et agnis. 23. Deinde adduxerunt hoedos pi-
lares ad regem et *universum* coetum, qui manus
imposuerunt, 24. quo facto sacerdotes eos macta-
runt,

runt, et sanguine eorum ad aram effuso expiarunt totum Israëlem. Jusserat enim rex, sacrificium piaculare hoc esse debere pro toto Israële. — 25. Tum constituit Levitas in aede Jovae cum cymbalis, nablis et citharis ex instituto Davidis, Gadi vatis regis et Nathanis prophetae. Nam Jova hoc institutum per prophetas suos probaverat. 26. Adstantibus igitur Levitis cum instrumentis musicis Davidis, et sacerdotibus cum tubis, 27. jussit Hiskias solidum fieri sacrificium super altari. Quod simulac offerri coepit, coepit quoque canticum Jovae cum tubis et instrumentis musicis Davidis, regis Israëlis. 28. Universus autem coetus adorabat, dum carmen canebatur et tubae sonabant, donec absolutum esset sacrificium. 29. Quo peracto rex et omnes, qui aderant, flexis genubus *Deum* adorarunt. 30. Tum rex Hiskias et proceres jusserunt Levitas laudare Jovam carminibus a David et Asapho vate compositis. Quod cum illi laeti facerent, *omnes* capite inclinato adorarunt. 31. Porro Hiskias *sacerdotibus* dixit: Vos quidem Jovae sunt consecrati; jam vero accedite *vos quoque Israëlitae et* sacrificia offerte eucharistica ad aedem Jovae. Quod etiam factum est ab omnibus, et nonnulli quoque sponte holocausta adducebant. 32. Quorum numerus constabat septuaginta juvencis, centum arietibus, et ducentis agnis. Omnia ad holocausta Jovae destinata. 33. Consecratorum autem erant juvenci sexcenti et tria millia ovium. 34. Cum vero sacerdotum paucores essent, quam ut possent omnia holocausta deglubere, adjuverunt eos Levitae, eorum consanguinei, do-

donec caerimonia esset peracta, et *plures* essent sacerdotes consecrati; nam omnino Levitae promtiores fuerant ad se consecrandum, quam sacerdotes. 35. Verum et holocaustorum magna copia fuit praeter adipem victimarum pro salute et libamina ad illa necessaria. Hac igitur ratione cultus in aede Jovae restitutus est. 36. Et laetati sunt Hiskias et omnis coetus, quod Deus effecisset, ut populus tam promtus et obsequiosus esset; res enim derepente est confecta.

CAPUT XXX.

Hiskias pascha celebrandum indicit 1—4., ad quod Israëlitas quoque litteris missis invitat 5—9. E quibus etiam nonnulli veniunt 10—12. Judaeorum autem ingens multitudo Hierosolymam confluit, et pascha non quidem omnes satis purificati, tamen omnis sinceris et magna cum laetitia peragunt 13—27.

1. Deinde misit Hiskias ad omnes Israëlitas et Judaeos; litteras quoque scripsit ad Ephraimitas et Manassitas, ut in aede Jovae Hierosolymae convenirent ad pascha Jovae, Dei Israëlitarum, celebrandum. 2. Decreverunt autem rex et proceres ejus et universa civitas Hierosolymitana, pascha agere mense secundo. 3. Nam fieri hoc non poterat mense constituto, quoniam sacerdotes numero satis magno nondum erant lustrati, neque populus Hierosolymam convenierat. 4. Placuit igitur regi et universo coetui, 5. edicere per omnes Israëlitarum fines, a Bersaba usque ad Danem,

a) Hebr. בְּעֶת הַחֹדֶשׁ, scilicet mense primo ejusque die decimo quinto. Sed eo tempore demum sanctificatio templi absoluta erat, cap. 29, 17.

nem, ut pascha celebraretur Jovae, Israëlitarum Deo, Hierosolymae, quod ex praescripto ab omnibus jam dudum factum non fuerat. 6. Igitur profecti sunt satellites cum litteris a rege et principibus ad omnes Israëlitas et Judaeos mandatum regium promulgaturi, quod his verbis erat conceptum: Revertimini, Israëlitae, ad Jovam, Deum Abrahami, Isaaci et Israëli, ut ille revertatur ad vos, qui regum Assyriae manibus evasistis. 7. Ne similes sitis majoribus aut consanguineis vestris, qui in Jovam, Deum patrium, adeo deliquerunt, ut eos *hostibus* vastandos traderet, quod ipsi nostis. 8. Jam igitur vos nolite, uti majores vestri, cervicem obfirmare, submittite vos Jovae, b) venite ad sanctuarium ejus, quod in perpetuum sacrum esse voluit, colite Jovam, Deum vestrum, tunc ira ejus a vobis abscedet. 9. Nam si ad eum redieritis, popularibus et liberis vestris misericordiam conciliabit eorum, a quibus captivi tenentur, ut in hanc terram possint redire; nam benignus et misericors est Jova, Deus vester, non vos aversabitur, si poenitentiam egeritis. — 10. Satellites igitur *regii* peragrarunt singula oppida Manassitarum et Ephraimitarum usque ad Sebulonitas, quorum vero plerique eos deridebant et illudebant. 11. Attamen nonnulli ex Asseritis, Manassitis et Sebulonitis se submiserunt et venerunt Hierosolymam. 12. Sed Judaeorum divino impulsu una mens fuit ad regis et principum voluntatem ex Jovae praescripto exsequendam. 13. Nam congregata est Hierosolymae ingens hominum copia ad festum azymorum

b) Hebr. *date manus Jovae.*

rum celebrandum menſe ſecundo. 14. Tum omnia ibi altaria, [c]) ea quoque, quae ſuffitui offerendo deſtinata erant, ſunt ſublata et in torrentem Kidronem abjecta. 15. Et mactatum eſt paſcha quarto decimo die menſis ſecundi. Tunc puduit ſacerdotes et Levitas [d]), atque luſtrati adduxerunt holocauſta ad aedem Jovae, 16. et ſuo munere functi ſunt ex lege a Moſe, viro divino, praeſcripta. Sacerdotes *nempe* ſpargebant *ad altare* ſanguinem a Levitis acceptum. 17. Fuerunt autem in eo coetu multi, qui non erant luſtrati, igitur Levitae adhibiti ſunt mactandis agnis paſchalibus in gratiam eorum, qui erant immundi, ut eos Jovae conſecrarent. 18. Nam perquam multi ex Ephraimitis, Manaſſitis, Iſaſcharitis et Sebulonitis immundi erant, atque paſcha non ex praeſcripto comedebant. Pro quibus Hiskias precatus eſt his verbis: Jova, qui bonus eſt, propitius erit [e]) 19. omnibus, qui mentes ſuas applicuerint ad colendum Jovam, Deum patrium, ſi vel non ſatis mundi eſſent ex legibus ſacris. 20. Atque annuit quoque Jova votis Hiskiae, et populo fuit propitius. 21. Sic Iſraëlitae, qui Hieroſolymae convenerant, feſtum azymorum egerunt per ſeptem dies magna cum laetitia, quibus quotidie Jovam laudabant Levitae et ſacerdotes,

c) Sc. idolorum ab Aliaſo paſſim per urbem exſtructa, cap. 28, 24.

d) Sc. inertiae ſuae in ſe conſecrando, cap. 29, 34.

e) Verſus h. l. male ſunt diſtincti. בְּעַד conſtruendum eſt cum ſequenti כָּל, quod novum verſum incipit, cujus initium eſſe debebat cum voce יהוה in verſu 18.

tes, adhibitis inſtrumentis muſicis in honorem [f]) ejus. 22. Hiskias autem verbis humanis hortatus eſt Levitas, rerum divinarum peritos, ut perſeverarent [g]) ſeptem illos dies feſti ſacrificantes ſacrificia euchariſtica et laudantes Jovam, Deum majorum ſuorum. 23. Deinde ſtatuit univerſus coetus, ſeptem alios dies celebrare, quod etiam magna cum laetitia fecerunt. 24. Nam rex Hiskias donaverat coetui mille juvencorum et ſeptem millia ovium. Principes vero ei obtulerunt totidem juvencos et decem millia ovium. Multi enim ſacerdotes ſeſe luſtraverant. 25. Sic laetatus eſt univerſus coetus, cum Judaeorum, tum ſacerdotum et Levitarum, tum eorum, qui ex Iſraëlitis venerunt, peregrini quoque, qui partim ex terra Iſraëlitica aderant, partim in Judaea degebant; 26. fuitque Hi-

ero-

---

f) Hebr. בִּכְלֵי עֹז לַיהוָה. Chaldaeus interpres bene vocabulum עֹז explicavit: בִּזְנֵי תוּשְׁבַּחְתָּא *inſtrumentis laudis.* Nam ... ſaepe quoque *laudis* et gloriae ſignificationem habet et ... ... *Οἱ ὁ* omittunt עֹז; transferunt enim h. l.: *ἐν ἀργάνοις τῷ Κυρίῳ.* Vulgatus: *per organa, quae ſuo officio congruebant.* Parum accurate. Syrus *παραφράζει.*

g) Fateor, mihi ſuſpectam videri lectionem vulgarem *τοῦ* ... אֶת־הַמּוֹעֵד, quae vulgo explicatur: *ut comederent hoſtias feſti.* Nam quamquam concedo, מוֹעֵד ſic dici poſſe, uti ... Pſ. 118, 27., tamen res ipſa mihi videtur ita comparata, ... Hiskias non opus haberet, ſacerdotes et Levitas hortari, qui intereſſent epulis ſacrificalibus. Sed ut in labore ſane mole... per tot dies perſeverarent, ad hoc ut eos excitaret, fortuſſe magis fuerit neceſſarium. Propterea ſecutus ſum lectionem quam *οἱ ὁ* produnt verſione ſua: *συνετέλεσαν τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζύμων*, legentes haud dubie וַיְכַלּוּ *et perfecerunt.* Sed Syrus et Vulgatus receptam lectionem exhibent. In paraphraſi Chaldaica haec non leguntur.

erosolymae tanta laetitia, quanta a temporibus Salomonis, filii Davidis, regis Israëlis, ibi non fuerat. 27. Tandem sacerdotes et Levitae bene precati sunt populo. Quae eorum pia vota quoque exaudita sunt, precesque eorum in coelum, sanctum Dei domicilium, pervenerunt.

CAPUT XXXI.

Israëlitae reduces in oppida sua ipsi omnem cultum idololatricum abolent. Hiskias classes sacerdotum et Levitarum constituit, quorum sustentationi prospicit.

1. Peractis his omnibus profecti sunt omnes Israëlitae, qui aderant, ad oppida Judaeae, et confregerunt statuas, succiderunt lucos, destruxerunt loca excelsa et aras funditus ex tota Judaeorum, Benjaminitarum, Ephraimitarum et Manassitarum regione, atque deinde ad sua oppida reverterunt. — 2. Hiskias autem constituit classes sacerdotum et Levitarum pro ratione muneris cujusque ad holocausta et sacrificia eucharistica et ad officium sacrae musicae in templo. 3. Deinde destinavit certas portiones ex suis facultatibus ad holocausta matutina et vespertina, sabbatorum, novilunorum et dierum festivorum, prouti in lege Mosis praescriptum erat. 4. Jussit quoque populum et incolas Hierosolymitanos dare portiones *statutas* sacerdotibus et Levitis, atque hac ratione facere, quod lex divina vellet. 5. Qua re promulgata primitias frumenti, musti, olei, mellis omnisque proventus ex agris decimasque decimas magna copia contulerunt. 6. Israëlitae quoque et Judaei oppida Judaica incolentes de-

ci-

cimas boum et ovium, ut et rerum Jovae consecratarum congesserunt, et per acervos disposuerunt. 7. Mense tertio coeperunt illos acervos construere, et mense septimo absolverunt. 8. Quos cum viderent Hiskias et principes, gratias egerunt Deo ejusque populo Israëli, 9. atque Hiskiae de his acervis sacerdotes et Levitas interroganti 10. respondit Asarja, sacerdos summus: Ex quo coeperunt conferre oblationes ad templum Jovae, abunde habuimus, quae comederemus, multumque superfuit; nam Jova fortunavit suum populum, hinc est illa copia redundans. 11. Tunc jussit Hiskias cellas parari in aede Jovae, 12. in quas oblationes illas, decimas et consecrata fideliter inferrent. Quibus praepositi sunt Chonanja Levita, et Simei, ejus frater et vicarius; 13. porro Jehiel, Asasja, Nahath, Asaël, Jerimoth, Josabad, Eliel, Jismachja, Mahath, Benaja praefecti erant constituti a Chonanja et Simei, ejus fratre, jussu regis Hiskiae; Asarja autem fuit princeps in aede Jovae. 14. Kora, filius Jimnae, Levita, janitor orientalis, nariis sponte Deo oblatis praepositus, *curabat de* butionem oblationum et rerum consecratarum. 15. manum ei erant Eden, Minjamin, Jesu, Semaja, Amarja, Sechanja in oppidis sacerdotum, qui bona fide inter consanguineos suos, parvos aeque ac magnos, *portiones statutas* distribuebant, 16. nimirum maribus, qui recensiti erant, postquam tertium aetatis annum excesserant, tum omnibus, qui ad aedem Jovae veniebant ad munus suum quotidianum pro tione ministerii et classium, quibus adscripti er

obeundum. 17. Recenſio autem illa ſacerdotum et Levitarum fiebat ſecundum familias patrias ab anno aetatis vicesimo, quando ad claſſes miniſterii ſui referebantur. 18. Nam recenſebantur etiam eorum parvuli et mulieres, filii et filiae totius multitudinis, quibus res conſecratae fideliter distribuebantur. 19. Etiam poſteris Aaronis, ſacerdotibus, qui in agris ſuburbanis oppidorum ſuorum commorabantur, viri quidam nominatim deſignati in ſingulis oppidis distribuebant portiones ſtatutas omnibus maribus inter ſacerdotes, et omnibus, qui inter Levitas erant recenſiti. 20. Sic fecit Hiskias per univerſam Judaeam, virtutis, probitatis et fidei in Jovam Deum ſtudioſus. 21. Quidquid ad uſum templi ſuscepit, in lege et inſtitutis, hoc ſtudio Dei animo ſincero fecit, unde etiam felicem expertus eſt ſucceſſum.

CAPUT XXXII.

Sanheribus, rex Aſſyriae, bellum infert Hiskiae et Hieroſolymam obſidet, contra quem Hiskias defenſionem parat, ſuoque fide in Deum confirmat 1—8., neque litteris Sanheribi arrogantibus et in Deum blasphemis ad deditionem impellitur, ſed auxilium Dei implorat, quod etiam conſequitur 9—23. Ex morbo lethali vitae reſtitutus prodit ſuperbiam, cui Deus poenam minatur, quam tamen propter ejus poenitentiam differt. Magnos honores et divitias conſecutus tandem moritur, et Manaſſen filium habet ſucceſſorem 24—33.

1. His rebus fideliter *ab Hiskia* perfectis Sanheribus, rex Aſſyriae, bellum intulit [a]) Judaeae, caſtris-

a) Hiſtoria hujus belli legitur quoque 2 Reg. 18. 19. 20.

ſtrisque contra oppida munita poſitis ea vi capere ſperavit. 2. Quod cum Hiskias videret, et facile animadverteret, Sanheribum Hieroſolymam quoque eſſe aggreſſurum, 3. conſilium cepit cum ducibus ſuis et militibus, obſtruere aquarum fontes, qui extra urbem erant. Illis igitur adjuvantibus 4. multisque aliis obſtructi ſunt fontes et fluvius, qui [b]) per mediam terram manabat, ne, ſi reges Aſſyriae veniſſent, tantum aquae invenirent. 5. Deinde animo confirmatus murum dirutum refecit, eumque usque ad turres perduxit, extrorſum etiam alium murum excitavit; Millonem, *hoc eſt*, urbem Davidis, munivit, magnam telorum et clypeorum copiam paravit, 6. copiis belli duces praefecit, eosque in forum ad ſe vocatos humane allocutus eſt his verbis: 7. Eſtote fortes et conſtantes, nolite timere aut expaveſcere propter regem Aſſyriae, aut propter tantam illam, quae cum eo eſt, multitudinem. Major enim nobiscum eſt, quam cum illo. 8. Cum illo ſunt homines imbecilles, [c]) nobiscum eſt Jova, Deus noſter, qui nos adjuvat, qui bellum noſtrum gerit. Quibus Hiskiae dictis populus eſt confiſus. 9. Poſthaec miſit Sanheribus, rex Aſſyriae, qui tum Lachiſae cum principibus ſuis erat, Hieroſolymam ad Hiskiam, regem Judae, et ad omnes Judaeos Hieroſolymitanos, quosdam de ſuis, qui eis 10. ſuo nomine dicerent: Qua tandem re freti vos intra munitiones Hieroſolymae continetis? 11. At Hiskias eſt, qui vos incitat, ut fame et ſiti pereatis, dum

b) Torrens Kidron.

c) Hebr. *brachium carnis.*

dum dicit: Jova, Deus noſter, nos a rege Aſſyriae defendet. 12. Annon hic eſt ille Hiskias, qui loca ejus excelſa et aras ſustulit, juſſitque Judaeos et Hieroſolymitanos ad unam tantum aram adorare et ſuffitum offerre? 13. An ignoratis, quid fecerim ego et majores mei tot nationibus? Num potuerunt Dii iſtarum gentium defendere ſuas regiones a potentia mea? 14. Quismam gentium iſtarum, quas majores mei perdiderunt, Deus potuit populum ſuum e manu mea liberare? Num Deus veſter hoc poterit praeſtare? 15. Jam igitur ne vobis imponat Hiskias! ne vos incitet! ne fidem ei habeatis! Non potuit ullus ullius gentis aut regni Deus populum ſuum contra meam aut majorum meorum potentiam defendere, multo minus Deus veſter vos e manu mea eripiet. — 16. Plura alia proferebant *iſti a Sanheribo miſſi* contra Jovam Deum et contra Hiskiam, ejus cultorem. 17. Litteras quoque ſcripſit, in quibus conviciatus eſt Jovae, Deo Iſraëlitarum. Hunc in modum de eo locutus: Quemadmodum Dii gentium iſtarum non potuerunt ſuos contra me defendere: ſic nec Deus Hiskiae id poterit efficere. 18. Simul magna voce Judaice clamarunt ad Hieroſolymitanos, qui in muro erant, ut terrorem eis injicerent et urbem caperent. 19. Non aliter loquebantur de Deo Hieroſolymae, ac de Diis aliarum gentium manibus humanis factis. — 20. Cum vero hac de re Hiskias rex et Jeſaias, Amoſi filius, propheta precarentur, et ad Deum clamarent: 21. miſit Jova angelum, qui interfecit militum fortiſſimos, praefectos et duces in caſtris regis Aſſyriae, ut pudore confuſus in

terram suam rediret. Ibi in templo Dei sui ab ipsis filiis suis [d]) gladio est interfectus. 22. Sic servavit Jova Hiskiam et Hierosolymae incolas a Sanheribo, rege Assyriae, et ab omnibus hostibus, quos undique arcebat. 23. Hinc multi donaria afferebant Jovae Hierosolymitano, et dona pretiosa Hiskiae, regi Judae, qui magnam posthaec inter omnes gentes auctoritatem est consecutus. — 24. Eodem illo anno [e]) morbo lethali correptus est Hiskias, *propter quem* ad Jovam precatus est, qui quoque ei promissionem et prodigium dedit. 25. Sed non dignam eo gratiam retulit, nam animo superbiit; propterea ira *Dei* in eum nec non in Judaeam et Hierosolymam exarsit. 26. Attamen cum se propter illum animi fastum Hiskias et cives Hierosolymitani submississent, non venit in eos poena a Jova irrogata illo vivente. 27. Abundavit autem Hiskias divitiis et gloria, et thesauros sibi acquisivit argenti, auri, lapidum pretiosorum, aromatum, clypeorum, omnisque generis pretiosi supellectilis. 28. Item promtuaria *sibi construxit* pro proventu frumenti, mosti, olei, et stabula pro omnis generis pecore gregibusque, quos in stabulis aluit. 29. Oppida exstruxit, pecoris et armenti ingentem copiam habuit; dederat enim ei Deus facultates quam maximas. 30. Idem ille Hiskias obstruxit fontem Gihonis superiorem, eumque derivavit deorsum ab occidente urbis Davidis. In omnibus operibus suis optimum successum habuit. 31. Attamen occasione legationis illius, quam principes

d) Hebr. *ab iis, qui ex visceribus ejus egressi erant.*
e) Cf. Jes. 38, 1.

s Babylonis ad eum miserant, ut de ostento, quod *ejus* terra evenerat, interrogarent, eum Deus deuit, ut eum exploraret, omnemque ejus animum rspiceret. 32. Reliquae res gestae Hiskiae et pietas is, una cum oraculo f) Jesaiae, Amosi filii, prooetae *illa occasione edito*, narrantur in annalibus rem Judae et Israëlis. 33. Cum diem suum obiisset, elierunt eum in sepulcro insigniori posterorum Dalis magnumque ei in funere Judaei et cives Hieroymitani honorem exhibuerunt. Successorem habuit regno Manassen filium suum.

CA-

f) Sic verto בְּחָזוֹן, atque intelligo oraculum illud, quo Jesaias Hiskiae futuram captivitatem Babylonicam praedixit 2 Reg. 20, 16. seqq. Jes. 39. Plerique quidem interpretes construunt בחזון cum sequenti על, cui copulam Vau praemittunt, in hunc sensum, ut collectio vaticiniorum Jesaiae laudetur, in qua ut in annalibus regum Judae et Israëlis historia regis Hiskiae legatur. Sed primo על in textu sine copula legitur. Deinde כתב construitur in hac formula loci laudandi semper sequenti על, e. g. 2 Chron. 24, 27. 25, 26. 27, 7. 28, 26. etc. Igitur verba עַל סֵפֶר referenda sunt ad חִזְּקוּם כְּתוּבִים. Interpretes quidem antiqui fere omnes, nimirum ὁ, Vulgatus, Arabs, Chaldaeus, vertunt, tamquam si copulam Vau ante על legerint, sed, uti videtur, tantum propterea, quoniam illud cum בחזון jungebant. Syrus vero non exprimit Vau, sed receptam lectionem ad litteram exhibet. Debeo hanc h. l. explicationem S. R. *Koppio*, qui eam obiter dedit ad *Lowthi* Jesaiam p. II. p. 5.

CAPUT XXXIII.

Manaſſes turpiſſimae idololatriae ſe committit; punitur a Deo captivitate, in quam ab Aſſyriis abducitur 1—11. Ibi cum reſipuiſſet, in regnum redit et cultum Jovae reſtituere conatur 12—17. Poſt mortem Amon filius ut olim pater idololatra, nec tamen uti ille poenitens, occiditur a ſuis. Cui Joſias filius ſuccedit 18—25.

1. Annos natus erat duodecim Manaſſes, cum regnum capeſſeret, quod quinque et quinquaginta annos Hieroſolymae tenuit. 2. Jovam offendit eadem turpiſſima ſcelera committendo, quae gentes, quas Jova ante Iſraëlitas ejecerat, commiſerant. 3. Reſtauravit loca excelſa ab Hiskia, patre ſuo, everſa erexit aras Baalibus, fecit lucos, adoravit aſtra coeli eisque cultum religioſum exhibuit. 4. Aedificavit aras in templo Jovae, [a]) qui unus tamen Hieroſolymis coli volebat. 5. Omnibus aſtris coeleſtibus aras extruxit in duobus templi atriis. 6. Idem filios ſuos *Molocho* igne combuſſit in valle Benhinnom; divinationibus, auguriis et praeſtigiis uſus eſt; necromantas et fatidicos inſtituit, et plura alia ſcelera commiſit, quibus iram Jovae provocabat. 7. Sculptum ſimulacrum, [b]) quod fecerat, poſuit in templo Dei, de quo hic Davidi ejusque filio Salomoni hoc promiſſum dederat, ſe hanc aedem atque Hieroſolymam, quam ex omnibus Iſraëliticis tribubus elegiſſet, in perpetuum cultui ſuo deſtinaſſe, 8. neque amplius effecturum eſſe, ut Iſraëlitae terram eorum majoribus a ſe aſſignatam relinquere cogerentur, ſi modo diligenter ob

a) Sc. aliis Diis.

b) 2 Reg. 21, 7. vocatur Aſchera.

ſervarent, quae eis praecepiſſet, omnem nempe le-
n, inſtituta et jura per Moſen tradita. 9. Sic Ma-
ſſes ſeduxit Judaeos et incolas Hieroſolymae, ut
pius ſe gererent, quam gentes, quas Jova propter
aëlitas perdiderat. 10. Neque admoniti per Jovae
phetas auſcultarunt. 11. Igitur adduxit contra eos
a duces exercitus regis Aſſyriae, qui Manaſſen vi-
n [c]) ceperunt atque duabus catenis aeneis vinctum
luxerunt Babylonem. 12. In his anguſtiis precatus
ad Jovam Deum, atque coram illo majorum ſu-
m numine ſeſe valde humiliavit. 13. Cum vero ei
plicaret, ille exoratus admiſit ejus preces, et re-
cit eum Hieroſolymam in regnum ſuum. Tunc in-
exit Manaſſes, Jovam eſſe Deum. 14. Poſtea aedi-
vit murum exteriorem urbis Davidis, ab occidente
ionis in valle usque ad portam piſcium; duxit eum
um Ophelam eumque fecit altiſſimum; item per
nia oppida Judaeae munita duces militiae conſtituit.
Tum porro ſustulit omnes Deos peregrinos et ſimu-
um iſtud [d]), *quod fecerat*, ex aede Jovae, atque
nes aras, quas in monte templi et Hieroſolymae
ruxit, easque foris extra urbem abjecit. 16. Quo
fa-

) In textu legitur בַּחוֹחִים. Sed vulgares vocabuli חוֹחַ ſignificationes *hami*, *ſpinae aculeatae*, parum aptae ſunt contextui. Illud igitur interpretes tropice h. l. dictum volunt pro *dolo*, quo quaſi *hamo* captus ſit Manaſſes. Vulgatus interpres omiſit. *Οἱ ὁ* verterunt: *ἐν δεσμοῖς*, ex nexu tantum, uti videtur. Syrus vero vertit: ܒܚܝܐ. Is igitur legit חַיִּים *vita*. Quam facillimam et contextui aptiſſimam lectionem eſſe, nemo forte neget.

1) Vert. 7.

facto restauravit [e]) aram Jovae atque in ea sacrificia pro salute et eucharistica obtulit, atque jussit, ut Judaei Jovam, Deum Israëlitarum, colerent. 17. Attamen populus in locis excelsis sacrificavit, tantum tamen Jovae, Deo suo. 18. De reliquis Manassis rebus, precibus ejus ad Deum, et prophetarum oraculis ad eum nomine Jovae, Dei Israëlitarum, editis memoriae proditum est in annalibus regum Israëliticorum. 19. Preces et quomodo *Deus* [f]) ei fit exoratus, peccata ejus omnia et commissa scelera, loca excelsa, quae exstruxit, lucos item et simulacra, quae statuit, antequam sese submitteret, haec omnia descripta sunt in historia Hosaei. 20. Post mortem sepultus est in aedibus suis. Successit ei in regno Amon filius, 21. annos natus duo et viginti. Sed per biennium tantum Hierosolymae regnavit. 22. Jovam offendit, sicut Manasses, pater ejus, fecerat, omnibus sculptis simulacris ab illo factis immolavit cultumque religiosum exhibuit. 23. Neque se ad exemplum Manassis, patris sui, Deo submisit, sed potius adhuc gravius peccavit. 24. Conjurarunt contra eum ejus domestici et domi suae interfecerunt; quos plebs vicissim occidit regemque constituit Josiam, ejus filium.

CA-

e) Lectionem textualem, quae est plerarumque editionum, [illegible] legisse videntur οἱ ὁ, quia vertunt: καὶ κατώρθωσε. Sed Syrus, Chaldaeus et Vulgatus marginalem וַיָּכֵן legerunt. Illi habent: *et aedificavit*; hic: *porro instauravit*. Illam *Kennicottus* in 15 codd. invenit.

f) Vers. 18.

CAPUT XXXIV.

Josias, rex pius, idololatriam Hierosolymae et per omnem terram Judae et Israëlis tollere studet cultumque veri Dei restituere 1—7. Aedem Dei instaurat. Qua occasione liber legis invenitur et regi allatus legitur 8—19. Rex argumento libri perterritus Huldam prophetissam consulit 20—28. Populum congregatum solenni foedere ad Jovam colendum convincit 29—33.

1. Josias annum aetatis suae agebat octavum, um regnare inciperet, unum autem et triginta anos regnavit Hierosolymae. 2. Probe se gessit erga ovam, vitamque suam ad exemplum Davidis, proenitoris sui, composuit, nullam in partem ab eo eflectens. 3. Anno octavo regni sui, cum adhuc uer esset, coepit se dare Deo Davidis, genitoris sui, tque anno duodecimo initium fecit purgandi Judaeam t Hierosolymam ab locis excelsis, lucis, sculptis et usis simulacris. 4. Eo praesente destructa sunt Balum altaria et statuae solares, quae supra eis erant. uccidit [a]) lucos sculptasque imagines; fusas autem regit et comminuit et super eorum sepulcra, qui eis acrificarant, sparsit. 5. Ossa sacerdotum combussit uper altaribus et *sic* purgavit Judaeam et Hierosolynam. 6. In oppidis Manassitarum, Ephraimitarum, imeonitarum usque ad Naphtalitas evertit ubique orum sacella, [b]) 7. destruxit altaria, lucos et sculptas

a) Verbum גִּדֵּעַ jungendum videtur sequenti הָאֲשֵׁרִים, de quorum destructione alias quoque dicitur, e. c. 2 Chron. 14, 2. Deut. 7, 5., neque potest commode ad praecedentia referri. LXX interpretes quidem legisse videntur וְגִדֵּעַ הָאֲשֵׁרִים, dum vertunt: *καὶ ἔκοψε τὰ ἄλση*.

b) Voces textuales בְּחֵרֶב לְחֵיהֶם lectio marginalis tamquam unam vocem legere jubet, quam etiam plerique interpretes sequuntur

tur atque vertunt: *in solitudinibus eorum*, in qu
pauci illi Israëlitae vixerint, abductis plerisque in c
Sed parum apte, uti arbitror. Nam si Israëlitae o
tarunt, quomodo in solitudinibus habitasse dici p
antiquioribus interpretibus *οἱ ὁ* et Syrus videntur
legisse בְּבָתֵּיהֶם, illi enim vertunt: *ἐν τοῖς τόπ*
hic ܒܒܝܬܗܘܢ *in plateis s. vicis eorum*
tus, quia verba non intelligebat, scripsit: *cunc*
tit. Sed neque haec lectio mihi placet, quonian
quo Josias idololatriam sustulit, in initio versus ja
est, *in oppidis*; quid igitur opus erat, addere הם
Cappellus (in critica s. lib. III. cap. V. sect. IV.
conjecturam attulit ad defendendam lectionem tex
arum vocum, ipse tamen lectionem marginalem def
tera est, ut pro בחר per metathesin litterarum le
quae emendatio sensum daret planissimum: הם
subvertit domos eorum, nempe idololatrarum, v
tum idolorum. Altera est, ut בחר explicetur per
ex significatione Arab. بخر *adolere*, *incensu*
quae aptissimum quoque sensum faceret: *incendit e*
mos. Hanc *Cappelli* conjecturam *Hubigantius* en
putat, legendum esse pro בחר, בער litteris guttura
mutatis. Quae conjectura absurda non videtur, quo
bum illud בער *auferre*, *e medio tollere* saepe in

cum ad Hilkiam, pontificem maximum, veniſſent, ei tradiderunt pecuniam templo Dei illatam, quam collegerant Levitae, liminis cuſtodes, a Manaſſitis, Ephraimitis reliquisque Iſraëlitis, Judaeis, Benjaminitis et incolis Hieroſolymitanis. c) 10. *Illi* eam dederunt operis curatoribus templo Jovae praefectis, qui *porro* eam impenderunt ad reſarciendum et reficiendum templum, 11. ſolventes eam fabris et ſtructoribus, ut compararent lapides caeſos et ligna ad commiſſuras et contignationes domorum a regibus Judae deſtructarum. 12. Homines autem opus faciebant fideliter. Praefecti eis erant Jahathus et Obadja Levitae ex Merariis, Sacharja et Meſullam ex Kehathitis ad opus urgendum, et Levitae omnes inſtrumentorum muſicorum periti, 13. qui etiam bajulis praeerant curamque agebant totius operis in diverſis ejus partibus. Ex Levitis quoque ſcribae, apparitores et janitores. — 14. Cum vero pecuniam illam templo Jovae illatam depromerent, invenit Hilkias ſacerdos ſummus, librum legis divinae manu Moſis ſcriptum. d) 15. Narrat hoc Sapha-

c) Sic verto ex lectione textuali וַיָּשִׁבוּ, quam verſiones antiquae omnes exhibent. Sed marginalis eſt וַיָּשׁוּבוּ *et redierunt* Hieroſolymam, ſcilicet Levitae, quos volunt pecuniam collegiſſe itinere inſtituto ad Manaſſitas, Ephraimitas etc. Cui itineri tamen adverſantur verba: *pecunia* וְהַמֻּבָא בֵית־אֱלֹהִים *illata templo Dei*, et verſus 17. *Kennicottus* hanc lectionem in ſex codd. invenit.

d) Equidem aſſentior illis interpretibus, qui verba: בְּיַד מֹשֶׁה, de ipſo Moſis autographo intelligunt atque ſupplent כְּתוּבָה ellipſi minime dura. Etenim parum probabile videtur, legis Moſaicae exemplaria adeo rara fuiſſe, ſi quoque ſtudium ejus

phani, scribae, eique tradit librum illum. 16. Saphanum defert ad regem, et postquam ei renunciarit, [illegible] esse omnia, quae suis hominibus mandasset, 17. [illegible] omnium in templo inventam numeratam esse et [illegible] tam praefectis et operis curatoribus, 18. addit [illegible] que, librum sibi datum esse ab Hilkia, sacerdote, [illegible] que legere ex eo apud regem incipit. 19. Rex, [illegible] audiret verba legis, vestem scindit, 20. jubetque, [illegible] Hilkiae; Ahikamus, Saphanis filius; Abdon, filius [illegible] ahae; Saphan, scriba; Asaja, regis minister, 21. [illegible] Jovam consultum pro ipso et pro reliquis Israelitarum et Judaeorum propter argumentum hujus libri reg[illegible] gravem enim Jovae iram sibi imminere, quod maj[illegible] res sui neglexerint observare, quae in hoc libro [illegible] scripta. 22. Hilkias igitur reliquique, quos rex [illegible] fecerat, adeunt Huldam prophetissam, Sallumi, [illegible] Tokhathi, nepotis Hasrae, custodis vestium, conjugem in altera parte Hierosolymae habitantem, eique rem exponunt. 23. Quibus illa nomine Jovae, [illegible] Israelitarum, sic respondit: Dicite ei, qui vos [illegible]

per regum complurium impietatem et ipsius populi [illegible] nam neglectum fuerit. Attamen non arbitror, [illegible] adeo territum fuisse comminationibus illis Mosis, [illegible] Deut. 28. leguntur, quae universe tantum [illegible] entiae praedicunt, et felicitatem obedientiae; [illegible] ores fuisse comminationes videntur Jesaiae aut [illegible] phetarum divinorum, quarum complementum [illegible] Josias poterat vereri. Illae conjunctae [illegible] a potiori sua parte *liber legis Mosaicae* vocatur. [illegible] gnus est audaciori illa crisi, quam *Vogelius* (in [illegible] Josiae antiquitt. praemissa) protulit, nempe verba illa [illegible] ex nota marginali textui esse illata, contra auctoritatem [illegible] um codd. et versionum antiquarum.

misit: 24. Sic fatur Jova: Scito, me malum adducere contra hunc locum ejusque incolas, *nempe* omnes istas diras scriptas in libro, quem coram rege Judae legerunt, 25. propterea quod me relicto suffitum fecerunt Diis peregrinis, meque factis suis irritarunt. Igitur effusa est ira mea in hunc locum, nec retinebitur. 26. Regi autem Judae, qui vos ad Jovam consulendum misit, sic dicite: Sic fatur Jova, Deus Israelitarum: 27. Quoniam tu animo emollito te mihi submisisti, cum audires minas meas contra hunc locum ejusque incolas, mihique submissus scissa veste coram me flevisti, ego quoque te exaudivi, inquit Jova. 28. Scito igitur, me ad majores tuos te esse collecturum et in sepulcrum tuum cum pace illaturum. Nihil videbis malorum istorum omnium, quae ego contra hunc locum ejusque incolas sum adducturus. Illi igitur cum haec ad regem retulissent, 29. rex curavit congregandos omnes seniores Judaeae et Hierosolymae, 30. atque cum illis ut et sacerdotibus et levitis, et omnino cum omnibus tam magnis quam parvis, se contulit ad templum, ibique eis audientibus praelegit omnia verba libri foederis in templo inventi reperti, 31. et in loco suo stans foedus pepigit coram Jova, se hunc tantum secuturum esse atque omnia ejus praecepta, leges et instituta toto corde et animo servaturum, atque hac ratione omnes illius foederis conditiones in hoc libro scriptas impleturum. Similiter etiam omnes Hierosolymitanos et Benjaminitas huic foederi cum Deo majorum suorum adjunxit, ut illud observarent. 33. Sustulit quoque Josias

ſias omnes idololatriae abominationes ex terra Iſraëlitarum, atque operam dedit, ut Jovam, Deum ſuum, colerent, a quo etiam, quamdiu ille vixit, non defecerunt.

CAPUT XXXV.

Joſias paſcha ſolemne celebrat 1—19. Cum rege Aegypti tum congreditur et in proelio vulneratus moritur Hieroſolymae, a omnibus, inprimis etiam ab Jeremia propheta, deploratus 20—27.

1. Joſias quoque paſcha Jovae celebravit Hieroſolymae, quod factum eſt decimo quarto primi menſis. 2. Sacerdotibus munera ſua aſſignavit, eosque ad miniſterium in templo Jovae peragendum hortatus eſt. 3. Tum juſſit, ut Levitae, qui Iſraëlitas erudiebant et Jovae erant conſecrati, arcam ſacram deponerent in conclavi, quod ei Salomo, Davidis filius, rex Iſraëlis, conſtruxiſſet, neque eam amplius humeris portarent; miniſtrarent modo Jovae, Deo ſuo, ejusque populo Iſraëli. 4. Parati eſſent ſecundum familias patriarchas et claſſes ſuas deſcriptas a Davide, rege Iſraëlis, ejusque filio Salomone. 5. Sic adeſſent in ſanctuario ſecundum diviſiones familiarum patriarum loco popularium ſuorum [a]) et ſecundum familias ſuas distributas. 6. Mactarent paſcha, et purificati illud pararent popularibus ſuis, ut agere illud poſſent ex voluntate Jovae per Moſen tradita. 7. Ipſe Joſias ex facultatibus ſuis regiis donavit populo pecus, agnos et hoedos

a) H. e. Iſraëlitarum laicorum; quorum vices ſustinebant Levitae Num. 3, 12.

ad paſchales victimas, et quidem omnibus, qui aderant, quorum fuerunt triginta millia, et praeterea tria millia boum. 8. Principes quoque regis ſua ſponte in gratiam populi, ſacerdotum et Levitarum, victimas paſchales dederunt. Hilkias quidem, Secharja et Jehiel, praefecti templi, duo millia et ſexcentas oves et trecentos boves. 9. Chonanja vero, Semaja et Nethanel, fratres ejus, Haſabja, Jeïel, Joſabad, Levitarum principes, dederunt Levitis hoſtiarum paſchalium quinque millia et ſexcentos boves. 10. Sic, uti erant omnia ordinata, ſteterunt ſacerdotes in ſtationibus ſuis et Levitae in claſſes distributi, uti rex praeceperat, 11. et mactarunt hoſtias paſchales, ita quidem, ut ſacerdotes ſanguinem ſpargerent, Levitae vero *pecudes* excoriarent. 12. Deinde ſepararunt *partes* victimarum, ut eas darent populo in patrias familias distributo, et Jovae offerrent, prouti in libro Moſis praeſcriptum eſt. Idem etiam fecerunt cum bubus. 13. Aſſarunt autem *agnum* paſchalem, uti ritus poſtulabat, carnes autem conſecratas coxerunt in ollis, lebetibus et ahenis, atque fine mora in populo distribuerunt. 14. Deinde pararunt ſibi et ſacerdotibus, Aaronis poſteris, *agnum paſchalem*. Hi enim in adolendis holocauſtis et adipe usque ad noctem occupati erant. 15. *Interea* cantores, Aſaphi poſteri, ſuis in locis ſtabant ex praeſcripto Davidis, Aſaphi, Hemanis et Jeduthuthis, vatum [b]) regiorum, et janitores aderant in portis,

b) Loco חוֹזֵה הַמֶּלֶךְ legendum eſt in plurali חוֹזֵי, nam non ſolum Jeduthun, ſed etiam Aſaph et Heman prophetae regis Davi-

tis, nec opus illis erat, a miniſterio ſuo discedere, quoniam eorum conſanguinei Levitae pro eis *coenam paſchalem* paraverant. 16. Sic omnis ille cultus Jovae in paſchate celebrando et offerendis holocauſſis ſuper ara eo die inſtructus fuit ex praeſcripto regis Joſiae. 17. Et celebrarunt Iſraëlitae, qui aderant eo tempore, paſcha et feſtum azymorum per ſeptem dies. 18. Cujusmodi paſcha ab Iſraëlitis peractum non eſt inde a temporibus Samuelis prophetae. Nec ullus regum Iſraëliticorum egit tale paſcha, quale Joſias, ſacerdotes, Levitae omnesque Judaei et Iſraëlitae praeſentes et cives Hieroſolymitani egerunt. 19. Quod factum eſt anno duodeviceſimo regni Joſiae. — 20. Poſtquam Joſias hac ratione templum reſtauraverat, expeditionem fecit Necho, rex Aegypti, ut oppugnaret Circeſium ad Euphratem. Cui cum obviam procederet Joſias, 21. ille miſit ad eum legatos, qui ei dicerent: Quid mihi tecum eſt, rex Judaeae? Jam quidem non contra te venio, c) ſed contra gentem mihi perduellem; et Deus me feſtinare juſſit. Deſine Deo adverſari, qui mecum eſt, ne te perdat. 22. Sed non receſſit ab eo Joſias, verum cum illo dimicandi cupidus non attendit ad illa Nechonis dicta divinitus prolata, et in valle Megiddone proelium commiſit

vidis dicuntur; cf. cap. 29, 30. 1 Chron. 25, 1. 5. Sic quoque interpretes antiqui omnes praeter Chald.; ſed unus tantum codex 80. *Kennicotti.*

c) Pro אַתָּה legendum eſt אֹתָה. Sic quoque verſiones antiquae omnes exhibent: *venio.* Etiam Chaldaica paraphraſis ſynonymum habet סְלֵיקַת *aſcendi.* Nam profecto ille vocativus e ex lectione recepta perquam ineptus eſt.

23. In quo ab hostium telis impetitus jussit suis, ut eum seducerent, quod graviter esset vulneratus. 24. Illi igitur eum e curru sublatum et in alium currum translatum Hierosolymam abduxerunt; ibi mortuus est et sepultus apud majores suos. Omnes autem Judaei et Hierosolymitani eum luxerunt. 25. Jeremias quoque carmen lugubre contexuit in Josiam, omnesque cantores et cantatrices naenias in eum composuerunt, quarum usus etiammum ex instituto quodam inter Israëlitas obtinet. Leguntur in collectione threnorum. 26. De reliquis Josiae rebus, ejusque pietate prorsus ad legem divinam exacta, 27. et de aliis ejus factis cum primis tum ultimis memoriae proditum est in historia regum Israëlis et Judae.

CAPUT XXXVI.

Joahasus, Josiae filius, a populo rex creatus, a Nechone removetur, et substituitur Jojakimus 1—5. Quo a Nebucadnezare Babylonem abducto Jojachinus, ejus filius, substituitur; eandem tamen sortem, quam pater, habet, et in ejus locum surrogatur Zedekias 6—12., qui contra Nebucadnezarem rebellis Hierosolymae obsidetur, capitur, et urbe eversa populus in captivitatem abducitur, e qua a Cyro dimittitur 13—23.

1. Populus Joahasum, Josiae filium, regem creavit in locum patris ejus Hierosolymae. 2. Annum agebat tertium et vicesimum, cum regno admoveretur, cui vero tantum tres menses praefuit. 3. Nam rex Aegypti eum a regno Hierosolymitano [a]) removit, mulctam-

a) Sic explicanda sunt verba textus, non, ut Vulgatus vertit: *cum venisset*, sc. rex Aegypti, *in Jerusalem*, coll. 2 Reg. 23, 33.,

ctamque terrae impoſuit centum talentorum argenti et unius talenti auri. 4. Tum regem conſtituit Judae et Hieroſolymae ejus fratrem Eljakimum, mutato ejus nomine in Jojakimum, Joahaſum autem, ejus fratrem, captivum abduxit in Aegyptum. 5. Ille vero anno aetatis quinto et viceſimo regnum eſt adeptus, quod undecim annos Hieroſolymae tenuit, et Jovam Deum offendit. 6. Contra eum expeditionem fecit Nebucadnezar, rex Babylonis, vinctumque duabus catenis aeneis Babylonem abduxit. 7. Simul partem ſupellectilis e templo Jovae abstulit et in palatio ſuo Babylone repoſuit. 8. De reliquis Jojakimi rebus, ejusque flagitiis et moribus, quibus praeditus fuerit, narratur in hiſtoria regum Iſraëlis et Judae. Succeſſit ei in regno filius Jojachin, 9. anno aetatis duodeviceſimo.[b] Sed tres menſes tantum et decem dies regnavit Hieroſolymae, atque improbe ſe geſſit erga Jovam. 10. Anno vertente miſit rex Nebucadnezar, qui eum Babylonem abducerent cum elegantiori templi ſupellectile, et ſubſtituit Zedekiam, ejus fratrem, regem Judae et Hieroſolymae. 11. Regnum adeptus eſt anno aetatis primo et

---

quam lectionem *Clericus* defendit. Syrus omiſit בירושלים, ſed excidit haud dubie מִמְלֹךְ, quod *οἱ ὁ* et Chaldaeus ſupplent. Illi habent: *τοῦ μὴ βασιλεύειν αὐτὸν ἐν Ἱερουσαλήμ*, hic מִלְמִמְלֹךְ *ne regnaret Hieroſolymae*. Sic quoque legitur in loco parall. cit.

b) Non *octavo*, uti eſt in lectione vulgari. Excidit עֶשְׂרֵה, quod legitur 2 Reg. 24, 8. Omiſſum quoque eſt in cod. Vat. ſed Alex. habet, ut et Syrus et Arabs, nec non cod. 300. et 525. *Kennicotti*. Vulgatus et Chaldaeus receptam lectionem exhibent.

et vicesimo, et regnavit undecim annos. 12. Jovam offendit, neque morem gessit Jeremiae prophetae eum jussu Dei admonenti. 13. Rebellavit quoque contra regem Nebucadnezarem, qui eum jurejurando sibi devinxerat, atque obstinata cervice animoque pertinaci ad Jovam, Deum Israëlitarum, redire noluit. 14. Item etiam sacerdotum et populi principes multis modis peccarunt, omnia gentilium flagitia committentes polluerunt templum Jovae, quod Hierosolymae sibi consecraverat, 15. et quando ille eorum majorum Deus Jova subinde eos per legatos suos admonebat, quia parcere populo et domicilio suo cupiebat, 16. deridebant legatos Dei, ejus dicta contemnebant, immo illudebant ejus prophetis, donec tandem ira Jovae in populum suum adeo ingravesceret, ut nullum supereffet remedium. 17. Immisit igitur in eos regem Chaldaeorum, qui milites eorum lectissimos in ipso sanctuario ferro trucidavit, neque pepercit juvenibus, virginibus, senibus et decrepitis, omnes ei tradidit. 18. Item omnia vasa templi majora et minora, ejusque thesauros, ut et thesauros regis et principum, paucis, omnia abduxit *rex Chaldaeorum* Babylonem. 19. Templum ipsum combussum est, muri Hierosolymae destructi, ejusque palatia incensa, et quae pretii alicujus essent, corrupta. 20. Qui gladio evaserant, Babylonem abducti sunt *a rege Chaldaeorum*, cui et filiis ejus fuerunt tributarii, usque dum oriretur regnum Persarum, 21. ut impleretur id, quod Jova per Jeremiam minatus fuerat, terram debere frui suis sabbatis, et, quamdiu vastata esset, feriari, hoc est, usque dum

ſeptuaginta eſſent anni completi. 22. Anno autem
mo Cyri, regis Perſarum, ut impleretur id, quod J
per Jeremiam praedixerat, Cyrus ille, auctore J
edictum promulgavit per totum regnum ſuum hujus
gumenti: 23. Sic dicit Cyrus, rex Perſarum: Om
orbis terrarum regna mihi dedit Jova Deus, c
conditor. Is mihi mandavit, ei exſtruere aedem Hie
ſolymae in Judaea. Quis eſt inter vos ex populo ej
Favente [c]) Jova, Deo ſuo, proficiſcatur. [d])

---

c) Pro יהוה legendum videtur יהי. Sic eſt Eſrae 1, 3, ubi e
dem verba repetuntur. *Οἱ ὁ* quidem non legerunt יהוה
et vertunt ſimpliciter: *ἔσται ὁ Θεὸς αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ*, i
Vulgatus, Syrus et Chaldaeus utrumque videntur legiſſe יהי
יהוה. Hanc lectionem exhibet cod. 92., illam vero cod. 94.
Kennicotti.

d) Tres verſus extremi hujus libri initium quoque faciunt ejus, q
ſequitur, Eſrae. Cujus repetitionis Cel. *Eichhorn* (in intro
duct. in Vet. Teſt. p. II. p. 652.) hanc eſſe cauſam exiſtim
Eſram, auctorem librorum Chronicorum, ſuam hiſtoriam hi
primo addere voluiſſe, deinde mutato conſilio ei peculiare
brum deſtinaſſe; ſed ne membranam delendo ea, quae ſcripta
deformaret, in nova eadem repetiiſſe. Fateor, mihi paul
longius quaeſitam hanc rationem videri. Equidem arbitror, ha
h. l. addita eſſe ad probanda ea, quae verſ. 21. dicta ſunt, v
ſtationem Hieroſolymae durare debuiſſe usque ad annum ſeptua
geſimum. Cum vero Eſra hiſtoriam reditus ex exilio
ingrederetur, unde, quaeſo, initium rectius facere poterat et de
bebat, quam ab illo edicto, quod Judaeis libertatem
debat? Ceterum in eo prorſus aſſentior Viro Cel., Eſram
ctorem eſſe horum librorum, quod l. l. perquam probabi
demonſtravit.

ESRA

E S R A.

CAPUT I.

Cyrus Judaeis libertatem redeundi in patriam ad templum Jovae Hierosolymae restaurandum concedit, et vasa sacra restituit.

1. Anno primo Cyri, regis Persarum, ut evenirent ea, quae Jova per Jeremiam praedixerat, rex ille divinitus excitatus in toto regno edictum promulgavit his verbis conceptum: 2. Sic dicit Cyrus, rex Persarum: Omnia terrarum orbis regna dedit mihi Jova Deus, coeli conditor. Is mihi mandavit, ei exstruere templum Hierosolymae in Judaea. 3. Quis est inter vos ex populo ejus? Favente Deo suo proficiscatur Hierosolymam in Judaea, et exstruat aedem Jovae, Dei Israëlitarum, qui Hierosolymae *colebatur*. 4. Atque superstites Judaeos omnium locorum, in quibus peregrinentur, adjuvent homines eorundem locorum argento, auro, facultatibus et jumentis, praeter munera voluntaria ad templum Dei. — 5. Tunc Judaicarum et Benjaminiticarum familiarum principes, sacerdotes item et Levitae, et omnes omnino, quorum mentes Deus excitaverat, sese ad iter illud suscipiendum pararunt, ut templum Jovae Hierosolymae instau-

ſtaurarent. 6. In quo conſilio adjuti ſunt a vicinis ſuis ſupellectile argentea, aurea, aliisque facultatibus et rebus pretioſis et jumentis, praeter ea, quae ſponte *ad templum* ſunt donata. 7. Rex vero Cyrus depromi juſſit vaſa templi Jovae, quae Nebucadnezar Hieroſolymis ablata in templo Dei ſui depoſuerat, 8. per Mithridatem, aerarii praefectum, qui ea Sesbazari, Judaeorum principi, numeravit, 9. quorum numerus hic erat: pelves aureae triginta, argenteorum mille, cultri undetriginta, 10. crateres tecti aurei triginta, argentei minoris pretii decem et quadringenti, aliorum vaſorum mille. 11. Omnium vaſorum aureorum et argenteorum fuerunt quinque millia et quadringenta. a) Quae omnia Sesbazar et qui ex captivitate Babylonica migrabant, Hieroſolymam deportarunt.

CA-

a) At numeri praecedentes, ſi in ſummam ſubducuntur, conficiunt tantum 2499. Igitur ad errorem hunc excuſandum finxerunt receptae lectionis defenſores, praecipua tantum et elegantiora vaſa in antecedentibus eſſe enumerata, omiſſis reliquis minoris pretii, quae tamen nihilo ſecius in ſubductione totius ſummae eſſent indicata. Sed quoniam ſcriptor ſacer de eo lectores ſuos non admonuit, recte haec ab aliis negantur. Verum enimvero non eſt, quod timeamus, in hoc quoque libro, uti in aliis, ſcribarum errores admittere. Diſſentiunt tamen critici, num error ſit in ſumma ſubducta, an in numeris minoribus, ex quibus ille conficitur. *Hubigantius* quidem priorem ſententiam defendit quoniam verſiones antiquae, *οἱ ὁ*, Syrus et Arabs in numero cum textu Hebraeo conſentiunt, atque error in una ſumma ſolius oriri potuit ex numeris per litteras aut ſigna indicatis, aut in pluribus. Ill. *Michaeli* probabilior videtur catalogus horum vaſorum, qui exhibetur in libro apocrypho Eſrae cap. 2, [illegible], qui longe major eſt et reſpondet fere ſummae h. l. poſitae, eſt nempe 5469. Sed quis in hujus generis quaeſtionibus aliquid definire audeat?

CAPUT II.

Recenſio eorum, qui cum Serubabele aliisque populi ducibus e captivitate Babylonica in patriam redierunt.

1. Hi ſunt provinciales, [a]) qui ex captivitate, in quam a rege Nebucadnezare Babylonem translati fuerant, disceſſerunt, atque Hieroſolymam et in Judaeam, quisque in oppida ſua redierunt. 2. Qui quidem profecti ſunt cum Serubabele, Joſua, Nehemia, Seraja, Reelja, Mordechaeo, Bilſane, Miſpare, Bigvaeo, Rehumo et Baana. Numerus igitur horum Iſraëlitarum fuit hic: [b]) 3. Poſteri Paroſi duo millia centum ſeptuaginta duo; 4. poſteri Sephatjae trecenti ſeptuaginta duo; 5. poſteri Arahi ſeptingenti ſeptuaginta quinque; 6. poſteri Pahathmoabi ex Joſua *et* Joabo nati duo millia octingenti duodecim; 7. poſteri Elami mille ducenti quinquaginta quatuor; 8. poſteri Sattui nongenti quadraginta quinque; 9. poſteri Sachaei ſeptingenti et ſexaginta; 10. poſteri Bani ſexcenti quadraginta duo; 11. poſteri Bebaei ſexcenti viginti tres; 12. poſteri Asgadi mille ducenti viginti duo; 13. poſteri Adonikami ſexcenti ſexaginta ſex; 14. poſteri Bigvaei duo millia quinquaginta ſex; 15. poſteri Adini quadringenti quinquaginta quatuor; 16. poAſteri teri ex Hiskia nonaginta octo; 17. poſteri Bezaei

a) Hebr. *filii provinciae.* Babylonia videtur maxime intelligenda.

b) Hic catalogus reducum legitur etiam Nehem. 7, 6—69. et in libro apocrypho Eſrae cap. 5, 8. ſeqq. In ſingulis discrepantiae et variationes quoad numeros et nomina reperiuntur, quod nemo mirabitur, qui, quam facilis in his deſcribendis error ſit, cogitet. Sed in his emendandis, reſtituendis, conciliandis plerumque ſruſtra laboratur.

zaei trecenti viginti tres; 18. posteri Jorae centum et duodecim; 19. posteri Hasumi ducenti viginti tres; 20. posteri Gibbarî nonaginta quinque; 21. Bethlehemitae centum viginti tres; 22. Netophathenses quinquaginta sex; 23. Anathothenses centum viginti octo; 24. Asmavethenses quadraginta duo; 25. Kiriatharimenses, Cephirenses et Beerothenses septingenti quadraginta tres; 26. Ramenses et Gabenses sexcenti viginti unus; 27. Michmasenses centum viginti duo; 28. Bethelenses et Ajenses ducenti viginti tres; 29. Neboënses quinquaginta duo; 30. Magbisenses centum quinquaginta sex; 31. alius cujusdam Elami c) posteri mille ducenti quinquaginta quatuor; 32. Harimi posteri trecenti et viginti; 33. Lodenses, Hadidenses et Onenses septingenti viginti quinque; 34. Hierichuntini trecenti quadraginta quinque; 35. Senaënses tria millia sexcenti triginta; — 36. sacerdotes, posteri Jedajae e familia Josuae, nongenti septuaginta tres: 37. posteri Immeri mille quinquaginta duo; 38. posteri Pashuri mille ducenti quadraginta septem; 39. posteri Harimi mille et septemdecim; — 40. Levitae, posteri Jesuae et Kadmielis e Hodavja orti, septuaginta quatuor; 41. cantores, posteri Asaphi, centum vi-

c) Sic a plerisque interpretibus explicantur verba Hebraea אֵילָם אַחֵר, quod nempe hic Elamus distinguatur adjecto אחר ab eo, qui versu 7. eodem nomine venit. Sed *oi ὁ* et Arabs utramque vocem pro nomine hujus viri habuerunt: *υἱοὶ Ἐλαμάρ*, quam sententiam *Hubigantius* defendit. *Michaeli* totus versus videtur interpolatus, atque per errorem septimus h. l. repetitus, quod etiam *Calmeto* placuit, observante *Hubigantio*, qui tamen hanc conjecturam improbat, quoniam hic versus a septimo nimis remotus est, quam ut huic errori occasio fuerit.

viginti et octo; 42. posteri janitorum, nempe Sallumi, Ateri, Talmonis, Akkubi, Hatitae, Sobaei, omnino centum triginta novem; 43. famuli sanctuarii, [d]) posteri Zihae, Hasupae, Tabbaothi, 44. Kerosi, Siahae, Padonis, 45. Lebanae, Hagabae, Akkubi, 46. Hagabi, Samlaei, Hananis, 47. Giddelis, Gaharis, Reajae, 48. Rezinis, Nekodae, Gassami, 49. Ussae, Paseahi, Besaei, 50. Asnae, Meunimi, Nephusimi, 51. Bakbuki, Hakuphae, Harsis, 52. Bazluthi, Mehidae, Harsae, 53. Barkosi, Sisrae, Tamahi, 54. Nesiae, Hatiphae; 55. posteri servorum Salomonis, posteri Sotaei, Sopherethi, Perudae, 56. Jaalae, Darkonis, Giddelis, 57. Sephatjae, Hattilis, Pocherethi, Zebajimi, Ami. 58. Omnes omnino famuli sanctuarii et posteri servorum Salomonis fuerunt trecenti nonaginta duo. 59. Qui e Telmelacha, Harsa, Cherubo, Addane, Immere migraverunt, non potuerunt indicare familiam suam patriam et stirpem, num ex Israëlitis essent. 60. Posteri Delajae, Tobiae, Nekodae sexcenti quinquaginta duo. 61. Ex sacerdotibus, posteri Habajjae, Kozi et Barsillaei, qui duxerat uxorem ex filiabus Barsillaei Gileaditae, ab ea denominatus, 62. hi quaesiverunt catalogum genealogiae suae, sed non repe-

d) In textu vocantur נְתִינִים, quod nomen recte, uti arbitror, *Michaelis* explicavit. Non sunt, uti plerique statuunt, posteri Gibeonitarum isterum, quos Josua cap. 9, 23. 24. in perpetuum servitio in sanctuario praestando addixerat. Nam cap. 8. 20. narratur, eos a Davide et principibus traditos esse Levitis. Sed videtur a Davide, Salomone (nam vers. 55. vocantur servi Salomonis) et tribuum principibus subinde pars in bellis captivorum sanctuario donata esse et perpetuo servitio addicta.

pererunt, propterea *e numero* ſacerdotum ſunt dimiſſi, 63. atque praetor eis interdixit veſci ſacroſanctis, donec ſacerdos per divinum oraculum quaeſtionem decideret. [e]) 64. Totius omnino multitudinis ſumma erat quadraginta duo millia trecenti ſexaginta, [f]) 65. praeter eorum ſervos et ancillas, quorum erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, et praeterea cantores et cantatrices ducenti. 66. Equos habebant ſeptingentos triginta ſex, mulos ducentos quadraginta quinque, 67. camelos quadringentos triginta quinque, aſinorum ſex millia ſeptingentos viginti. 68. Ex familiarum principibus *nonnulli*, cum veniſſent ad templum Jovae Hieroſolymae, ſponte contulerunt ad illud reſtaurandum. 69. Pro viribus dederunt ad operis impenſas auri Daricorum unum et ſexaginta millia, argenti minarum quinque millia et tunicas ſacerdotales centum. 70. Conſederunt autem ſacerdotes, Levitae, de plebe homines, cantores, janitores, famuli ſanctuarii et omnino omnes Iſraëlitae in ſuis oppidis.

CA-

e) Hebr. *donec ſtaret ſacerdos cum Urim et Tummim.* Nimirum ſperabat Serubabel, qui, uti plerique exiſtimant, ſub illo praetore eſt intelligendus, Deum hanc oraculi ſpeciem eſt reſtituturum, quod vero nunquam factum eſt.

f) Haec ſumma longe major eſt, quam quae ex numeris minoribus datis prodit, quippe qui tantum 29818 efficiunt. Igitur ſimilis eſt hic error ei, qui ad cap. 1. 11. notatus eſt ex numeris omiſſis et falſo deſcriptis ortus.

cundo opus aggreſſi ſunt Serubabel, filius Sealtielis, Joſua, filius Jozadaki, reliquique eorum cognati, i[illegible] ſacerdotes et Levitae, omnesque, qui ex captivitate Hieroſolymam redierant, atque Levitas, qui annum aetatis viceſimum exceſſerant, adhibuerunt operi [illegible]gendo. 9. Etiam Joſua cum filiis ſuis et cognatis conjunctim cum Cadmiele ejusque filiis Judaeis, neque minus Henadad hujusque filii et cognati Levitae, inſtabant eis, qui in aede Dei exſtruenda laborabant. 10. Cum vero ejus fundamenta jacerent aedificantes, aderant ſacerdotes tubis inſtructi et Levitae, Aſaphi poſteri, tintinnabulis ad laudandum Jovam ex inſtitutis Davidis, regis Iſraëlitici, 11. et ſic alternis choris laudabant et praedicabant Jovam, quod bonus ſit aeternaque in Iſraëlitas benignitate. Populus autem univerſus ingenti clamore ſublato Jovam laudabant propter jacta templi fundamenta. 12. Sed multi ſacerdotum et Levitarum et familiarum principes ſenes, qui prius templum viderant, cum hujus templi fundamenta ſpectarent, acerbe plorarunt, alii vero prae laetitia magna voce clamarunt, 13. ita ut homines laetum illum clamorem non poſſent discernere a voce plorantium, nam populus ingentem clamorem edebat, ut ſonitus e longinquo audiretur.

CAPUT IV.

Samaritani communem operam Judaeis in templo restaurando offerunt 1. 2., ab his vero non admissi calumniis suis apud Persarum reges opus impediunt usque ad annum secundum Darii Hystaspis 3—24.

1. Cum Judaeorum et Benjaminitarum adversarii dirent, *eos* reduces templum Jovae, Israëlitarum ei, restaurare, 2. convenerunt Serubabelem et familiarum principes, eisque indicarunt: velle se una m illis aedificare; nam se eundem, quem ipsi, Deu. [a]) colere, eique [b]) sacrificasse inde a temporibus As-

---

a) Sic verti verba נדרוש לאלוהיכם ex usu phraseos saepissime obviae. Neque hoc monuissem, nisi viderem, *Michaelem* h. l. huic formulae aliam significationem tribuere; vertit enim: *nos aeque ac vos oraculum Dei vestri percontari volumus.* Equidem non ignoro, hanc formulam interdum etiam de percontatione oraculi divini dici. At enimvero haud scio, an Samaritani his verbis responsum illud divinum per Urim et Tummim intenderint, cujus fortasse ne notitiam quidem habuerint, a sacerdote ad eos misso in primis tantum theologiae Israëliticae principiis instituti, 2 Reg. 17, 26.

b) In textu Hebraeo est varia lectio a Masorethis observata. Cetib habet וְלֹא *et non nos sacrificamus*, sensu haud dubie falso et inepto, quasi Samaritani negarent, se Deo sacrificare. Atque ratio, qua *Michaelis* ei aliquam veri speciem conciliare studet, nimis quaesita mihi videtur. Nimirum putat, Samaritanos haec dixisse ex legibus religionis Israëliticae, quod templo destructo locum non habuissent, in quo rite potuissent sacrificare. — Igitur salva modestia critica lectionem marginalem textuali praeferre nullus dubito, quae praeterea testes habet antiquissimos τοὺς ὁ, Syrum, Arabem, librum quoque apocryphum Esrae cap. 5, 69. et codd. 6. *Kennicotti.* Vulgatus neutram lectionem exhibet; vertit enim: *ecce, nos immolavimus.* Igitur nescio, quos codices *Michaelis* innuat longe antiquiores, quam quos consulere possimus, qui modestum criticum impedire debeant, quo minus pro alterutra decidat.

Assarhaddonis, regis Assyriae, qui eos huc transtulerit. 3. Quibus Serubabel, Josua et reliqui familiarum Israëliticarum principes responderunt, non posse se eos socios habere in templo Dei exstruendo, se solos hoc agere, quemadmodum Cyrus, rex Persarum, ipse praecepisset. 4. Tum istarum regionum incolae effecerunt, ut Judaei in opere remitterent. Deterruerunt eos ab aedificando, 5. atque subornarunt contra eos consiliarios, qui omne eorum negotium irritum redderent, quamdiu Cyrus vivebat, usque ad regnum Darii, regis Persarum. 6. Initio regni Ahasveri c) accusarunt incolas Judaeae et Hierosolymae. 7. Item sub Artachschaschta d) scripserunt Bislamus, Mithridates, Tabeel reliquique ejus collegae ad illum Persarum regem epistolam litteris et sermone Syriaco conceptam. e) 8. *Nimirum* Rehumus, praetor, et Simsaeus, scri-

---

c) Cambyses.

d) Smerdis Magus.

e) Verba textus habent: כתוב ארמית ומתורגם ארמית, quae sensum darent parum aptum, si verterentur: *epistola scripta Syriace et translata Syriace.* Quomodo enim versio a textu differret! Igitur *Michaelis* existimat, additam esse epistolae Syriacae versionem Persicam; omittit enim alterum ארמית in versione sua, quod etiam *oi ó* et Arabs omittunt. At enim vero fateor, mihi neque hanc lectionem et explicationem placere, quoniam non multo minus absonum videtur, mittere ad aliquem epistolam lingua ei ignota scriptam cum versione addita. — Sed commode mihi hoc loco succurrit observatio *Tychsenii* (in tentamine de variis codd. Hebr. generibus p. 385.), verbum תרגם non semper de versione dici, sed etiam de scriptura simplici. Hinc ego כתוב de litteris intelligo in hac epistola adhibitis, מתרגם de lingua, qua scripta fuit. Ita fic alterum redundat. Fateor. Sed quem offendent pleonasmi in lingua Chaldaica et Syriaca?

ſcriba, ſcripſerunt epiſtolam contra Hieroſolymitanos ad Artachſchaſchtam regem in hunc modum: 9. Haec mittunt f) Rehumus, praetor, Simſaeus, ſcriba, et reliqui eorum collegae, Dinaei, Apharſathchaei, Tarpelaei, Apharſaei, Archevaei, Babylonii, Suſenſes, Dehavaei, Elamaei, 10. et reliquae nationes, quas transtulit magnus ille et celebris Osnappar atque urbem Samariam habitandam aſſignavit, et reliqui cis Euphratem degentes. g) Cetera. 11. Hoc eſt exemplar epiſtolae, quod miſerunt ad regem Artachſchaſchtam: Servi tui cis Euphratem habitantes ſalutem plurimam dicunt. 12. Scito, rex, Judaeos, qui a te ad nos venerunt, Hieroſolymam urbem rebellem et peſſimam inſtaurare, et muros jactis fundamentis reficere. 13. Jam vero ſcito, rex, ſi haec urbs inſtaurata fuerit, et muri reparati, tributum, vectigal et portoria eos non eſſe ſoluturos, hinc reditus regii damnum patientur. 14. Quam ob rem nos, qui ſalario regio fruimur, et quod regi noxium eſt, non amplius videre poſſumus, tibi, rex, hoc indicandum curavimus, 15. ut quaeratur in annalibus majorum tuorum. In quibus invenies et cognoſces, hanc urbem ſemper rebellem et noxiam fuiſſe regibus et provinciis, et propter continuas ejus ſeditiones eſſe deſtructam. 16. Significamus igitur regi, ſi haec urbs inſtaurata fuerit et muri ejus refecti, cis Euphratem te in poſterum nihil juris eſſe habiturum. — 17. Tunc reſcripſit rex Rehumo, prae-

f) Sic fere explicant *oi ó* et Arabs אֲדַיִן ex ſignificatione ſua vulgari *tunc* parum aptum.

g) Haec videtur fuiſſe inſcriptio epiſtolae exterior.

praetori, Simſaeo, ſcribae, reliquisque ejus collegis, qui Samariae habitabant, et omnibus cis Euphratem degentibus, praemiſſis formulis uſitatis: 18. Epiſtola, quam ad nos miſiſtis, mihi ex interpretatione praelecta eſt. 19. Juſſi igitur, ut evolverent *annales*, et invenerunt, hanc urbem inde ab antiquiſſimis temporibus regibus reſtitiſſe, et rebelliones et ſeditiones in ea ortas eſſe. 20. Reges porro potentes fuiſſe Hieroſolymae, imperantes toti regioni trans Euphratem, quibus tributa, vectigalia et portoria eſſent ſoluta. 21. Igitur edictum promulgate, ut deſiſtant iſti homines, et ne urbs iſta inſtauretur, donec a me fit decretum. 22. Cavete, ne quid committatis, ex quo damnum eveniat regibus. — 23. Simulac haec epiſtola Artaxſchaſchtae regis lecta fuit a Rehumo et Simſaeo, ſcriba, reliquisque eorum collegis, illi ſtatim profecti ſunt Hieroſolymam ad Judaeos et vi eos prohibuerunt. 24. Igitur ceſſavit opus aedis divinae Hieroſolymae *exſtruendae*, atque intermiſſum fuit usque ad annum ſecundum Darii, regis Perſarum.

CAPUT V.

Judaei hortantibus prophetis Haggaeo et Zacharia denuo templi aedificationem aggrediuntur. Interpellantibus Perſarum praefectis reſpondent, ſe ex edicto Cyri hoc facere. Illi igitur rem ad Darium regem referunt.

1. Tum vaticinati ſunt Haggaeus et Zacharia, Iddonis filius, prophetae, ad Judaeos in Judaea et Hieroſolymae, nomine Dei Iſraëlitarum. — 2. Quo facto

Se-

Serubabel, filius Sealtielis, et Josua, Zadoki filius, denuo aggressi sunt, templum Dei Hierosolymitani aedificare prophetis divinis eos adjuvantibus. 3. Tunc venerunt ad eos Tattenaeus, praefectus regionis cis Euphratem, et Setharbosenaeus, eorumque collegae, atque ex eis quaesiverunt, quinam eis potestatem fecisset, hanc aedem aedificandi et hunc murum restaurandi? 4. Porro de nominibus eorum interrogarunt, qui hanc aedificationem suscepissent. 5. Divina autem providentia effecit, ut Judaeorum seniores non impedirent, donec decretum Darii veniret, sed scripserunt hac de re epistolam. 6. Hoc autem est exemplar epistolae, quam miserunt Tattenaeus, praefectus regionis cis Euphratem, et Setharbosenaeus cum collegis suis Apharsecensibus ad Darium regem. 7. Ita nimirum in ea scriptum erat: Dario regi salutem plurimam. 8. Scito rex, nos profectos esse in Judaeam provinciam ad templum Dei magni, quod exstruitur lapidibus magnis, parietes lignis integuntur, opus urgetur et feliciter procedit. 9. Tum interrogavimus senatores: quinam eis concessionem dedisset hujus aedis exstruendae et muri reficiendi. 10. Quaesivimus etiam ex eis nomina principum eorum, ut tibi ea indicaremus. 11. Ad haec illi nobis sic responderunt: Nos colimus Deum, coeli et terrae *creatorem*, eique hanc aedem restauramus ante complures annos jam exstructam et perfectam a rege Israëlitarum magno. 12. Sed cum majores nostri hunc Deum irritarent, tradidit eos Nebucadnezari, regi Chaldaeorum Babylone, qui hanc aedem destruxit, et populum Babylonem transtulit.

13. Enimvero Cyrus anno primo regni ſui Babylone edictum publicavit, ut haec aedes divina reſtaurarentur, 14. atque etiam vaſa ejus aurea atque argentea, quae Nebucadnezar inde abstulerat et templo Babylonico immiſerat, Cyrus ille rex ex eo ſustulit tradiditque Sesbazari cuidam, quem praefectum fecerat, 15. eumque juſſit haec vaſa deferre ad templum Hieroſolymitanum in loco ſuo reſtaurandum. 16. Venit igitur ille Sesbazar Hieroſolymam, atque poſuit fundamenta hujus templi, quod inde ab illo tempore aedificatur, nondum eſt perfectum. 17. Quodſi igitur tibi, rex, ita videtur, quaeratur in tabulario regio Babylone, num fit a Cyro rege decretum, ut templum Hieroſolymitanum inſtauretur, nosque de voluntate tua hac in re facias certiores.

CAPUT VI.

Darius confirmat decretum Cyri, jubetque templi ſtructuram eo modo juvari 1—12. Igitur ea abſolvitur, templum dedicatur et paſcha celebratur 13—22.

1. Tunc Darius rex juſſit, ut quaererent in tabulario, in quo gazae recondebantur Babylone, 2. tandemque invenerunt Ecbatanae in arce provinciae Mediae volumen, in quo hoc erat memoriae proditum: 3. Cyrus rex anno primo regni ſui decrevit, ut templum Dei Hieroſolymae aedificaretur, in quo ſacrificia deberent immolari. Cujus fundamentum ſolide ſtrueretur; altitudo ejus et latitudo eſſet ſexaginta cubitorum, 4. tribus lapidum magnorum ordinibus et uno lignorum, ſumtus autem ex regia deberent ſup-

pe-

peditari. 5. Porro vasa templi aurea et argentea, quae Nebucadnezar ex illo templo Babylonem deportasset, restituerentur, et illi templo Hierosolymae iterum illata suis in locis reponerentur. [a]) — 6. Igitur tu, Tattenaee, praefecte regionis trans Euphratem, et Setharbosenaee, horumque collegae Apharsecenses cis Euphratem, discedite istinc. 7. Sinite, Judaeorum ducem et seniores aedem Dei restaurare. 8. Praeterea etiam volo, ut adjuvetis seniores Judaeorum in structura hujus aedis divinae, atque ex facultatibus regiis, nempe ex tributo regionis trans Euphratem, sine mora sumtus praebeatis his hominibus, ne opus intermittatur. 9. Porro quae necessaria sunt, tauri, arietes, agni ad sacrificia Deo coelesti *offerenda*, triticum, sal, vinum, oleum, prouti rogabunt sacerdotes Hierosolymitani, dentur eis in dies singulos sine haesitatione, 10. ut offerre possint sacrificia Deo et preces facere pro vita regis ejusque familiae. 11. Tandem jubeo, ut, si quis hac in re mutare aliquid audeat, tigno ex ipsius aedibus evulso et erecto affigatur, aedes ipsae autem fisco sacro addicantur. [b]) 12. Deus autem, qui ibi habitat, perdat omnem regem aut populum, qui manus suas

a) Hactenus decretum Cyri. Sequitur Darii confirmatio.

b) Sic verto verba: נְוָלוּ יִתְעֲבֵד, quae vulgo vertuntur: *sterquilinium fiat*. Sic quoque intellexerunt οἱ ὁ: καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ τὸ κατ' ἐμὲ ποιηθήσεται. Vulgatus: *domus ejus publicetur*, et Arabs: *publico addicatur*. Syrus tantum habet vulgarem illam explicationem: *domus ejus fimo destinetur*. Potest illa quoque ex lingua Arab. illustrari, in qua نَالَ significat *donavit, largitus est*. *Golius* p. 2486.

extenderit, ut contra hoc edictum aedem illam Dei destruat. Ego Darius volo, ut haec promte exsecutioni dentur. — 13. Tum Tattenaeus, praefectus regionis cis Euphratem, et Setharbosenaeus cum collegis suis diligenter fecerunt, quae rex Darius edixerat. 14. Seniores autem Judaeorum cum successu aedificabant vaticinantibus Haggaeo propheta et Zacharia, Iddonis filio, atque absolverunt quoque aedificium ex voluntate Dei et regum Persarum, Cyri, Darii et Artachschaschtae. 15. Absoluta *structura* hujus aedis die tertio mensis Adar, [c]) qui fuit annus sextus Darii regis, 16. celebrarunt Israëlitae, sacerdotes et Levitae reliquique ex captivitate reduces dedicationem templi Dei cum laetitia, 17. atque sacrificarunt *hac occasione* centum tauros, ducentos arietes, quadringentos agnos et duodecim hircos, ut sacrificium expiatorium pro numero tribuum Israëliticarum. 18. Deinde constituerunt sacerdotes et Levitas secundum classes suas et divisiones ad ministerium Dei Hierosolymis, quemadmodum in libro Mosis est praescriptum. 19. Tum reduces illi pascha celebrarunt quarto decimo mensis primi. 20. Nam sacerdotes et Levitae ad unum omnes mundi erant. Mactarunt igitur agnos paschales omnibus, qui redierant, cognatis suis sacerdotibus et sibi ipsis, 21. *quos* comederunt Israëlitae reduces, omnesque, qui ab impuritatibus gentilium secessionem fecerant, ut colerent Jovam, Deum Israëlitarum. 22. Quo facto laeti celebrarunt quoque festum azymorum per septem dies: Jova enim eos laetitia affecerat, dum regis

c) Martius.

gis Assyriae benevolentiam eis conciliaverat, ut eos adjuvaret in aede Dei Israëlitarum exstruenda.

CAPUT VII.

Esra ex decreto Xerxis Babylone Hierosolymam proficiscitur multis de populo eum comitantibus 1—10. Inseritur decretum illud regis pro Esra et auctoritate ei concessa 11—26., pro quo ille Deo gratias agit 27. 28.

1. Postea regnante Artachschaschta, [a]) rege Persarum, Esra, qui ad Aaronem pontificem genus referebat per Serajam, Asarjam, Hilkiam, 2. Sallumum, Zadokum, Ahitubum, 3. Amarjam, Asarjam, Merajothum, 4. Serahjam, Ussum, Bukkum, 5. Abisuam, Pinehasum et Eleasarem, 6. hic Esra, legis Mosaicae, quam Jova, Deus Israëlitarum, dederat, egregie peritus, profectus est Babylone; nam rex ei omnia, quae petierat, Jova, Deo suo, sic providente concesserat. 7. Profecti sunt cum eo nonnulli ex Israëlitis, sacerdotibus, Levitis, cantoribus, janitoribus et famulis sanctuarii. Quod factum est anno septimo Artachschaschtae regis. 8. Venit Hierosolymam mense quinto ejusdem anni. 9. Primo die mensis primi iter fuerat ingressus, et primo quinti mensis Dei providentia adjutus venit Hierosolymam. 10. Applicuerat enim Esra animum suum ad legem divinam tum discendam et observandam, tum ad docendam eam Israëlitas *secundum omnia* jura et instituta. — 11. Hoc est exemplar epistolae, quam dedit rex Artachschaschta Esrae sacerdoti et perito legis Jovae et jurium Israëli-

---

a) Qui est Xerxes.

ëlitarum: 12. Artachſchaſchta, rex regum, Eſrae ſacerdoti, legis Dei coeleſtis profeſſori conſummato. Et cetera. 13. A me decretum eſt, ut cuicunque de populo Iſraëlitico, ſacerdotibus et Levitis in regno meo libuerit, tecum Hieroſolymam proficiſci, proficiſcatur, 14. quandoquidem a rege et ſeptem ejus conſiliariis miſteris, ut inquiras in Judaea et Hieroſolymae de lege Dei tui, b) quam in promtu habes. 15. Atque ut eo deferas argentum et aurum, quod non ſolum rex ejusque conſiliarii largiuntur Deo Iſraëlitarum, cujus ſedes eſt Hieroſolymae, 16. ſed etiam quidquid auri et argenti nactus fueris in tota Babylonis provincia et quae populus et ſacerdotes ſponte conferunt ad aedem Dei ſui Hieroſolymae. 17. Emes igitur ſine mora hac pecunia tauros, arietes, agnos, ferta eorum et libamina offerenda ſuper ara aedis Dei veſtri Hieroſolymae. 18. Reliquo autem argento et auro, prouti tibi et fratribus tuis viſum fuerit utamini ex voluntate Dei veſtri. 19. Vaſa quoque, quae tibi ad uſum templi Dei tui traduntur, depones ibi Hieroſolymae. 20. Reliqua, quae tibi hanc in rem neceſſaria videbuntur, accipies ex aerario regio. 21. Ego enim rex Artachſchaſchta edico omnibus quaeſtoribus trans Euphratem, ut quidquid a vobis petierit Eſra ſacerdos, legis Dei coeleſtis peritus, ſine mora detur, 22. usque ad centum talenta argenti, centum coros tritici, totidem batos vini et olei, ſalis vero menſura non determinata. 23. Omnia, quae ex voluntate Dei coeleſtis in templo ſuo fieri debent, haud cun-

b) Scilicet, an ibi ſervetur.

cunctanter ſiant, ne iram *ejus* commoveamus in regnum regis aut regiam familiam. 24. Hoc quoque vobis ſignificamus, ne ulli ſacerdotum, Levitarum, cantorum, janitorum, famulorum aut miniſtrorum templi tributum, vectigal aut portorium imponere liceat. 25. Tu vero, Eſra, pro ſapientia Dei tui, quae in te eſt, conſtitue praeſides et judices, qui jus dicant univerſo populo trans Euphratem, peritos nempe legis divinae, imperitos vero docete. 26. Quicunque vero non fecerit ex lege Dei tui, aut ex lege regis, in eum ſtatim animadvertatur vel morte, vel exſilio, vel mulcta, vel vinculis. — 27. Laudetur Jova, Deus majorum noſtrorum, qui animum regis excitavit, ut ornaret templum ſuum Hieroſolymae, 28. et qui mihi conciliavit voluntatem regis et conſiliariorum ejus et ducum primariorum. Ego vero, omni ſtudio, auxilio Jovae, Dei mei, adjutus, congregavi Iſraëlitarum principes, ut mecum proficiſcerentur.

CAPUT VIII.

Recenſio eorum, qui cum Eſra Hieroſolymam profecti ſunt 1—14. Ipſius itineris deſcriptio 15—30. Adventus reducum Hieroſolymae 31—36.

1. Haec eſt recenſio principum familiarum, qui mecum regnante Artachſchaſchta Babylone emigrarunt. 2. Ex poſteris Pinehaſi Gerſom, ex poſteris Ithamaris Daniel, ex poſteris Davidis Hattus, 3. ex Sechanja [a]) — ex Paroſo Secharja et cum eo in ſua ſtirpe ma-

a) Excidit nomen. Neque in verſionibus antiquis legitur.

mares recenſiti centum et quinquaginta, 4. e
hathmoabo Eljehoënaeus, filius Serachjae, et cu
mares ducenti. 5. Ex Adine Ebed, filius Jona
et cum eo quinquaginta mares. 6. Ex Secha
— filius Jahaſielis, et cum eo mares trecenti.
Elamo Jeſaja, filius Athaljae, et cum eo ſeptu
mares. 8. Ex Sephatja Sebadja, filius Michaël
cum eo octoginta mares. 9. Ex Joabo Obadja,
Jehielis, et cum eo ducenti et duodeviginti
10. Ex [c]) — Selomitha, filius Joſiphjae, et cu
centum et ſexaginta mares. 11. Ex Bebaeo Sec
filius Bebaei, et cum eo duodetriginta mares.
Asgado Johanan, filius Hakkatanis, et cum e
tum et decem mares. 13. Ex Adonikamo poſteri
quorum haec ſunt nomina: Eliphelet, Jeïel
ja, et cum illis ſexaginta mares. 14. Ex
Uthaeus et Sabudus, et cum illis ſeptuagint
— 15. Hos ego congregavi ad flumen, qu
vam delabitur, caſtrisque ibi per triduum poſ
populum et ſacerdotes recognoviſſem, nullos
Levitas deprehendi. 16. Miſi igitur Elieſer

b) Excidit nomen proprium. Neque enim credibile e
men eſſe indicatum omiſſo nomine proprio. *Οἱ*
ἀπὸ υἱῶν Ζαδόης Σεχενίας υἱὸς Ἀτιήλ. Sic
Sed Syrus habet: *Ex poſteris Sechanjae Gadu*
ſoëlis. Vulgatus conſentit cum textu Hebr.: *E*
niae filius Ezechiel.

c) Iterum nomen excidit, quod *οἱ ὁ* ſic ſupplent
υἱῶν Βαανὶ Σαμμούθ. Item Arabs. Sed Syru
ſteris Salmut, Salmuth, filius Neſuphjae
filiis Selomith filius Jos/hiae.

d) Priores, qui migrarant, ſupra nominati ſunt

n, Semajam, Elnathanem, Jaribum, Elnathanem,
anem, Secharjam, Mesullamum, familiarum prin-
Jojaribum et Elnathanem, homines doctos,
isque mandata dedi ad Iddonem, principem in
Caspiae, atque ipsa verba eis suggessi, quibus
lerent Iddoni et cognatis ejus, sanctuarii famu-
pago Caspiae *degentibus*, ut nobis administros
i nostri adducerent. 18. Atque illi, pro fin-
i in nos favore, adduxerunt nobis virum
e) ex posteris Mahlis, ex Levi et Israële
Serebjam hujusque filios et cognatos duo-
19. Hasabjam et cum eo Jesaiam ex Me-
fratres et eorum filios viginti. 20. Ex
uarii, quos David et proceres ministerio
stinarant, ducentos et viginti, omnes no-
esignatos. — 21. Tunc ibi ad flumen
um indixi, ut nos Deo nostro submit-
eo iter faustum nobis, parvulis nostris
mus. 22. Puduerat enim me, petere
t equites, qui nos ab hostibus in iti-
quia regi dixeramus, Deum no-
nnibus. [illegible] ei confiderent, gravem
sentire. [illegible] eum contemnerent.

23.

[illegible]

noſtri oblata a rege, ejus conſiliariis, duc
omnibus Iſraëlitis, qui aderant, 26. a
centa et quinquaginta talenta, vaſa arger
ex talentis aeſtimata, auri centum talenta,
teres aureos viginti, mille Daricorum,
ſplendentis elegantia inſtar auri pretioſa duo
que dixi: Vos ſacri eſtis Jovae, ut et vaſa
et aurum ſponte oblata Jovae, Deo majo
rum. 29. Cuſtodite igitur omnia diligente
appendatis principibus ſacerdotum, Levit
miliarum Iſraëliticarum Hieroſolymae in
aedis Jovae *deponenda.* 30. Acceperunt i
dotes et Levitae aurum, argentum et vaſa
ſa, ut ea deferrent Hieroſolymam ad aede
ſtri. 31. Tum profecti ſumus a flumine
duodecimo primi menſis Hieroſolymam,
providentia Dei noſtri ab hoſtium inſidiis
defenſi 32. pervenimus. Triduum ibi
33. die quarto appendimus argentum, auru
in templo Dei noſtri Meremotho, filio Ur
doti, et, qui cum eo erat, Eleaſari, Pin
et praeterea Joſabado, filio Joſuae, et Noa

Binnuae, Levitis. 34. Omnia ex numero ſunt appenſa et pondus eodem tempore conſignatum. 35. Exſules autem ex captivitate reduces obtulerunt in ſacrificium Deo Iſraëlitarum juvencos duodecim pro omnibus Iſraëlitis, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, capros piaculares duodecim; quae omnia holocauſta fuerunt Jovae oblata. 36. Deinde tradiderunt edicta regis ſatrapis regiis et praefectis eis Euphratem, qui quoque populum et aedem Dei adjuverunt.

CAPUT IX.

Principes populi Eſrae indicant, populum, ſacerdotes et Levitas matrimonia contraxiſſe cum gentibus. Qua re Eſra valde commotus jejunat et delicti veniam a Deo precatur.

1. Quibus rebus perfectis convenerunt me principes, mihique indicarunt, Iſraëlitas, ſacerdotes et Levitas ſe non ſeparare ab harum regionum gentibus; eadem ſcelera eos committere, quae Cananitae, Hethitae, Pherefitae, Jebuſitae, Ammonitae, Moabitae, Aegyptii, Amoritae commiſiſſent; 2. nam horum filias ſibi filiisque ſuis ducere, et prolem, quae ſancta eſſe deberet, ex harum regionum gentibus ſuscipere, [a]) *quosdam* adeo principum et antiſtitum hujus delicti primarios auctores exſtitiſſe. 3. Quibus auditis laceravi tunicam meam et pallium, evulſi capillum et barbam, et ſedi moeſtus. 4. Convenerunt ad me omnes, qui legem Dei Iſraëlitarum propter hoc ex-

a) Hebr. *et miſcent ſemen ſanctum cum populis terrae.*

exſulum delictum metuebant. Ego vero moeſtus ſedi usque ad ſacrificium veſpertinum. 5. Tunc ex illo luctu meo ſurrexi, et ſciſſa tunica et pallio in genua provolutus expandi manus ad Jovam, Deum meum, 6. et dixi: Pudore ſuffuſus vix audeo, meum ad te, mi Deus, vultum attollere. Nam peccata noſtra nos fere opprimunt, et culpae noſtrae magnitudo ad coelum usque pertingit. 7. Inde a majorum noſtrorum temporibus culpam contraximus maximam usque in hunc diem; et propter peccata noſtra traditi ſumus nos, reges, ſacerdotes noſtri regibus iſtarum regionum, gladio, captivitati, direptioni, opprobriis. Quod conſtat inter omnes. 8. Nuper admodum contigit nobis miſericordia Jovae, Dei noſtri, qua nonnulli noſtrum relicti ſunt, nobisque ſedes firma data eſt *in loco ſancto*, qua lucem oculis noſtris iterum ſplendere fecit Deus noſter et vitae paullulum nobis reddidit in ſervitute noſtra. 9. Nam ſervi ſumus; ſed in ſervitute noſtra nos non deſtituit Deus noſter. Conciliavit nobis gratiam regum Perſarum, ut nos ſervarent, ut aedes Dei noſtri exſtruerent, ut rudera reficerent, nobisque circumſeptum locum darent in Judaea et Hieroſolymis. 10. Jam vero quid dicemus, o Deus noſter, poſt haec omnia? Praecepta tua deſeruimus, 11. quae per miniſtros tuos prophetas dediſti, his verbis: Terra, quam eſtis occupaturi, admodum contaminata eſt ab harum regionum gentibus, quae eam abominandis ſuis ſceleribus totam impleverunt. 12. Igitur filias veſtras earum filiis ne elocetis, nec earum filias filiis veſtris ducatis in matrimonium, nec ſaluti aut felicitati earum un-

unquam ſtudeatis, ut confirmati terrae bonis fruamini, eamque filiis veſtris ad perpetuam poſſeſſionem relinquatis. 13. Jam poſtquam iſta omnia nobis evenerunt propter maleſacta noſtra et delicta maxima, (nam tu, o Deus, cohibuiſti iram tuam, ne peccata noſtra aequaret, effeciſti, ut tamen nonnulli noſtrûm evaderent,) 14. num rurſus praecepta tua vulnerare, et affinitatem contrahere cum gentibus iſtis abominandis debebamus? Nonne merito nobis iraſceris, ita ut nos nemine relicto aut ſuperſtite perdas? 15. O Jova, Iſraëlitarum Deus, tu quidem benignus es; nam nos ſuperſtites eſſe atque evadere ſiviſti, quod plane apparet. En, nos culpam noſtram tibi fatemur, nec ulla ratione eam excuſare audemus.

CAPUT X.

Iſraëlitae promittunt Eſrae, mulieres alienigenas repudiare 1—11., cujus rei exſequendae curatores conſtituuntur 12—17. Catalogus eorum, qui hujus criminis rei fuerant 18—44.

1. Cum vero Eſra his precibus peccata confiteretur, et plorans ante templum Dei jaceret, confluxerunt ad eum Iſraëlitarum ingens coetus virorum, feminarum et liberorum, qui et ipſe vehementer plorare coepit. 2. Tunc Sechanja, Jehielis filius, ex poſteris Elami, dixit Eſrae: Utique nos deliquimus in Deum noſtrum, dum peregrinas mulieres ex harum regionum gentibus duximus. Attamen Iſraëlitis hac in re ſpes ſupereſt. 3. Ritu ſolenni nos Deo noſtro obſtringamus, ut mulieres et ex eis natos dimittamus

ex ſententia domini mei [a]) et eorum, qui ob legem Dei noſtri *violatam* trepidant; ſic enim legi ſatisfiet. 4. Surge, tuum eſt, rem perficere; te adjuvabimus, animo forti ſis. 5. Tunc Eſra ſurrexit et jurejurando obſtrinxit principes ſacerdotum, Levitarum et Iſraëlitarum, ut hoc fieret. Poſtquam juraverant, 6. e templo Dei diceſſit in conclave Johananis, Eljaſibi filii, ſed ibi a cibo et potu abstinuit, quoniam lugebat ob delictum exſulum. 7. Deinde edictum eſt per Judaeam et Hieroſolymae omnibus exſulibus, ut in urbe convenirent, 8. et quisquis intra triduum ex ſententia principum et ſeniorum non adeſſet, hujus opes devoveri, ipſum vero e coetu exſulum excluſum. 9. Tunc congregati ſunt omnes Judaei et Benjaminitae Hieroſolymam intra tres illos dies *deſignatos*, vicesimo menſis noni, atque convenerunt in area templi trementes, tum propter rem ipſam, tum propter pluviam. 10. Et Eſra ſacerdos hunc in modum eſt allocutus: Vos crimen commiſiſtis, qui peregrinas mulieres duxistis, quo facto culpam Iſraëlitarum auxiſtis. 11. Jam igitur exhibete Jovae, majorum veſtrorum Deo, hunc honorem, et obtemperate ejus voluntati, dum vos separatis ab harum regionum gentibus atque ab mulieribus peregrinis. 12. Ad haec univerſus coetus clara voce reſpondit: Utique ex ſententia tua nobis faciendum eſt. 13. Sed populus multus eſt et tempus pluvium, neque poſſumus ſub dio ſtare; praeterea hoc non

a) Pro אֲדֹנָי *Domini*, h. e. Dei, legendum eſt אֲדֹנָיִי vel אֲדֹנַי *domini mei*, nimirum Eſrae, qui hoc conſilium dederat, a quo ipſo praeceptum Dei in ſequentibus verbis diſtinguitur; cf. v. 8.

non opus est unius alteriusque diei, nam hac in re multum deliquimus. 14. Constituantur principes nostri toti coetui, quibus se sistant certis temporibus omnes, qui in oppidis uxores peregrinas duxerunt, adhibitis simul cujusque oppidi senioribus et judicibus, donec ira Dei in nos hac de re [b]) commota a nobis avertatur. 15. Igitur Jonathan, filius Asaëlis, et Jahseja, filius Tikvae, huic negotio sunt praefecti, et adjutores eis dati Mesullam et Sabtaeus Levitae, 16. ab exsulibus. Esra autem sacerdos delegit viros [c]) *viginti*, familiarum principes in sua cujusque familia, omnes nominatim designatos, qui consederunt die primo decimi mensis, ut in rem inquirerent. 17. Et finierunt totum negotium eorum, qui peregrinas uxores duxerant, primo die mensis primi. — 18. In his fuerunt sequentes ex sacerdotibus: Ex posteris Jesu, filii Jozadaki, et fratrum ejus: Maaseja, Eliefer, Jarib et Gedalja, 19. qui stipulata manu promiserunt, uxores suas dimittere, et arietem ut sacrificium piaculare pro delicto suo obtulerunt. 20. Ab Immere orti: Hanani et Sebadja. 21. Ab Harimo: Maaseja, Elias, Semaja, Jehiel et Ussijja. 22. A Pasure: Eljoënaeus, Ma-

---

b) Pro עַד לַדָּבָר legendum est עַל הַדָּבָר. Sic veteres omnes et cod. 2. *Kennicotti*.

c) Pro וַיִּבָּדְלוּ *separati sunt*, legendum esse וַיַּבְדִּיל *separavit Esra* etc., ex contextu facile intelligitur. Nam sermo est de deputatis eligendis, qui in matrimonia illa cum gentilibus inita inquirerent. Populus elegerat quatuor vers. 15. nominatos. Alios Esra delegebat, de quibus in hoc versu sermo est. Sic quoque Syrus legit, qui praeterea numerum tradit virorum ab Esra electorum: *Separavit Esra sacerdos viginti viros primarios patres* et rel.

Maaſeja, Jiſmaël, Nethanel, Joſabadus et Elaſa. 23. Ex Levitis: Joſaphatus, Simei, Kelaja, qui et Kelita vocatur, Pethahja, Juda et Elieſer. 24. Ex cantoribus: Eljaſib. Ex janitoribus: Sallumus, Telem et Uri. 25. Ex Iſraëlitis a Paroſo orti: Ramja, Jiſſijja, Malkijja, Mijamin, Elaſar, Malkijja, Benaja. 26. A Elamo: Mattanja, Secharja, Jehiel, Abdi, Jerimoth, Elias. 27. A Sattu: Eljoënaeus, Eljaſib, Mattanja, Jeremoth, Sabad, Aſiſa. 28. A Bebaeo: Johanan, Hananja, Sabbai, Athlai. 29. A Bano: Meſullam, Malluch, Adaja, Jaſub, Seal et Ramoth. 30. A Prhathmoabo: Adna, Kelal, Benaja, Maaſeja, Mattanja, Bezalel, Bimmi et Manaſſe. 31. A Harimo: Elieſer, Jiſijja, Malkijja, Semaja, Simun, 32. Benjamin, Malluch, Semarja. 33. A Haſumo: Mattenai, Mattatha, Sabad, Eliphelet, Jeremai, Manaſſe, Simei. 34. A Bano: Maadai, Amram, Uël, 35. Benaja, Bedja, Kelahu, 36. Vanaja, Meremoth, Eljaſib, 37. Mattanja, Mattenai, Jaaſa, 38. Bani, Binnui, Simei, Selemja, Nathan, Adaja, 40. Machnadbi, Saſai, Sarai, 41. Aſarel, Selemja, Semarja, 42. Sallum, Amarja, Joſephus. 43. A Nebone: Jeïel, Mattithja, Sabad, Sebina, Jaddu, Joël, Benaja. 44. Hi omnes peregrinas uxores duxerant, quarum nonnullae etiam liberos pepererant.

NE-

NEHEMIA.

CAPUT I.

Nehemia, audita misera sorte Judaeorum Hierosolymae, magno dolore propterea afficitur 1—4. Deum orat, ut sibi animum regis Persarum, cujus pincerna erat, in eorum commodum conciliet 5—11.

1. Historia Nehemiae, filii Hakaljae. Anno vicesimo [a]) mense Kislev, [b]) cum in arce Susis essem, 2. venit Hanani quidam de cognatis, et nonnulli alii ex Judaea. Hos interrogavi de Judaeis reliquis, qui ex captivis essent superstites, et de Hierosolyma. 3. Responderunt, eos ibi in magna calamitate versari et opprobrio, muros Hierosolymae esse destructos et portas igne combustas. 4. Quae cum audissem, plorare coepi et aliquot dies luxi, et jejunans Deo coelesti supplicavi 5. his verbis: O Jova, Deus coelestis, Deus magne et terribilis, qui servas, quod promisisti, et benignum te praebes eis, qui te amant et praecepta tua observant! 6. Sint, quaeso, aures tuae attentae et oculi aperti ad preces cultoris tui, quibus ego jam noctu diuque apud te inter-

a) Sc. Artaxerxis Longimani; cf. cap. 2, 1.

b) Decembri.

tercedo pro Iſraëlitis, tuis cultoribus, et confiteor eorum peccata, quae in te commiſimus; nam ego quoque et paterna mea domus peccavimus. 7. Perdite nos geſſimus, violavimus tua praecepta, jura et ſtatuta, quae Moſi, miniſtro tuo, dederas. 8. Recordare, quaeſo, eorum, quae eidem illi Moſi tuo dixiſti: Vos a me deficientes diſpergam per gentes; 9. ſed ad me converſi leges meas obſervabitis, easque exſequemini. Etiamſi diſperſi de vobis in extremis coeli regionibus degerent, eos inde colligam et reducam in locum, quem cultui meo deſtinavi. 10. Sunt enim tibi dicati, tuus populus, quem magna potentia et valida manu redemiſti. 11. O Domine, attende, quaeſo, ad preces ſervi tui et ad preces tuorum, qui te lubenter colunt et reverentur. Sis, quaeſo, mihi, cultori tuo, propitius et concilies mihi viri hujus miſericordiam. — Eram pincerna regis.

CAPUT II.

Nehemia ex conceſſione regis Hieroſolymam proficiſcitur 1—4. Ibi explorato rerum ſtatu principibus populi ſuum conſilium de oppidi muro reſtaurando aperit, quod approbant fruſtra renitente Sanballato 10—20.

1. Menſe Niſane [a]) anno viceſimo regis Artachſchaſtae, cum ei appoſitum vinum miniſtrarem, animo erat in me propenſo, 2. mihique dixit: Cur vultu es adeo triſti, cum non aegrotes? Haec non eſt niſi animi triſtitia. Hic ego vehementer perterritus, 3. Rex din-

a) Aprili.

diutissime vivat, inquiebam; cur non vultu sim tristi, cum urbs vastata jaceat, in qua majorum meorum sunt sepulcra, et portae ejus igne sunt consumtae? 4. Respondit rex: Quid ergo petis? Hic ego Deum coelestem precatus 5. dixi regi: Si tibi, rex, ita videtur, et si eam mihi exhibere velis gratiam, rogo, ut me mittas in Judaeam ad urbem, in qua majorum meorum sunt sepulcra, restaurandam. 6. Tum rex et quae ei assidebat regina quaesiverunt, quousque iter meum sit futurum et quando sim rediturus? Igitur regi, cui videbatur me dimittere, tempus constitui, 7. atque simul ab eo petii, ut litteras mihi daret ad praetores cis Euphratem, ut me transire patiantur, donec in Judaeam pervenero, 8. et *alias* litteras ad Asaphum, regiae silvae custodem, qui ligna mihi praebeat ad construendas portas urbis, in qua templum est, et ad murum urbis, et ad domum, quam ego essem habitaturus. Quae omnia mihi rex concessit. In quo Dei providentiam agnosco. 9. Cum ad praetores cis Euphratem venissem, (rex vero mecum miserat duces quosdam exercitus atque equites) tradidi eis litteras regis. 10. Sanballatus Horonita et Tobias servus Ammoniticus audiverunt, venisse aliquem, qui commodum Israëlitarum esset promoturus, idque aegerrime tulerunt. 11. Postquam Hierosolymam veneram et triduum ibi eram commoratus, 12. noctu cum paucis quibusdam comitibus, (nemini vero indicaveram, quid Deus mihi pro Hierosolyma facere suggesserat, nec jumentum mecum habebam praeter id, in quo ipse equitabam,) 13. noctu igitur per portam vallis egressus, e regione fontis

terat progressu. 15. Igitur ascendi per va
murum inſpexi et per portam vallis don
16. Magiſtratus autem neſciebat, quo iviſſen
feciſſem; neque enim Judaeis, ſacerdotibus,
magiſtratui aut reliquis operis curatoribus
quidquam indicaveram. 17. Tum vero eis
videtis triſtem rerum noſtrarum ſtatum,
mam vaſtatam et portas ejus combuſtas.
ſtruamus murum urbis, nec diutius ſimus *h*
ſtris opprobrio. 18. Deinde demonſtravi
topere jam expertus ſim divinam provide
quae rex mihi promiſiſſet. Tunc illi ſeſe
aedificandum excitarunt et in re bona con
19. Quae cum audirent Sanballatus Horoni
ſervus Ammoniticus et Geſem Arabs, nos
et contemtim nobis dixerunt: Quid hoc eſt,
detis? Num in regem rebellatis? 20. Sed
illis: Deus coeleſtis, quem colimus, proſper
dabit ſucceſſum, nos jam *urbem* aedificabim
vero non partem, aut jus, aut communione
Hieroſolymae.

CAPUT III.

Catalogus eorum, qui suis sumtibus murum et portas Hierosolymae restaurarunt 1 — 32. Derident Samaritani Judaeorum conatus 33 — 38.

1. Tum opus aggressi sunt Eljasib, sacerdos summus, et cognati ejus sacerdotes, qui aedificarunt portam ovium atque erectis ejus ostiis consecrarunt [a]) usque ad turrem Meah, atque inde porro usque ad turrem Hananelis. 2. Juxta hunc aedificarunt Hierichuntini, quos excepit Saccur, filius Imri. 3. Portam piscium instaurarunt posteri Senaae. Contignarunt eam, [b]) ejusque ostia, seras et repagula posuerunt. 4. Juxta hos refecerunt Meremoth, filius Uriae, nepos Kozi; Mesullam, filius Berechjae, nepos Mesesabelis, et Zadokus, filius Baanae. 5. Juxta hos Tekoënses, quorum vero nobiliores huic operi domini sui sese subtra-

a) Laborant interpretes in explicando verbo קִדֵּשׁ, quod h. l. legitur, cujus significatio vulgaris *consecravit* contextui huic parum apta videtur. *Michaelis* quidem ejus explicandae periculum fecit, dum dicit, fortasse in initio structurae sacrificia esse adhibita, aut sacerdotes suo exemplo opus susceptum quasi consecrasse. Verum ipse mox his explicationibus diffidens fatetur, sibi suspectam videri lectionem, atque levissima unius litterae mutatione conjectat, legendum esse חִדְּשׁוּהוּ *restituerunt* s. *renovarunt eam*. Alio modo remedium afferre tentavit *Hubigantius*, qui prius קִדְּשׁוּהוּ mutari vult in קָרְשׁוּהוּ *contignarunt eam*, uti est in versf. 3, 6., 13, 14. in simili contextu; posterius vero in קִשְּׁרוּהוּ *junxerunt eam*, uti phrasis est cap. 3, 38. Equidem optionem relinquo lectoribus meis inter has conjecturas aeque fere probabiles; fateor tamen, mihi quoque lectionem receptam de mendo suspectam videri.

b) H. e. tignis limina ejus statuerunt et forte etiam tectum ad eum locum fecerunt, ut in umbra ibi sedere liceret ac pluviam vitare. Sic *Clericus* explicat.

traxerunt. 6. Portam veterem refecerunt Jojada, filius Pasehi, et Mesullam, filius Besodjae. Hi contignarunt eam, ejusque ostia, seras et repagula posuerunt. 7. Juxta eos Melatja Gibeonita, Jadon Meronita aliique cives Gibeonis et Mizpae ditionis praetoris cis Euphratem. 8. Porro Ussiel, filius Harhajae, aurifex, et Hananja, unguentarius, qui cinxerunt[c]) Hierosolymam usque ad murum latum. 9. Juxta hos Rephaja, filius Horis, praefectus dimidiae regionis Hierosolymae. 10. Hunc excepit Jedaja, filius Harumaphi, atque e regione domus suae et juxta eum Hattus, filius Hasabnejae. 11. Partem alteram restauravit Malkijja, filius Harimi, et Hassub, filius Pahathmoabi, nec non turrem furnorum. 12. Juxta eum aedificavit Sallum, filius Lohesi, praefectus dimidiae regionis Hierosolymae, una cum suis filiabus. 13. Portam vallis refecerunt Hanun et cives Sanobi, positis ejus valvis, seris et repagulis, et praeterea mille cubitorum usque ad portam simi. 14. Hanc vero portam instauravit Malkijja, filius Rechabi, praefectus tractus Bethkeremi. Exstruxit eam impositis valvis, seris et repagulis. 15. Portam fontis instauravit Sallun, filius Colhosae, praefectus tractui Mispensi. Contexit eam, infixit valvas, seras et repagula. Is quoque aedificavit murum piscinae Siloae ver-

c) Non placet neque lectio vulgaris יכזבו neque ejus explicatio. Alii enim eam sic explicant: *Reliquerunt*, sc. hostes, hanc murum partem intactam et illaesam. Dura mihi videtur haec ellipsis in hoc contextu. Alii: *Dimiserunt* s. *omiserunt*, eam partem muro munire, utpote minus necessariam. Aeque coacte. Malim cum *Clerico* legere עזקו, uti est Jes. 5, 2.

verſus hortum regium usque ad gradus, quibus ex urbe Davidis deſcenditur. 16. Poſt hunc refecit Nehemias, filius Asbuki, praefectus tractus dimidii Bethzuris, usque contra ſepulcra Davidis et usque ad piſcinam factam [d]) et domum heroum. 17. Poſt hunc refecerunt Levitae Rechum, filius Bani, et juxta eum Haſabja, praefectus tractus dimidii Kegilae, pro ſuo tractu; 18. poſt hos eorum cognati Bavvaeus, filius Hendadi, praefectus dimidii tractus Kegilae; 19. juxta eum Eſer, filius Jeſu, praefectus Mizpae, alteram partem contra clivum armamentarii angularis. 20. Poſt hunc aemulatus eſt Baruch, filius Sabbaei, atque aliam partem inſtauravit, *nempe* ab angulo usque ad portam aedium Eljaſibi, pontificis; 21. poſt hunc Meremothus, filius Uriae, nepos Kozi, partem alteram a porta domus Eljaſibi usque ad extremum; 22. poſt hunc ſacerdotes tractum *Jordani* incolentes; 23. poſt hos Benjamin et Haſſub contra domos ſuas; poſt hos Aſarja, filius Maaſejae, nepos Ananjae, juxta domum ſuam; 24. poſt hunc Binnui, filius Henadad, partem alteram a domo Aſarjae usque ad angulos; 25. Palal, filius Uſaei, contra angulum et turrem, quae ex parte ſuperiore regiae prominebat ad atrium cuſtodiae, et poſt eum Pedaja, filius Paroſi. 26. Famuli ſanctuarii Ophelem incolentes aedificabant contra portam aquae ad orientem et turrem prominentem; 27. poſt hos Tekoënſes partem alteram contra turrem magnam atque usque ad murum Ophelis. 28.

d) Piſcina Siloae inferior, quae excipiebat aquam ſuperioris atque arte humana facta erat.

28. A porta equorum refecerunt ſacerdotes quisque contra domum ſuam; 29. poſt hos Zadokus, Immeri filius, contra domum ſuam, et Semaja, filius Sechanjae, portae orientalis cuſtos; 30. poſt hos Hananja, filius Selemjae, et Hanun, filius Selephi ſextus, partem alteram; poſt hos Meſullam, filius Berechjae, contra conclave ſuum; 31. poſt hos Malkijja, filius aurificis, usque ad aedes famulorum ſanctuarii et mercatorum e regione portae Miphkad usque ad coenaculum anguli. 32. Inter coenaculum anguli et portam ovium refecerunt aurifices et mercatores. — 33. Sanballatus vero, cum audiret, nos murum reſtaurare, excanduit multumque eſt indignatus. Et nos deridens 34. dixit cognatis ſuis et militibus Samaritanis: Quid imbelles iſti Judaei faciunt? Num permittetur eis, ut ſacrificent? ut jam *coepta* perficiant? ut excitent lapides combuſtos ex ruderibus? 35. Cui Tobia Ammonita, qui adſtabat, reſpondit: Muros lapideos, quos iſti exſtruunt, vulpes irruens deſiciet. 36. Audi, o Deus, quam contemti ſimus, convverte eorum ignominiam in caput ipſorum, expone eos direptioni in terra, in qua captivi ſint. 37. Ne ignoſcas eorum iniquitati, nec peccatum eorum apud te deleatur; nam irritarunt aedificantes. — 38. Nos vero perreximus in muro reſtaurando, et jam dimidia ejus pars erat compacta. Nam populus operi erat intentus.

CA-

CAPUT IV.

Nehemia excubiis dispositis irrita reddit inimicorum consilia.

1. Cum vero Sanballatus, Tobia, Arabes, Ammonitae et Asdodenses audirent, murum Hierosolymae fere esse reparatum et ruinas ejus obstructas, ehementer indignati sunt, 2. atque ad unum omnes onspirarunt ad invadendam Hierosolymam et *rem* npediendam. 3. Nos vero Deum nostrum compreati custodias contra eos disposuimus diu noctuque prae ietu eorum. 4. Propterea conquesti sunt Judaeorum onnulli, vires bajulatorum succumbere oneri rudeum removendorum, quorum multa essent, sic se non osse in muro exstruendo continuare. [a]) — 5. Dereverant autem inimici nostri, nos imprudentes agredi, interficere, atque hac ratione opus impedire. 6. Sed cum Judaei, eorum vicini, decies ex omnibus ocis nos de eo, quod contra nos machinarentur, [b]) ertiores fecissent, 7. constitui in locis inferioribus ost murum complanatis homines secundum familias lispositos, gladiis, hastis et arcubus instructos, 8. atque omnibus provisis hortatus sum nobiles, proceres et reliquos, ut ne eos timerent, sed memores essent lomini magni et tremendi, et pugnarent pro fratribus

a) Verba textus obscura sunt, sed hic sensus esse videtur: propter vigiles expositos imminutus erat numerus bajulatorum, qua re aedificantes remorabantur in labore.

b) Pro תָּשׁוּבוּ *revertimini*, quod nullo modo commodam admittit explicationem, lego cum *Hubigantio* חָשְׁבוּ *cogitarunt*. Quam conjecturam *Michaelis* quoque in suam versionem recepit, immemor, uti videtur, pacti cum lectoribus suis initi; cf. ejus notas ad cap. 9, 16. et 23.

bus ſuis, filiis, filiabus, mulieribus et aedibus. 9. Cum hoſtes noſtri audirent, rem nobis innotuiſſe, Deus irritum fecit eorum conſilium, et nos rediimus quisque ad laborem ſuum in muro. 10. Inde ab eo die dimidia pars ſervorum meorum opus faciebant, altera telis, clypeis, arcubus et loricis erant inſtructi. Principes ſtabant poſt Judaeos aedificantes in muro, 11. et qui onera portabant *aut* distribuebant, una manu laborabant, altera telum tenebant. 12. Item aedificantes gladio accincti aedificabant, qui tuba ſignum daret, mihi adſtabat. 13. Tum nobilibus, primoribus et reliquo populo edixi, quia opus magnum eſſet et late patens, nosque omnes in muro alter ab altero longe eſſemus diſperſi, 14. ut ad *locum*, in quo tubae ſonum audirent, convenirent, *Deum* noſtrum pro nobis eſſe pugnaturum. 15. Sic nos laboravimus. Dimidia pars ſub armis ſtabat inde ab ortu aurorae usque ad ortum ſtellarum. 16. Eodem tempore edixi in populo: quisque cum ſervo ſuo Hierosolymae pernoctaret, noctu cuſtodiam agerent, interdiu eſſent in labore. 17. Neque ego, cognati mei, famuli et cuſtodes me comitantes veſtes depoſuimus per menſem integrum. d)

---

c) Haec verba, quae ſequentem verſum incipiunt, jungenda pars cum hoc. Nam non apparet, quinam ſint illi Judaei, quos principes ſtabant, niſi illi ipſi, qui aedificabant. Ab hoc vero diſtinguuntur in ſequenti verſu inferioris ſortis et conditionis homines, qui onera portabant, h. e. qui [illegible] lapides nempe, calcem et ſimilia, afferebant et praebebant aedificantibus.

d) Verba textus ſunt perquam difficilia [illegible]

CAPUT V.

[illegible] pauperes foenore a divitibus oppressos liberat 1—13. [illegible] magna est in populum liberalitate 14—19.

1. Orta deinde est ingens querela hominum plebis, eorumque uxorum, contra populares suos Judaeos.

2. Erant, qui dicerent: Multos habemus filios nostros, filias quoque; unde sumemus frumentum, ut edamus et vivamus? 3. Alii sic: Agros nostros, vineas et domos nostras pignoravimus; unde frumentum in fame accipiamus? 4. Tandem alii dicebant: Mutuam pecuniam solvimus pro fundis et vineis nostris ad tributum regis.

5. Jam vero ejusdem generis et conditionis Judaei, quos *Vatablus* et *Grotius* secuti sunt, rem [illegible] ut, ut [illegible] dictum sit in significatione Chaldaica; [illegible] *fuit*, et respondent Hebr. [illegible] f. [illegible], unde [illegible] *usque exutio erat ad aquas*, h. e. non exuebamus nostras, nisi propter ablutiones aut lege praescriptas introductas; addi posset, ad corpus purgandum hominibus laborantibus in illis calidioribus regionibus necessario quotidie fieri debebat. Aequidem [illegible] ne, nisi ellipsis [illegible] sive [illegible] [illegible] dubitatur [illegible] videtur accepisse: [illegible] *nudabatur ad baptismum*. Sed [illegible] [illegible] in lectione textus. Illi sic habent: [illegible] [illegible] Ex quo [illegible] vero sic: [illegible] *nemiamus vestes nostras* [illegible] *per mentem magnum*. Perplexus hic [illegible] [illegible] [illegible]

tionis [a]) ſumus, cujus ſunt populares noſtri, et eorum filii ejusdem, cujus noſtri; et tamen filios ſuos que noſtras in ſervitutem dedimus, et nonnullae filiarum noſtrarum vim patiuntur, nec poſſumus nos defendere. Agros noſtros et vineas tenent alii. 6. Nos eorum querelas cum audirem, ego vehementer indubar, 7. et re mecum deliberata nobiles et optimates in jus vocavi, eosque foenoris in populares ſuos ſuis accuſavi, et magna in eos concione advocata 8. dixi: Nos quidem pro viribus redemimus cognatos nostros Judaeos venditos gentilibus, et vos venditis eosdem et inter nos venduntur? — Siluerunt, nec poterant quidquam regerere. 9. Tunc ego, Non bonum est, inquiebam, quod facitis. Nonne debetis religioſe vivere, ne gentiles, hoſtes noſtri, nos reprehendant? 10. Ego quoque, fratres mei et ſervi mutuo eis dedimus pecuniam et frumentum. Remittamus, quaeſo hoc nomen. 11. Reddite eis hoc ipſo die agros ſuos, vineas, oliveta, domos, etiam uſuras pecuniae, frumenti, muſti, olei, quas ab eis exegiſtis. 12. Tunc illi, Reddemus, inquiebant, nec quidquam ab eis exigemus; faciemus, quod dixiſti. Et ego advocatis ſacerdotibus jurejurando eos obſtrinxi ad praeſtandum, quod promiſerant. 13. Deinde gremium meum excutiens, Sic excutiat, inquiebam, Deus omnem, qui hoc non praeſtiterit e domo ſua et labore ſuo, ut ſit excuſſus et vacuus. Reſpondit univerſus coetus: Ita fiat, et laudavit Deum. Populus vero ſtetit promiſſis. 14. Ceterum inde ab eo tempore, quo praetor Judae-

a) Hebr. *ut caro fratrum noſtrorum eſt caro noſtra*

daeae mihi mandata eſt, quod fuit ab anno viceſimo usque ad annum trigeſimum ſecundum regis Artachſchaſtae, per annos duodecim, neque ego, neque cognati mei victu praetorio uſi ſumus, 15. cum deceſſores mei populo admodum moleſti fuiſſent, qui praeter quadraginta ſiclos [b]) cibum quoque et potum ab eo acceperant, ut nihil dicam de vexationibus famulorum. A quibus omnibus pro reverentia mea in Deum me abstinui. 16. In muro reſtaurando fui aſſiduus. Agros non emimus, igitur ſervi mei omnes poterant labori illi adhiberi. [c]) 17. Judaeorum et proceerum centum et quinquaginta, praeter eos, qui ab gentibus finitimis ad nos veniebant, de menſa mea comedebant. 18. Parabantur mihi quotidie bos unus, oves ſex opimae, praeter aves, et decimo quoque die omnis generis vini magna copia praebebatur. Nec tamen victum praetorium exegi, cum vel ſic onus populi ſat grave effet. 19. Memento, mi Deus, omnium, quae pro hoc populo feci, ut mihi quoque bene facias.

CAPUT VI.

Sanballatus hujusque ſocii varia machinantur ad urbis reſtaurationem impediendam, quae tamen omnia Nehemiae prudentia irrita redduntur.

1. Cum Sanballatus, Tobia, Geſem Arabs reliquique hoſtes noſtri audiſſent, murum ita eſſe a me reſtau-

b) Haud dubie in dies ſingulos.

c) Hebr. *congregati erant ſuper hoc opere*, ſc. quis agro colendo non adhibebantur.

ſtauratum, ut nulla in eo ſupereſſet ruina, (quamquam valvae in portis nondum eſſent collocatae) 2. miſerunt ad me et conventum Kephirimi in valle Ono ſuaſerunt. Ipſi vero mala mihi machinabantur. 3. Tunc ego miſſis ad eos nuntiis reſpondi: me in gravi negotio jam eſſe occupatum, ut non poſſem discedere. Si in eo remitterem atque eos convenirem, illud iri interruptum. 4. Ad hunc modum quater ad me miſerunt; ego vero ſemper eadem illis reſpondi. 5. Tandem Sanballatus quinta vice eadem de cauſa miſit ad me per ſervum ſuum epiſtolam apertam, 6. in qua ſic ſcriptum erat: Rumor eſt inter gentes, et Geſem dixit, te et Judaeos rebellionem machinari, propterea murum a te reſtaurari, teque harum rerum eis eſſe auctorem, 7. atque prophetas jam a te eſſe ſubornatos, qui te Hieroſolymae regem Judaeorum proclamarent. Quae quoniam regi innoteſcent, neceſſe videtur, ut ſimul conſultemus. 8. Ad quae ei ſic reſpondi: nihil eorum factum eſſe, quae diceret, ſua tantum ipſius eſſe commenta. 9. Omnes enim volebant nos terrere eo conſilio, ut in labore remitteremus, nec opus perficeremus. Igitur ego eo majorem operam impendi. [a]) 10. Tum intravi domum Semajae, filii Delajae, nepotis Mehetabelis, qui ſe clauſerat. [b]) Is mihi ſuaſit, ut ſecum ad interiorem tem-

pli

a) חזק non puto eſſe imperativum, uti vulgo vertitur, quaſi haec verba preces eſſent ad Deum directae, ſed infinitivum, omiſſo per ellipſin frequentiſſimam verbo finito: *confortando confortavi manus meas*; vid. *Glaſſius* p. 290. edit. recent.

b) Qua de cauſa, non conſtat.

onfugerem et fores templi clauderemus, esse, qui me interficerent, eosque hac uturos. 11. Respondi: me non eum esse, nec me vitae tuendae causa templum esse 12. Intelligebam enim, Deum eum non e hac de re admoneret, sed Tobiam et um mercede conduxisse, 13. eo nempe hoc prae metu facerem et sic peccarem, mare possent et calumniari. 14. Repende, biae et Sanballato, prouti commeruerunt, Noadjae prophetissae reliquisque prophetis, re volebant. — 15. Murus perfectus est esimo die Elulis [c]) post duos et quinqua- 16. Quod cum hostes nostri, gentes vici- nt, animo valde conciderunt; intelligebant hoc divinitus esse perfectum. 17. Eodem crebrae nobiliorum Judaeorum epistolae et ab hoc ad illos mittebantur. 18. Multi orum ei erant jurejurando obstricti, quo- erat Sechanjae, filii Arahi, atque Jona- filius, duxerat filiam Mesullami, filii Be- 9. Merita quoque ejus valde apud me prae- Sed quae ego dixeram, ei prodiderant, e litteras ad me misisset, quibus mihi terro- ret.

CA-

CAPUT VII.

Muro absoluto Nehemia custodes urbis constituit 1—3. De augendo incolarum numero sollicitus invenit catalogum sub Esra reducum, quem exhibet 4—72.

1. Muro exstructo collocavi *portarum* valvas, et constitutis janitoribus, qui cantores [a]) erant Levitae, 2. praecepi Hanani, fratri meo, et Hananjae, arcis Hierosolymitanae praefecto, viro fideli et prae aliis religioso, 3. ut ne portae urbis aperirentur ante tempus meridianum, atque ipsis praesentibus iterum clauderentur et obserarentur, cives vero Hierosolymitani custodias disponerent quisque e regione domus suae. — 4. Urbs quidem ampla erat et spatiosa, sed populus in ea exiguus, nec domus erant *multae* restauratae. 5. Tum divino impulsu congregavi nobiles, proceres et plebem, ut census *eorum* fieret, atque inveni catalogum eorum, qui primum advenerant; in quo sic erat scriptum: [b]) 6. Hi sunt provinciales, qui ex captivitate, in quam a rege Nebucadnezare Babylonem translati fuerant, redierunt Hierosolymam et in Judaeam quisque ad oppidum suum, 7. atque cum Serubabele, Josua, Nehemia, Asarja, Raamja, Nahamane, Mordechaeo, Bilsane, Misperetho, Bigvaeo, Nahumo et Baana advenerunt. Numerus ille istorum Isra-

a) Quoniam in voce וְהַמְשֹׁרְרִים non solum ו, sed etiam ה articuli redundat, placet conjectura *Hubigantii*, unam vocem in duas dividere, וְהֵם מְשֹׁרְרִים. Sensus enim verborum sic satis pronus: ex cantoribus et Levitis praefectos esse portarum custodes.

b) Sequitur idem ille catalogus, qui legitur Esrae capite secundo. De cujus varietatibus in nominibus et numeris cf. annotata ad l. c.

Iſraëlitarum fuit hic: 8. A Paroſo orti duo millia centum ſeptuaginta duo; 9. a Sephatja trecenti ſeptuaginta duo; 10. ab Araho ſexcenti quinquaginta duo; 11. a Pahathmoabo ex Joſua et Joabo duo millia octingenti octodecim; 12. ab Elamo mille ducenti quinquaginta quatuor; 13. a Sattu octingenti quadraginta quinque; 14. a Sakkaeo ſeptingenti ſexaginta; 15. a Binnuo ſexcenti quadraginta octo; 16. a Bebaeo ſexcenti viginti octo; 17. ab Asgado duo millia trecenti viginti duo; 18. ab Adonikamo ſexcenti ſexaginta ſeptem; 19. a Bigvaeo duo millia ſexaginta ſeptem; 20. ab Adino ſexcenti quinquaginta quinquè; 21. ab Atero ex Hiskia nonaginta octo; 22. a Haſumo trecenti viginti octo; 23. a Bezaeo trecenti viginti quatuor; 24. a Haripho centum duodecim; 25. a Gibeone nonaginta quinque; 26. Bethlehemitae et Nètophathenſes centum octoginta octo; 27. Anathothenſes centum viginti octo; 28. Bethasmavethenſes quadraginta duo; 29. Kiriathjearimenſes, Kephirani et Beerothenſes ſeptingenti quadraginta tres; 30. Ramenſes et Gabenſes ſexcenti viginti unus; 31. Michmaſenſes centum viginti duo; 32. Bethelenſes et Ajenſes centum viginti tres; 33. homines Nebonis alterius quinquaginta duo; 34. ab Elamo altero orti mille ducenti quinquaginta quatuor; 35. a Harimo trecenti viginti; 36. Hierichuntini trecenti quadraginta quinque; 37. Lodenſes, Hadidenſes et Onenſes ſeptingenti viginti unus; 38. a Senaa orti tria millia nongenti triginta; 39. ſacerdotes a Jodaja orti e ſtirpe Joſuae nongenti ſeptuaginta tres; 40. ab Immero mille quinquaginta duo;

41. a Pasuro mille ducenti quadraginta septem; 42. a Harimo mille septemdecim; 43. Levitae, posteri Josuae ex Kadmiele, nati ex Hodavja, septuaginta quatuor; 44. cantores, ab Asapho orti, centum quadraginta octo; 45. janitores, posteri Sallumi, Ateri, Talmonis, Akkubi, Hatitae et Sobaei, centum triginta octo; 46. famuli sanctuarii, posteri Zichae, Hasuphae, Tabbaothi, 47. Kerosi, Siae, Padonis, 48. Lebanae, Hagabae, Salmaei, 49. Hanenis; Giddeli, Gahari, 50. Reajae, Rezinis, Nekodae, 51. Gassami, Ussae, Paschi, 52. Besaei, Meunimi, Nephissimi, 53. Bakbuki, Hakuphae, Harhuris, 54. Bazlidi, Mehidae, Harsae, 55. Barkosi, Sisrae, Tamahi, 56. Nezihae, Hatiphae; 57. posteri servorum Salomonis: posteri Sotaei, Sopherethi, Peridae, 58. Jaalae, Tarkonis, Giddeli, 59. Sephatjae, Hattilis, Pocherethi Hazzebajimi, Ammonis. 60. Omnium famulorum sanctuarii atque ex servis Salomonis natorum fuerunt trecenti nonaginta duo. 61. Qui e Telmelaha, Teharsa, Kerubo, Addone et Immere migraverant, non potuerunt indicare familiam patriam et stirpem, num ex Israëlitis essent. 62. Posteri Delajae, Tobiae, Nekodae, sexcenti quadraginta duo. 63. Ex sacerdotibus posteri Hobajae, Kozi, Barsillaei, qui duxerat uxorem ex filiabus Barsillaei Gileaditae, ex familia illa denominatus. 64. Hi quaesiverunt catalogum genealogiae suae, sed non repererunt, propterea e numero sacerdotum sunt dimissi. 65. Atque praetor eis interdixit vesci sacrosanctis, donec sacerdos per divinum oraculum quaestionem decideret. 66. Totius omnino mul-

multitudinis ſumma erat quadraginta duo millia, trecenti ſexaginta, 67. praeter eorum ſervos et ancillas, quorum erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, et praeterea cantores et cantatrices ducenti quadraginta quinque. 68. Equos habebant ſeptingentos triginta ſex, mulos ducentos quadraginta quinque, 69. camelos quadringentos triginta quinque, aſinorum ſex millia ſeptingentos viginti. 70. Nonnulli de familiarum principibus contulerunt ad opus. Praetor quidem ad fiſcum mille Daricos, quinquaginta crateres, tunicas ſacerdotales triginta et quingentos. c) — 71. *Alii* principes familiarum dederunt ad fiſcum auri Daricorum viginti millia, argenti minarum duo millia ducentas. 72. Reliqui de plebe homines dederunt auri Daricorum viginti millia, argenti minarum duo millia et tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem.

CAPUT VIII.

Eſra in ſolenni populi conventu legem praelegit 1—12. Feſtum tabernaculorum ex praeſcripto celebrant 13—18.

73. Confederant quidem ſacerdotes, Levitae, janitores, cantores, plebeji, famuli ſanctuarii et omnino Iſraëlitae in oppidis ſuis. Sed appropinquante menſe ſeptimo 1. ad unum omnes convenerunt in foro, quod erat ante portam aquae, atque juſſerunt Eſram, legis peritum, afferre librum legis Moſaicae, quam Jova Iſraëlitis dederat. 2. Cum Eſra, ſacerdos, le-

c) *Michaelis* putat, nomen rei donatae excidiſſe. Non poteſt, ut vulgo fit, ad tunicas referri, quia numerus major deberet praecedere.

legem attuliſſet ad coetum virorum, mulierum, omniumque, qui audita intelligere poſſent, die primo menſis ſeptimi: 3. legit ex ea in foro portae aquae a diluculo ad meridiem coram viris, mulieribus, iisque, qui intelligere poterant, atque omnium aures ad librum legis erant attentae. 4. Stabat autem Eſra in ſuggeſtu ligneo hunc in finem facto, et juxta eum Mattithja, Sema, Anaja, Uria, Hilkia, Maaſeja ad dextram; ad ſiniſtram vero Pedaja, Miſaël, Malkijja, Haſum, Hasbaddana, Sacharja, Meſullam. 5. Cum librum aperiret ſpectante univerſo populo, (ſuperemibeant autem omnibus,) ſtetit populus. 6. Tunc Jovam, Deum magnum, laudavit, et omnes ſublatis manibus reſponderunt: Amen Amen, et capite inclinato *Jovam* adorarunt. 7. Joſua vero, Bani, Serebja, Jamin, Akkub, Sabtai, Hodijja, Maaſeja, Kelita, Aſarja, Joſabad, Hanan, Pelaja et Levitae explicarunt legem populo, qui continuo ſtabat. 8. Praelegerunt autem legem populo addita interpretatione et explicatione, ut lecta poſſent intelligi. 9. Deinde Nehemia, praetor, Eſra, ſacerdos, et Levitae, doctores populi, dixerunt univerſo populo: Hic dies ſacer eſt Jovae, Deo veſtro, nolite lugere et plorare; (omnes enim plorabant, cum legem audirent). 10. Ite *domum*, epulamini laute,[a]) et mittite quoque eis, qui nihil ſibi parare potuere. Nam hic dies ſacer eſt Domino noſtro. Nolite dolere, laetitia de Jova vos ad laudes debet excitare. 11. Levitae quoque tranquillare animos ſtudebant, eos hortantes, ut a luctu abſtinerent, quod hic dies ſacer eſ-

ſet.

a) Hebr. *edite pinguia et bibite dulcia.*

ſet. 12. Sic omnes disceſſerunt ad epulas, de quibus et aliis impertierunt, et vehementer gaviſi ſunt; nam intellexerant, quae eis dicta erant. — 13. Die altero convenerunt principes familiarum totius populi, ſacerdotes et Levitae, apud Eſram, doctorem, ad legem accuratius cognoſcendam. 14. Tum didicerunt, praeſcriptum eſſe in lege, quam Jova per Moſen tuliſſet, ut Iſraëlitae feſto menſis ſeptimi in umbraculis degerent, 15. atque ediceretur, cum per reliqua eorum oppida, tum Hieroſolymae, ut ex montibus peterent oleas, pinus, myrtos, palmas, aliarumque arborum frondoſarum ramos ad umbracula ex praeſcripto facienda. 16. Igitur egreſſi ſunt, et petierunt *ramos*, ex quibus umbracula ſibi fecerunt, alii in tectis, alii in atriis tum ſuis, tum aedis divinae, alii in foris portae aquae et portae Ephraimiticae. 17. Omnes, qui ex captivitate redierant, umbracula fecerant, in quibus degerent, id quod non factum fuerat ab Iſraëlitis inde a temporibus Joſuae, filii Nunis, usque ad illud tempus; fuitque maxima omnium laetitia. 18. Legebatur autem in lege Dei quotidie inde a primo die usque ad ultimum. Sic celebrarunt feſtum per ſeptem dies, octavo autem die feriae pro more ſunt finitae.

CAPUT IX.

Die ſupplicationum ſolenni Iſraëlitae ſe ſeparant ab alienigenis 1—5. Sacerdotes nomine totius populi preces faciunt et peccatorum edunt in conventu publico confeſſionem 6—37.

1. Die viceſimo quarto ejusdem menſis convenerunt Iſraëlitae, jejuni et veſtitu lugubri induti, et ter-

terra *in capite* conſperſi, 2. ſepararunt ſtirpem Iſraëliticam ab alienigenis, atque ſtantes confeſſi ſunt tum ſua tum majorum ſuorum peccata. 3. Per quartam diei partem ſtantes *audiverunt* recitare legem Jovae, Dei ſui. *Alia* quarta parte confeſſi ſunt peccata ſua, et ſuppliciter Deum adorarunt. 4. Tunc conſcenderunt in ſuggeſtum Levitarum Joſua, Bani, Kadmiel, Sebanja, Buni, Serebja, Bani, Kenani, et magna voce clamarunt ad Jovam, Deum ſuum. 5. Deinde Levitae Joſua, Kadmiel, Bani, Haſabneja, Serebja, Hodijja, Sebanja, Pethahja his verbis ſunt precati: Agite! laudate Jovam, Deum veſtrum, per omnes generationes! Imo laudetur nomen tuum glorioſum, quod omnem laudem et celebrationem ſuperat. 6. Tu ſolus es Jova, tu coelum feciſti, coelum ſummum cum aſtris ſuis, terram et quae in ea ſunt, maria et quae in ſe continent, tu vitam omnibus conſervas, coeleſtes copiae te adorant. 7. Tu es ille Jova Deus, qui Abramum elegiſti, cui, Ure Chaldaeorum educto, nomen dediſti Abrahami. 8. Hujus animum in te fidelem cum cognoviſſes, pacto ei promiſiſti, dare ejus poſteris terram Cananitarum, Hethitarum, Amoritarum, Pherefitarum, Jebuſitarum et Girgeſaeorum. Stetiſti promiſſis tuis, quia verax es. 9. Vidiſti afflictiones majorum noſtrorum in Aegypto, eorumque clamores ad ſinum Arabicum audiviſti. 10. Tu editis miraculis et portentis in Pharaone, ejus aulicis et terrae ejus ſubditis, (quoniam noveras, eos per ſuperbiam majores noſtros vexare,) nomen tibi comparaſti, cujus fama etiamnunc celebratur. 11. Mare fidiſti ante eos, ut in ſicco transire illud poſſent, perſecutores autem

tem eorum dejecisti tamquam saxa in profundos aquarum fluctus. 12. Interdiu eos nube *tectos* duxisti, noctu viam eis igne collustrasti. 13. In montem Sinai descendisti, et cum eis de coelo es locutus. Promulgasti eis jura recta, leges aequas, instituta et praecepta bona. 14. Sabbatum tibi sacrum eis edixisti. Praecepta, instituta et legem eis per Mosen ministrum declarasti. 15. Panem de coelo dedisti eis, dum esuriebant, aquam e petra elicuisti, dum sitiebant. Tandem jussisti eos occupare terram, quam jurejurando eis promiseras. — 16. Verum enimvero illi [a]) majores nostri superbe et pertinaciter non obtemperarunt tuis praeceptis. 17. Renuerunt morem gerere, atque immemores miraculorum, quae inter eos patraras, obstinate ducem eligere voluerunt, ut redirent ad servitutem in Aegyptum; [b]) nec tamen tu, o Deus exorabilis, benigne, misericors, indulgens, clemens, eos deseruisti. 18. Atque adeo cum fusum vitulum fecissent, quem Deum suum esse, qui

a) In textu est: וְהֵם אֲבֹתֵינוּ. Miror, *Michaelem* haerere ad alterum Vau, quod prorsus redundat, si vertatur per *et*; quasi vero haec littera nonnisi per *et* verti possit aut debeat. Quis nescit aut negat, eam saepe explicandi significationem habere? Vid. *Noldii* concordantiae particularum de h. v. num. 27.

b) Lectio textus recepta habet בְּמֶרְיָם *in rebellione sua*, pro quo *oi ὁ* legerunt בְּמִצְרַיִם, vertunt enim *ἐν Αἰγύπτῳ*. Quam lectionem praeferendam putavi, non propter multitudinem testium, uti *Michaelis*, (nam non nisi unum testem habet ex antiquis, scilicet versionem Graecam; Vulgatus, Syrus et Arabs receptam lectionem exhibent,) sed propter substantivum לַעֲבֹדָתָם *ad servitutem*, quod praecedit, cui sane aptior est commemoratio *Aegypti*, quam *pertinaciae*. Verum et *Kennicottus* hanc lectionem exstare observat in codd. 259., 590., primo 207., 476., forte 535.

qui eos ex Aegypto eduxiſſet, praedicabant, teque *hoc facto* quam maxime irritaſſent, 19. tu tamen pro inſigni tua clementia eos non deſeruiſti in deſerto. Non disceſſit ab eis nubes interdiu, quae eos in itinere duceret, nec ignis noctu, qui eis in via, qua incedere debebant, luceret. 20. Spiritum tuum bonum eis dediſti ad eos erudiendos. Manna tuum eorum ori non ſubtraxiſti, aquam eis dediſti, quando ſitiebant. 21. Per quadraginta annos eos in deſerto ita ſuſtentaſti, ut nulla re egerent. Eorum veſtes non obſoleverunt, nec pedes intumuerunt. 22. Dediſti eis gentium regna, quae tota inter eos distribuiſti. Occuparunt terram Sihonis, c) regis Hesbonis, ut et terram Ogi, regis Baſanis. 23. Eorum liberos multiplicaſti ſicuti ſtellas coeli, perduxiſti eos ad terram *eorum majoribus* promiſſam. 24. Horum liberi occuparunt terram. Subegiſti illis ejus incolas, quos tu eis tradidiſti, reges et illius terrae populos pro lubitu ab eis tractandos. 25. Ceperunt oppida munita, terram pinguem, domos omnis generis bonis refertas, ciſternas excisas, vineas, oliveta, arboresque frugiferas magna copia. Sed ſatiati, ſaginati et magna tua bonitate voluptuantes

c) Iterum *Michaelis* laborat in littera ו. Nam verba textus ſunt: *terram Sihonis*, וארץ, *regis Hesbonis*. Atqui conſtat, unam eandemque terram fuiſſe Sihonis et regis Hesbonis. — Poteſt dubium eadem ratione ſolvi, qua ſupra dictum eſt ad vers. 16. Sed nolo de eo contendere, imo videtur h. l. Vau error ſcribae repetitum; qui ab illo homine tam facile committi potuit, quam ab ipſo Ill. *Michaeli* h. l. alius eſt commiſſus, dum negat, *ullum* codicem litteram Vau omittere. Nam *οἱ ὁ* non ſolum illam litteram, ſed integra verba וארץ omittunt. Habent enim: *τὴν γῆν Σηὼν βασιλέως Ἐσεβών.*

tes 26. rebellarunt et contumaces erga te fuerunt, legem tuam ſpreverunt, prophetas tuos, qui eos, ut ad te redirent, hortabantur, interfecerunt, teque vehementer irritarunt. 27. Igitur tradidiſti eos ipſorum hoſtibus, a quibus vexati in illis afflictionibus ſuis ad te clamarunt, et tu eos de coelo exaudiviſti, et pro magna tua miſericordia eis dediſti defenſores, a quibus ab hoſtium ſuorum injuriis ſunt vindicati. 28. Sed otium nacti te iterum factis ſuis offenderunt. Igitur tu eos in hoſtium poteſtatem tradidiſti, qui eis dominabantur. Aſt iterum ad te clamantes tu de coelo exaudiens liberaſti pro miſericordia tua per complura tempora. 29. Admonuiſti eos, ut ad legem tuam redirent. Sed illi inſolentes non obtemperarunt tuis praeceptis, et contra leges tuas, in quibus exſequendis hominis ſalus ſita eſt, peccarunt. Tergum tibi rebelles obverterunt, atque obſtinata cervice non paruerunt. 30. Sic differebas in eos poenam per complures annos. Hortabaris eos per prophetas tuos, ſed cum non auſcultarent, tandem eos gentibus harum regionum tradidiſti. 31. Attamen pro magna tua miſericordia eos non prorſus perdidiſti aut deſeruiſti. Deus enim es benignus et miſericors. 32. Jam igitur, o Deus noſter, Deus magne, potens, tremende, qui ſervas promiſſa benigne data, ne parvi pendas omnem illam calamitatem, quam cum nos experti ſumus, tum et reges noſtri, principes, ſacerdotes, prophetae, patres noſtri et totus omnino populus tibi dicatus, inde a temporibus regum Aſſyriacorum usque in hunc diem. 33. Tu quidem in omnibus, quae nobis evenere, juſtus es, re-

recte fecisti, nos in culpa versamur. 34. Etenim reges nostri, principes, sacerdotes, majores nostri legi tuae non obtemperarunt, neque attenderunt ad praecepta tua, neque ad doctrinam, quam eis impertiisti. 35. In regno suo adhuc constituti et in tanta felicitate, quam eis concesseras, in terra illa ampla et fertili, quam eis dederas, te non coluerunt, neque pravos suos mores mutarunt. 36. Jam quidem nos servi sumus, idque in terra, quam tu majoribus nostris dederas, ut ipsi fructibus ejus praestantissimis vescerentur. 37. Proventus ejus largos *reddere cogimur* regibus, quos nobis propter peccata nostra praefecisti, qui in nostra corpora et jumenta pro lubitu dominantur. Nos sane in magnis versamur angustiis.

CAPUT X.

Foedus cum Deo omnes renovant, quod proceres, Levitae et sacerdotes suis subscriptionibus confirmant 1—29., legesque cultus sacrum spectantes accuratius observare promittunt 30—40.

1. Post ista omnia foedus pepigimus firmum, quod litteris conceptum obsignarunt principes nostri, Levitae, sacerdotes. 2. Qui obsignarunt, fuerunt sequentes: Nehemia, praetor, filius Hachaljae et Zedekiae, 3. Seraja, Asarja, Jeremias, 4. Pashur, Amarja, Malkijja, 5. Hattus, Sebanja, Malluch, 6. Harim, Meremoth, Obadja, 7. Daniel, Ginnethon, Baruch, 8. Mesullam, Abijja, Mijamin, 9. Maasja, Bilgai, Semaja. Hi fuerunt sacerdotes. 10. Levitae: Josua, filius Asanjae, Binnui ex filiis Henadadi Kadmielis,

11.

11. eorumque fratres: Sebanja, Hodijja, Kelita, Pelaja, Hanan, 12. Micha, Rehob, Hafabja, 13. Sakkur, Serebja, Sebanja, 14. Hodijja, Bani, Benjun. 15. Principes populi: Paros, Pahathmoab, Elam, Sattu, Bani, 16. Bunni, Asgad, Bebai, 17. Adonijja, Bigvai, Adin, 18. Ater, Hiskia, Affur, 19. Hodijja, Hafum, Bezai, 20. Hariph, Anathoth, Nebai, 21. Magpias, Mefullam, Hefir, 22. Mefefabel, Zadok, Jaddua, 23. Pelatja, Hanan, Anaja, 24. Hofea, Hananja, Haffub, 25. Hallohes, Pilha, Sobek, 26. Rehum, Hafabua, Maafeja, 27. Ahijja, Hanan, Anan, 28. Malluch, Haarim, Baana. 29. Reliquus autem populus, facerdotes, Levitae, janitores, cantores, famuli fanctuarii, omnesque, qui fe a gentibus feparaverant ad legem Dei *obfervandam*, horumque mulieres et liberi, omnes intelligentes, 30. affentiebantur fratribus fuis nobilioribus, [a]) et fe quoque jurejurando obftringebant, velle fe ex lege Dei vivere per Mofen, ejus miniftrum, lata, atque diligenter obfervare omnia praecepta Jovae, Dei noftri, ejus jura et ftatuta, 31. non nos elocaturos effe filias noftras gentilibus, nec eorum filias filiis noftris ducturos, 32. neque ab iisdem merces aut ullam rem venalem die fabbati importantibus emturos effe eo die aut alio die facro; feptimo [b]) quoque anno agrum non colere, nec debita exigere. 33. Conftituimus quoque, ut daremus quotannis tertiam ficli partem ad ufum templi

a) H. e. non fubfcripferunt illi quidem formulae promiffi dati; fed approbarunt omnia, quae conclufa effent a proceribus.

b) Ex legibus Levit. 25, 2. et Deut. 15, 1. feqq.

pli Dei noſtri, 34. ad panes appoſititios, ad juge ſacrificium, ad holocauſta continua ſabbatorum, noviluniorum, feſtorum, ad victimas pro expiando Iſraële offerendas, et omnino ad cultum in aede Dei praeſtandum. 35. Sortes quoque jecimus ſuper lignorum collatione, ſacerdotes inter et Levitas et populum, ut ligna adveherentur ad templum Dei noſtri a ſingulis familiis quotannis certis temporibus, ad ignem alendum ſuper altari Jovae, Dei noſtri, prouti in lege eſt praeſcriptum. [c]) 36. Porro *promiſimus* afferre primitias terrae noſtrae fructuumque arborum quotannis ad aedem Jovae, [d]) 37. nec non primogenitos filiorum noſtrorum, [e]) et primogenita pecoris noſtri, ſicuti in lege eſt praeſcriptum, nempe boum et ovium ſacerdotibus in aede Dei noſtri miniſtrantibus; 38. *item* primitias maſſarum et oblationum noſtrarum, [f]) fructuum ex arboribus, muſti et olei, ut eas ſacerdotes inferrent in cellas templi Dei noſtri, et decimas terrae noſtrae Levitis, qui viciſſim ſuas decimas darent, [g]) idque in omnibus oppidis agriculturae noſtrae; 39. ſacerdotem e familia Aaronis adeſſe debere Levitis, cum decimas acciperent; Levitas autem decimas harum decimarum inferre debere in aedem Dei et in cellas ejus et promtuaria; 40. nam ad has cellas congerent de-

c) Levit. 6, 5.

d) Exod. 23, 19. 34, 26.

e) Qui Deo debebantur, ſed redimebantur, Exod. 13, 12. 13. Levit. 17, 27. Num. 18, 15. 16.

f) Levit. 23, 17. Num. 15, 19. ſeqq.

g) Sc. ſacerdotibus, coll. cap. 12, 47. et Num. 18, 26. ſeqq.

debere Iſraëlitas et Levitas oblationes frumenti, muſti et olei; ubi et eſſent vaſa ſanctuarii et ſacerdotes miniſterio fungentes, janitores et cantores, neque nos deſerturos eſſe aedem Dei noſtri.

CAPUT XI.

Augetur numerus incolarum Hieroſolymae ex aliis oppidis. Catalogus eorum, qui ex his Hieroſolymam migrarunt 1—19. Nominantur et alia oppida, quae a Judaeis et Benjaminitis incolebantur 20—36. a)

1. Principes quidem populi habitabant Hieroſolymae, ſed reliquus populus ſortes jecit, ut decimus quisque Hieroſolymam, urbem ſanctam, incoleret, novem vero partes in aliis oppidis habitarent. 2. Sed collaudabat populus omnes, qui ſua ſponte Hieroſolymam migrabant. 3. Hi ſunt provinciae principes, qui Hieroſolymae habitabant, (nam cetera Judaeae oppida incolebant Iſraëlitae, quisque in civitatis ſuae patrimonio, ſacerdotes, Levitae, famuli ſanctuarii, et poſteri ſervorum Salomonis). 4. Hieroſolymae igitur conſederunt *quidam* ex Judaeis et Benjaminitis. Ex Judae-

---

a) Aſſentior *Michaeli*, qui putat, totam illam pericopam inde a cap. 7, 6. usque ad hujus initium a Nehemia eſſe ex Eſrae commentariis inſertam, atque hoc caput arcte cohaerere cum cap. 7, 4., ubi Nehemia dixit, ſe obſervaſſe, paucos eſſe Hieroſolymae incolas. In hoc vero narratur, qua ratione huic defectui proſpexerit, et in ſequentibus, quomodo et alia Eſrae inſtituta imitatus ſit et reſtaurarit. — Ceterum de difficultatibus chronologicis circa praelectionem legis ab Eſra curatam capp. 8., 9., 10. bene egit Vir illuſtris, quae legantur apud ipſum, quoniam notularum mearum anguſtiae hanc disputationem non capiunt.

daeis quidem Athaja, ex Perezo ortus per U[illegible]
filium Sacharjae, filii Amarjae, qui erat filius Sep[illegible]
jae, filii Mahalalelis; 5. Maaseja, filius Baruchi, [illegible]
pos Kolhosaei, pronepos Hasajae, abnepos A[illegible]
atnepos Jojaribi, trinepos Sacharjae, filii Hass[illegible]
6. Omnium ex Perezo prognatorum, qui Hier[illegible]
mae habitabant, fuerunt quadringenti sexaginta [illegible]
homines militares. 7. Hi fuerunt Benjaminitae: S[illegible]
filius Mesullami, nepos Joëdi, pronepos Pedajae, [illegible]
nepos Kolajae, atnepos Maasejae, trinepos [illegible]
qui erat filius Jesaiae; 8. post eum Gabbai, Sa[illegible]
nongenti viginti octo. 9. Quibus Joël, filius Sic[illegible]
erat praefectus; Juda vero, filius Hassennae, secun-
dum in civitate locum obtinebat. 10. Ex sacerdoti-
bus Jedaja, filius Jojaribi, Jachin, 11. Seraja, filius
Hilkiae, nepos Mesullami, pronepos [illegible], abnepos
Merajothi, atnepos Ahituphi, praefectus templo Dei
12. horumque cognati templi muneribus fungentes
octingenti viginti duo; et Adaja ex Malkijja pro-
ducens per Jerohamum, filium Pelaljae, filii Am[illegible]
qui erat filius Secharjae, filii Pashuris, 13. [illegible]
cognati familiarum principes fuerunt ducenti qua-
ginta duo; et Amassai, ex Immero ortus per Ahsa-
lem, filium Ahsaei, filii Mesillemothi, 14. [illegible]
cognati, homines militares, centum et undetrigi[illegible]
Quorum praefectus erat Sabdiel, filius Hagg[illegible]
15. Ex Levitis fuerunt Semaja, Hassubi filius, [illegible]
kami nepos, Hasabjae pronepos, Bunni [illegible]
16. Sabtai et Josabad res externas templi Dei [illegible]
bant. Ex Levitarum principibus 17. Mattanja, [illegible]

Michae, nepos Sabdi, pronepos Asaphi, primus praecentor carminum et precum, et Bakbukja secundus, ex ejus fratribus, porro Abda, filius Sammuae, nepos Galalis, pronepos Jeduthunis. 18. Omnium Levitarum, qui in urbe sancta habitabant, fuerunt ducenti octoginta quatuor. 19. Janitores, Akkub, Malmon eorumque cognati in portis custodias agentes, centum septuaginta duo. 20. Reliqui Israëlitae, sacerdotes, Levitae in omnibus Judaeae oppidis quisque in patrimonio suo degebat. 21. Sanctuarii famuli Ophelam incolebant, quorum praefecti erant Ziha et Gispa. 22. Levitarum Hierosolymitanorum praefectus, quoad negotia templi, erat Ussi, filius Bani, nepos Hasabjae, pronepos Mattanjae, abnepos Michae, ex Asaphi posteris cantoribus. 23. Ex voluntate enim regis cantoribus certum stipendium in singulos dies erat assignatum. 24. Pethahja, filius Mesesabelis, ex posteris Serachi, filii Judae, auctoritate regia res populi curabat. 25. *Multi* Judaeorum habitabant in pagis, in fundis suis, Kiriatharbae, Dibone, Jekabzeele, et in eorum pagis, 26. Jesuae, Moladae et Bethpeleti, 27. Hazarsuale, Bersabae, 28. Ziklagae, Machonae et locis minoribus eis junctis, 29. Enrimmone, Zorae et Jarmuthae, 30. Sanohe, Adullami, et in eorum pagis, Lachise et in fundis ejus, Asekae et in locis ei junctis. In tabernaculis quoque degebant a Berseba usque ad vallem Benhinnom. 31. Benjaminitae inde a Geba, Michmase, Ajjae, Bethele, horumque coloniis, 32. Anathothe, Nobe, Ananjae, 33. Hazore, Ramae, Gittaimi, 34. Hadide, Zeboim,

Neballati, 35. Lodi, Onone, et in valle Harasim. 36. Ex Levitis alii inter Judaeos, alii inter Benjaminitas habitabant. b)

CAPUT XII.

Recensentur sacerdotes et Levitae, qui cum Serubabele Hierosolymam venerant, horumque posteri usque ad tempora Nehemiae 1—26. Dedicatio muri restaurati 27—43. Praeficiuntur nonnulli cellis templi 44—47.

1. Hi fuerunt sacerdotes et Levitae, qui cum Serubabele, Sealtielis filio, et Josua Hierosolymam sunt profecti: Seraja, Jeremias, Esra, a) 2. Amarja, Malluch, Hattus, 3. Sechanja, Rehum, Meremoth, 4. Iddo, Gintoi, Abijja, 5. Mijjamin, Maadja, Bilga, 6. Semaja, Jojarib, Jedaja, 7. Sallu, Amok, Hilkia, Jedaja. Hi fuerunt sacerdotum principes cum cognatis suis tempore Josuae. 8. Levitae: Josua, Binnui, Kadmiel, Serebja, Juda, Mattanja. Hic praefectus erat hymnis cum suis consanguineis. 9. Bakbuk et Unno cum suis cognatis custodias agebant. 10. Josua genuit Jojakimum, Jojakimus Eljasibum, Eljasibus Jo-

ja-

b) Verba textus obscura sunt et ambigua: *ex Levitis* מֵהַלְּוִיִּם יְהוּדָה וּלְבִנְיָמִין *classes* s. *divisiones Judae Benjamini* s. *cum Benjamine*. Vulgatus et Syrus legerunt וּלְבִנְיָמִין *et de Levitis portiones Judae et Benjamin*. Sed οἱ ὁ ad litteram exprimunt lectionem textus Hebr. μερίδες Ἰούδα τῷ Βενιαμ. Illam in versione expressi, hanc plerique sic explicant, ut sensus sit: classes Levitarum, quae olim inter Judaeos habitasse, jam inter Benjaminitas sedem fixisse.

a) Non idem ille סֹפֵר s. legis peritus, qui a Xerxe Hierosolymam missus erat, Esr. 7., quod per rationes chronologicas, a *Michaeli* accurate deductas, esse non potest, sed alius ejusdem nominis.

jadam, 11. Jojada Jonathanem, Jonathan Jadduam. 12. Jojakimi temporibus ſacerdotes fuerunt familiarum principes: *familiae quidem* Serajae Meraja, Jeremiae Hananja, 13. Eſrae Meſullam, Amarjae Johanan, 14. Meluchi Jonathan, Sephanjae Joſephus, 15. Harimi Adna, Merajothi Helkai, 16. Iddonis Secharja, Ginnethonis Meſullam, 17. Abijjae Sichri, Minjaminis [b]) — Moadjae Piltai, 18. Bilgae Sammua, Semajae Jonathan, 19. Jojaribi Mattenai, Jedajae Uſſi, 20. Sallaei Kallaeus, Amoki Eberus, 21. Hilkijjae Haſabja, Jedajae Nathanel. 22. Levitae temporibus Eljaſibi, Jojadae, Johananis et Jadduae deſcripti ſunt, familiarum patriarum principes et ſacerdotes regnante Dario, Perſarum rege. [c]) 23. Illorum igitur nomina litteris conſignata ſunt in annalibus usque ad tempora Johananis, filii Eljaſibi. 24. Principes Levitae erant Haſabja, Serebja, Joſua, filius Kadmielis, quibus eorum cognati attributi fuerunt ad hymnos ſacros canendos ex inſtitutis Davidis, viri divini, vice alternante. 25. Mattanja, Bakbukja, Obadja, Meſullam, Talmon, Akkub cuſtodias agebant ad cellas januarum. [d]) 26. Hi igitur vixerunt tempore Jojakimi, filii Joſuae, nepotis Jozadakae, et temporibus Nehemiae, praetoris, atque Eſrae, ſacerdotis, legis periti. [e])— 27. Ad dedicationem mu-

b) Excidit nomen.

c) Deeſſe videntur illa nomina; cf. *Michaelis*.

d) Cf. 1 Chron. 26, 15.

e) Senſus non eſt, Jojakimum, Nehemiam et Eſram uno eodemque tempore vixiſſe, ſed ſacerdotes et Levitas nominatos illorum aetati pares fuiſſe. Fortaſſe quoque nomen Eſrae ab alia manu additum eſt. Sic *Michaelis*.

muri Hierofolymitani conquifiti funt Levitae
bus locis, ut Hierofolymae illam folemnem
nem cum hymnis adhibitis cymbalis, nabliis
ris peragerent. 28. Congregati igitur funt o
tis muficae periti ex locis Hierofolymae vici
ex pagis Netophathenfibus, 29. ex tractu Gi
agris Gibeae et Asmaveth, (nam pagos fibi
rant illi mufici circa Hierofolymam). 30.
facerdotes et Levitae fefe purificarant, popul
que, portas et murum purificarunt. 31. I
juffi Judaeorum principes murum confcender
conftitui duos choros et ordines longos, quor
in muro dextrorfum procedebat verfus port
32. Hunc fequebatur Hofaja et dimidia par
pum Judaeorum, 33. Afarja, Efra et M
34. Juda, Benjamin, Semaja et Jeremias, 35.
facerdotum cum tubis, Sacharja, ex Afaph
per Jonathanem, filium Semajae, filii Mattan
erat filius Michae, filii Saccuris, 36. ejus
tres, Semaja, Afarel, Milalai, Gilalai, Mag
thanel, Juda, Hanani cum inftrumentis mufic
dis, viri divini, eos praecedente Efra, legi
37. E regione horum fuper porta fontis inc
reliqui per fcalam urbis Davidis murum afce
fuper palatio Davidis usque ad portam aquae
orientem. 38. Hunc alterum chorum alteri
verfo procedentem ego fequebar, et dimidia p
puli a turre furnorum ad latum usque murum,
a porta Ephraimitica, a porta vetere et a po
fcium, porro a turre Hananel et a turre Me

l portam ovium. Subſtitit in porta cuſtodiae. 40. De-
de ambo chori in templo Dei convenere, et ego una
m dimidia parte magiſtratus, 41. et ſacerdotes Elja-
m, Maaſeja, Minjamin, Michaja, Eljoënai, Sacharja
Hananja cum tubis, 42. porro Maaſeja, Semaja,
aſar, Uſſi, Johanan, Malkijja, Elam et Eſer. Tum
ntores perſonabant, quorum praefectus erat Jisrah-
. 43. Eo die multa ſacrificia facta ſunt propter lae-
iam divinitus conceſſam perquam magnam, de qua
ulieres quoque et pueri gaudebant, ita ut illa Hiero-
lymitana laetitia procul audiretur. — 44. Eodem illo
e conſtituti quoque ſunt praefecti cellis theſaurorum,
. quibus oblationes, primitiae et decimae ſervabantur,
; in eas colligerent ex oppidorum agris portiones lege
nſtitutas pro ſacerdotibus et Levitis; laetabantur enim
idaei, quod hi iterum miniſterio fungerentur. 45. At-
ne ſane obſervabant omnia, quae ad cultum Dei et
rificationem pertinebant; ſimiliter cantores et jani-
res, ex praecepto Davidis et Salomonis, ejus filii.
. Nam jam olim temporibus Davidis et Aſaphi erant
incipes cantorum conſtituti hymnis et carminibus eu-
rificis Deo canendis. 47. Omnes igitur Iſraëlitae
mporibus Serubabelis et Nehemiae dederunt portio-
cantorum et janitorum quotidianas et conſecratas
imas Levitis, qui harum decimas reddebant Aaro-
poſteris.

CAPUT XIII.

Occasione legis praelectae Ammonitae et Moabitae sepa
Absente Nehemia sacerdos Eljasib Tobiam in cella tu
rat. Hunc Nehemia ejicit, et decimas Levitis det
4—14. Sabbati observationem urget 15—22., et
alienigenis severe prohibet 23—31.

1. Aliquando, cum e libro Mosis po
legeretur, inventum est, in eo scriptum e
unquam Ammonita aut Moabita jus civita
queretur, a) 2. quoniam cibum et potum
liissent Israëlitis, atque adeo mercede condu
leamum ad mala imprecanda; sed Deus no
in bona vota convertit. 3. Qua lege audi
peregrinorum turba ab Israëlitis est separata. —
vero antea Eljasib, sacerdos, cellis in *aede D*
praepositus, idemque affinis Tobiae, 5. huic
cellam magnam, in qua olim reponebantur ser
vasa, frumenti, musti et olei decimae, portio
tutae Levitarum, cantorum, janitorum, et qu
dotibus debebantur. 6. Sed cum ista facta es
non eram Hierosolymae; nam anno secundo
simo Artachschastae, regis Babylonis, ad eu
ram, atque anno post veniam ab eo impetrav
vertendi Hierosolymam. 7. Quo cum venisse
facinus ab Eljasibo in gratiam Tobiae admissi
structa ei cella in atriis templi Dei. 8. Quod
gerrime tuli, atque ejecta omni supellectile T
illa cella 9. jussi, ut cellae purificarentur,
reposui vasa templi, fertum et thus. 10. Tu
que cognovi, Levitis non dari portiones *sua*

a) Locus exstat Deut. 23, 3. seqq.

tas, hinc eos, ut et cantores, laboribus sacris destinatos, passim confugere ad agros suos. 11. Hic ego objurgabam magistratum, eique monstrabam, non deserendam a nobis esse aedem Dei. Illos autem convocavi et officiis suis restitui. 12. Quo facto omnes Judaei attulerunt decimas frumenti, musti, olei ad promtuaria *templi*. 13. His praefeci Selemjam, sacerdotem, Zadokum, scribam, et Pedajam, Levitam, eisque adjutorem dedi Hananem, filium Sakkuri, nepotem Mattanjae. Nam fide erant perspecta atque distributiones inter cognatos suos administrabant. 14. Memento mei, mi Deus, hanc ob rem, nec oblivioni des studium illud meum, quod pro aede tua ejusque ritibus observandis exhibui. — 15. Illo tempore vidi quoque in Judaea torcularia calcari sabbato, manipulos vehi, onerari asinos, atque vinum, uvas, ficus et omnis generis onera importari Hierosolymam die sabbati; sed eos commonefeci de tempore, quo eis licitum esset, cibaria vendere. 16. Tyrii quoque, qui Hierosolymae habitabant, afferebant pisces aliasque merces, quas Judaeis sabbato vendebant. 17. Hic ego objurgabam Judaeos nobiles. Quodnam istud est, inquiebam, facinus, quod admittitis, dum sabbati diem profanatis? 18. Nonne idem fecerunt majores vestri, unde quoque Deus noster adduxit mala ista omnia in nos atque in hanc urbem? Et vos augetis adhuc poenam divinam in Israëlitas profanatione sabbati? 19. Igitur cum primum portae Hierosolymae ante sabbatum obumbrarentur, jussi eas claudi, nec nisi post sabbatum aperiri, et servorum meorum quosdam in portis collocavi, ne onus quoddam die sab-

bati importaretur. 20. Cum vero mercatores variarumque rerum venditores extra Hierosolymam semel iterumque pernoctassent, 21. ego eos admonui, ne prope murum pernoctarent, quod si iterarent, me in eos vim esse adhibiturum. Ex quo tempore non venerunt sabbato. 22. Levitis autem praecepi, ut purificati custodirent portas, quo sabbatum sancte perageretur. Hujus quoque rei gratia memento mei, mi Deus, mihique pro magna tua benevolentia ignosce. 23. Eodem illo tempore animadverti, Judaeos duxisse uxores Asdodenses, Ammoniticas et Moabiticas, 24. eorumque liberos ex parte Asdodice loqui, nec linguam Judaicam intelligere, et sic variarum gentium linguam miscere. 25. Hos ego vehementer reprehendi et objurgavi, immo quosdam verberavi et capillos eis evulsi. Deinde jurejurando eos obstrinxi, ne suas filias illorum filiis elocarent, nec illorum filias suis filiis in matrimonium ducerent. 26. Nonne in eo peccavit, inquiebat Salomo, rex Israëlis, cui inter multas alias gentes similis non exstitit, Deo ita carus, ut eum omnium Israëlitarum regem constitueret, et tamen eum peregrinae mulieres ad peccandum seduxerunt? 27. Nos scilicet vobis in tam turpi facinore assentiemur, ut matrimonii cum peregrinis mulieribus contractis a Deo nostro deficiamus? 28. Unus quoque filiorum Jojadae, filii Eljasibi, pontificis, gener erat Sanballati Horonitae, quem ego a me fugavi. 29. Animadverte in eos, mi Deus, quod ita deturparunt sacerdotium, et praerogativam sacerdotum et Levitarum. 30. *Hac ratione* eos purgavi ab omnibus peregrinis, restitui sacerdotes et Levitas, quemque ad suum officium. 31. De lignis quoque temporibus constitutis advehendis [b]) itemque de primitiis prospexi. Fave mihi, mi Deus!

b) Ex decreto cap. 10, 34.

ESTE

E S T E R A.*)

CAPUT I.

Ahasverus, Persarum rex, convivium instruit aulicis suis 1—9., ad quod cum regina Vasti recusat venire, a rege repudiatur, atque edicto sancitur, ut viri uxoribus suis imperent 10—22.

Ahasverus, qui ab India usque ad Aethiopiam centum et viginti provinciis imperabat, 2. sedemque regni sui

*) De auctoritate canonica hujus libri dubitatum est a multis interpretibus non contemnendis antiquiorum et recentiorum temporum, non tam propter auctorem ejus incertum, et dubiam aetatem, qua historia in hoc libro tradita evenerit, quam potius propter ipsum ejus argumentum. Etenim hoc ita eis videtur esse comparatum, ut pleraque fere rei narratae eventa omni carere probabilitate judicent. Sed novae tunc emergunt difficultates, in quibus removendis valde laborant, qui fidem historiae narratae suspectam reddere volunt. Quid enim fingendae historiae occasionem dedit? et qui fieri potuit, ut festum institueretur in memoriam facti ex legibus divinis et humanis improbandi? Equidem his aliisque dubitationibus solvendis me parem non sentio, atque ingenue fateor, in quaestionibus adeo intricatis me malle τὸ ἐπέχειν eligere, quam temere aliquid definire. Vid. *Freye Untersuchungen über einige Bücher des Alt. Test.* Halae 1771. In quo libro auctor (qui *Oederus* fuisse perhibetur) inde a p. 12—37. hoc imprimis egit, ut probaret, jam antiquissimis temporibus patres complures auctoritatem canonicam hujus libri in dubium vocasse. — *Michaelis* partim in notis ad versionem Germanicam hujus libri, partim in biblioth. orient. p. II. p. 12—38. et p. VI. p. 144—151. ex ipsis historiae circum-

ſui habebat Suſane, 3. anno tertio regni ſui convivium paravit omnibus proceribus et miniſtris ſuis, cui duces exercitus Perſarum et Medorum, ſatrapae et provinciarum praefecti interfuere. 4. Volebat enim ostendere regni ſui immenſas divitias, ſplendorem insignem et magnitudinem, idque per dies bene multos, nempe centum octoginta. 5. Quibus exactis aliud convivium ſeptem dierum inſtruxit omnibus Suſanis regiae incolis maximis et minimis in atrio horti interioris regii. 6. Aulaea lini optimi alba et caerulea pendebant funibus byſſinis et purpureis ex annulis argenteis in columnis marmoreis. Lecti *accumbentium* aurei erant et argentei ſuper pavimento porphyritico et marmoreo margaritis et gemmis diſtincto. 7. Potum *praebebant* in vaſis aureis ſubinde mutandis; vinum erat regium et copioſe dabatur pro regis opulentia. 8. Cautum tamen erat, ne quis ad potandum cogeretur. Nam rex domus ſuae dispenſatoribus praeceperat, ut cujusque voluntati ſatisfacerent. 9. Etiam Vaſti regina convivium fecit mulieribus in regia Ahasveri. 10. Die ſeptimo, cum rex vino eſſet exhilaratus, juſſit, ut Mehuman, Biſta, Harbona, Bigta, Abagta, Sethar et Carcas, ſeptem eunuchi miniſterio apud eum fungentes, 11. reginam Vaſtin corona regia ornatam arceſſerent, quo ejus pulcritudinem, quae erat eximia, populo et principibus ostenderet. 12. Sed recuſavit Vaſti regina, ad

cumſtantiis ejus fidem ſuſpectam reddidit. — Tandem *Eichhorn* in introduct. ad libros Vet. Teſt. p. II. p. 689. ſeqq., poſtquam dubia contra auctoritatem canonicam hujus libri mota enarravit atque ex parte ſolvere conatus eſt, cenſuit, non obſtantibus difficultatibus internis hujus libri, eum tamen non poſſe et canone Vet. Teſt. eliminari.

ad mandatum regis per eunuchos perlatum venire. Qua de re rex vehementer iratus est, et graviter succensuit. 13. Atque propterea consuluit sapientes, consuetudinum peritos, (quorum consilia in omnibus regis negotiis adhibebantur. 14. Erant vero tum ei proximi Carschena, Schethar, Admatha, Tarschisch, Meres, Marsena, Memuchan, septem Persarum et Medorum magnates, ministri ejus intimi, primum in regno locum tenentes.) 15. quid ex lege faciendum esset reginae Vasti, quae non morem gessisset voluntati regis, ei per eunuchos indicatae. 16. Respondit Memuchan regi et principibus: Non in regem tantum peccavit regina Vasti, sed etiam in omnes principes et inferioris conditionis homines per omnes regis Ahasveri provincias. 17. Quando enim innotescet hoc reginae factum mulieribus, contemnent maritos suos, quod regina Vasti a rege Ahasvero vocata venire recusavit. 18. Jam haud dubie objicient feminae principes Persarum et Medorum hoc reginae factum maritis suis, ex quo multum contemtus et indignationis orietur. 19. Igitur, si regi placet, promulgetur ab eo edictum, idque legibus Persarum et Medorum inseratur, ut mutari non possit, ne Vasti in conspectum regis Ahasveri amplius admittatur, regiam vero dignitatem rex conferat in aliam illa meliorem. 20. Quod regis decretum si in toto ejus regno amplissimo innotuerit, omnes mulieres maritis suis, cujuscunque sint conditionis, debitum exhibebunt honorem. 21. Placuit haec sententia regi et principibus, atque rex e consilio Memuchanis 22. edixit per omnes regni sui provincias litteris cujusque provinciae et populi sermo-

mone ſcriptis, ut ſuae quisque domi vir principatum teneret et lingua patria uteretur.

CAPUT II.

Nova quaeritur uxor Ahasvero 1—4. Eſtera a Mardochaeo educata adducitur ad regem, cui placet et regina eligitur 5—18. Mardochaeus conjurationem contra regem factam indicat 21—23.

1. Poſthaec, ira regis Ahasveri ſedata, recordatus eſt, quid Vaſti feciſſet, et quid in eam eſſet decretum. 2. Tum ſuaſerunt ei aulici miniſtrantes, ut juberet conquiri puellas virgines forma elegantes, 3. atque hoc mandatum daret certis hominibus, qui in omnibus regni ſui provinciis conquirerent puellas virgines formoſas Suſanem arcem regiam in gynaeceum, ſub curam Hegaei, ſpadonis regii, mulierum cuſtodis, qui eis mundum muliebrem praeberet, 4. et quae puella regi placeret, regina fieret in locum Vaſtis. Placuit conſilium regi, idque ſecutus eſt. — 5. Erat Judaeus quidam Suſane in arce regia, nomine Mardochaeus, filius Jairi, filii Simei, qui erat filius Kiſi, Benjaminita, 6. Hieroſolyma captivus abductus cum Jechonia, rege Judae, a Nebucadnezare, rege Babylonis. 7. Is tutor erat Hadaſſae, (quae eſt Eſtera) patrui ſui filiae, utroque parente orbatae, puellae formae pulchrae et elegantis, quam poſt mortem parentum ut filiam educabat. 8. Cum edictum illud regis et decretum eſſet promulgatum, et multae puellae congregarentur Suſane in arce regia ſub curam Hegaei, abducta quoque eſt Eſtera in palatium regis

ad

ad Hegaeum, mulierum cuſtodem. 9. Placuit ei puella, eamque approbavit. Igitur ſine mora ei mundum muliebrem et portiones deſtinatas praebuit, quibus addidit ſeptem pediſſequas e palatio regio delectas, eique et pediſſequis commodum in gynaeceo locum aſſignavit. 10. Eſtera vero non indicavit patriam aut populares ſuos, quoniam Mardochaeus hoc ei interdixerat. 11. Hic vero quotidie obambulavit in atrio gynaecei, ut cognoſceret, num Eſtera valeret, et quid ei fieret. 12. Solebant autem puellae ordine quodam ad regem Ahasverum introduci, exactis nempe duodecim menſibus, ex lege mulieribus praeſcripta. Tot enim dies requirebat earum apparatus, ſex menſes oleo myrrhino, et ſex menſes aromatibus aliisque pigmentis muliebribus. 13. Quando puella ad regem introducebatur, quidquid cupiebat ſecum ex gynaeceo in palatium regium ducere, ei dabatur. 14. Veſpere introibat, et mane redibat in alterum gynaeceum ſub curam Schaaſchgaſi, eunuchi, regii concubinarum cuſtodis; neque amplius ad regem admittebatur, niſi ei ita placuerat, ut nominatim vocaretur. 15. Cum igitur ordo tangeret Eſteram, filiam Abihailis, patrui Mardochaei, (qui eam ut filiam adoptaverat) ut ad regem introduceretur, nihil quidquam petiit, niſi quod Hegaeus, eunuchus regis, mulierum cuſtos, ipſe offerebat; hinc etiam Eſtera favorem omnium, qui eam videbant, conſequebatur. 16. Deducta eſt in palatium regis Ahasveri menſe decimo, qui Tebeth vocatur, anno ſeptimo regni illius. 17. Amavit eam rex prae omnibus aliis mulieribus, eamque omnium virginum ca-

cariſſimam habuit, ita ut coronam ei imponeret, et in locum Vaſtis reginam conſtitueret. 18. Deinde nuptias cum ea convivio ſplendido celebravit, quo principes et miniſtros ſuos excepit, immunitatem provinciis conceſſit, et munera regia liberalitate diſtribuit. 19. Cum virgines iterum congregarentur, [a]) ſedebat Mardochaeus in porta regia. 20. Eſtera genus ſuum aut populares non indicavit, quemadmodum Mardochaeus ei praeceperat, cujus conſiliis non minus obſequebatur, quam cum eſſet adhuc ſub ejus tutela. — 21. Eo tempore, cum Mardochaeus in aula regia verſaretur, duo ſpadones et liminum cuſtodes, Bigtan et Tereſch, ira in regem commoti, manum ei inferre ſunt conati. 22. Quod cum Mardochaeo innotuiſſet, indicavit hoc Eſterae, reginae, quae porro nomine Mardochaei de eo regem fecit certiorem. 23. Re quaeſita et comperta ambo in crucem ſunt ſublati. Quod in annalibus apud regem litteris eſt conſignatum.

CA-

a) Haec non intelligo. Neque apud interpretes probabilem horum verborum inveni interpretationem. *Clericus*, ut explicet illud *iterum*, dicit, primum congregatas fuiſſe virgines in variis provinciis, deinde Suſane, antequam in gynaeceum regium intromitterentur; ſcriptorem autem regredi ad ea, quae ante nuptias Eſterae contigiſſent. — Non leguntur illa verba in editione Graeca hujus libri.

CAPUT III.

Hamani in ſummum miniſtrorum aulicorum locum a rege evecto Mardochaeus debitum exhibere honorem recuſat. Qua re ille vehementer offenſus regi perſuadet, ut edictum publicetur, quo omnes Judaei per totum regnum diſſipati interficerentur.

1. Poſthaec rex Ahasverus Hamanem, Medathae filium, Agagaeum, ad tantum dignitatis faſtigium evexit, ut omnium aliorum principum, qui in aula ejus eſſent, eum faceret ſuperiorem. 2. Hinc omnes aulici eum ſubmiſſe venerabantur, quod ipſum etiam rex jufferat. Tantum Mardochaeus hoc intermiſit, neque genua coram eo flexit. 3. Admonuerunt quidem eum alii aulici, ne mandatum regis negligeret; 4. ſed cum hoc aliquoties feciſſent, nec tamen ille eis obtemperaret, indicarunt hoc Hamani, ut viderent, num ille in ſententia ſua eſſet perſeveraturus; ſe enim Judaeum eſſe, eis dixerat. 5. Haman, cum videret, Mardochaeum ſibi flexis genubus honorem non exhibere, gravem iram concepit. 6. Sed parum ei videbatur, in ſolum Mardochaeum animadvertere, (nam ei indicarant, cujas eſſet) propterea conatus eſt, omnes Judaeos, qui in toto Ahasveri regno eſſent, Mardochaei populares, perdere. 7. Menſe primo, qui eſt menſis Niſan, anno duodecimo regis Ahasveri, Pur, [a]) hoc

a) Mos erat Perſarum et vicinarum gentium, ſortibus certo modo jactis explorare dies rei propoſitae proſperos et adverſos. Id in hac re ſaepe fecit Haman, tandemque invenit diem, quem ſortes proſperum promittebant. At Deus exemplum dedit ingens, quam ſint iſta inania. Haec *Grotius*. Ceterum de originatione vocis *Pur* et ſortilegio per ſagittas apud orientales uſurpato, quod etiam h. l. probabiliter voce *Pur* innuitur, legatur *Simonis*

hoc eſt, ſors coram eo jacta eſt, idque quotidi
aliquot menſes repetitum, usque ad duodecimum
eſt menſis Adar. 8. Tunc Haman regem Ahasve
ſic eſt allocutus: Eſt natio quaedam diſperſa et di
pata inter ceteras regni tui totius, cujus leges ab
arum gentium legibus ſunt diverſae, et quae leges
gis non obſervat; non utile tibi videtur, hanc na
nem diutius tolerare. 9. Si tibi placet, jube, ut
leatur. Ego decem millia talentorum argenti ap
dam eis, qui rem perfecerint, ut theſauris regis
ferantur. 10. Tunc rex detraxit annulum ſuum
manu, eumque dedit Hamani, Medathae filio, A
gaeo, Judaeorum hoſti, 11. eique dixit: Dono
argentum, et cum populo iſto pro arbitrio agere pe
tes. — 12. Igitur vocati ſunt ſcribae regi tertio de
cimo die menſis primi, et ſcriptae ſunt litterae ut
voluntate Hamanis ad ſatrapas, praetores omnium
provinciarum et populorum praefectos, ſingularum
provinciarum ſcriptura et ſingulorum populorum li
gua exaratae, atque annulo regio obſignatae, 13. t
ſae tandem per curſores ad omnes regis provin
ut perderentur, interficerentur, delerentur omne
daei, juvenes, ſenes, parvuli, mulieres uno
nempe tertio decimo duodecimi menſis, qui est
Adar, et ut bona eorum diriperentur. 14. H
exemplar b) edicti in omnibus provinciis et inter

---

nis in praelectionibus ſuper *Relandi* antiquitt. Hebr. G
editis Halae 1769.

b) *Michaelis* putat, h. l. inſertum fuiſſe edictum illud, q
e textu exciderit.

populos publicati, ut essent omnes dicto die parati *ad illud exsequendum.* 15. Cursores profecti sunt festinanter ex mandato regis, atque edictum Susane est promulgatum. Rex et Haman consederunt ad epulandum, civitas autem Susanorum erat perturbata.

CAPUT IV.

Mardochaeus luget ob edictum illud, ut omnes Judaei in aliis provinciis 1—3. Esthera de causa hujus luctus certior fit per Hathachum a Mardochaeo, qui ei suadet, ut apud regem deprecetur 4—8., quod tandem promittit, si Judaeis jejunium trium dierum indixerit 9—17.

1. Mardochaeus, cum cognovisset, quid factum esset, scissis vestibus, centone amictus et cinere consperfus per urbem incessit, et ploratum acerbissimum edidit. 2. Sic usque ad ingressum portae regiae pervenit, quam tamen ipsi ingredi non licuit, quod centone esset indutus. 3. Similiter in omnibus provinciis et locis, ad quae edictum regium perlatum erat, ingens luctus ortus est Judaeorum jejunantium, plorantium, plangentium; complures vestitu lugubri induti sedebant in cinere. 4. Pedissequae Esterae ejusque eunuchi hoc ei nuntiarunt, quae vehementer hac de re perterrita vestes misit Mardochaeo, ut eas deposito centone indueret. Sed noluit eas accipere. 5. Tum Esthera vocavit Hathachum, spadonem regium, ei ad ministrandum datum. Hunc jussit, ut ex Mardochaeo resciret, quidnam accidisset, et quae luctus hujus causa esset. 6. Cum Hathachus in forum urbis ante portam

regiam exiiſſet ad Mardochaeum, 7. hic ei enarravit omnia, quae contigiſſent, et quam pecuniae ſummam Haman ſolvere promiſiſſet theſauris regiis pro Judaeis perdendis. 8. Exemplar quoque edicti hunc in finem Suſane promulgati ei dedit, quod Eſterae oſtenderet, eique ſuo nomine juberet, ut regem adiret, atque apud eum ſuppliciter pro popularibus ſuis intercederet. 9. Venit Hathachus ad Eſteram, eique, quae Mardochaeus dixiſſet, narravit. 10. Tum illa Hathachum cum hujusmodi mandatis ad Mardochaeum iterum miſit: 11. Sciunt omnes aulici, et res eſt in omnibus provinciis nota, legem eſſe latam, ut, quisquis vir aut femina ad regem in atrium interius non vocatus acceſſerit, occidatur, niſi ei rex ſceptrum aureum in vitae donatae ſignum porrexerit. Ego vero *jam intra* triginta dies ad regem non ſum arceſſita. 12. Quae cum Mardochaeo renuntiaſſent, 13. hic Eſterae dici juſſit: Noli tibi perſuadere, te ſolam evaſuram eſſe in palatio regio. 14. Nam ſi tu hoc tempore tacuerit auxilium et liberatio Judaeis aliunde exiſtet, tu vero cum familia tua patria interibis, atque haud ſcio, an non propterea hoc ipſo tempore ad dignitatem regiam ſis evecta. 15. Tum Eſtera Mardochaeo juſſit renunciari: 16. I congregatum omnes Judaeos, qui Suſane ſunt, et jejunate pro me, a cibo et potu vos abstinete per triduum, noctes diesque. Ego cum pediſſequis meis quoque jejunabo, et ſic, quamvis contra legem regem conveniam; ſi pereo, peream! 17. Mardochaeus abiit et fecit, quae Eſtera eum juſſerat.

CA-

CAPUT V.

Eſtera regem adit, qui eam benigne excipit, ad convivium ejus cum Hamane venit, et in proximum diem ab ea iterum invitatur 1—3. Haman ex convivio discedens videt Mardochaeum indignabundus, cui patibulum erigit 9—14.

1. Die tertio Eſtera veſtes regias induit, et conſtitit in atrio regii palatii interiori, rege ſedente in throno ſuo, e regione ingreſſus ad palatium. 2. Cum Eſteram reginam videret ſtantem in atrio, gratiam ejus illa impetravit, atque rex extendit ſceptrum aureum verſus eam. Eſtera accedens ſummam ejus partem tetigit. 3. Tum rex ei dixit: Quid vis, Eſtera regina, aut quid petis? Ad dimidium usque regnum tibi dabitur. 4. Reſpondit Eſtera: Si tibi, rex, placet, venies una cum Hamane hodie ad convivium, quod tibi paravi. 5. Rex juſſit Hamanem ſtatim arceſſi, ut voluntatem Eſterae impleret; et ſic uterque, rex et Haman, venerunt ad convivium ab illa inſtructum. 6. Ibi inter pocula rex ſic Eſteram alloquitur: Quid petis? Tibi dabitur. Quid optas? Vel dimidium regnum, fiet. 7. Rogo te atque obſecro, inquit Eſtera, 8. ſi mihi faves, o rex, ſi precibus meis concedere et vota implere vis, ut tu cum Hamane cras ad convivium, quod parabo, redeas, tunc faciam, quod jubes. 9. Sic disceſſit Haman laetus et bono animo. Sed cum videret Mardochaeum in porta regiae ſibi nec aſſurgentem, nec ſe moventem, ira in eum vehementer eſt commotus, 10. quam tamen diſſimulavit, et domum ſuam ingreſſus arceſſivit amicos ſuos, et Sereſcham, ſuam conjugem. 11. His expo-

nit gloriam, divitias et liberorum multitudinem; p
ro, ad quantam a rege dignitatem sit evectus la
omnes principes et ministros regios. 12. Quin etia
sic pergebat, Estera regina nominem praeter me i
vitavit ad convivium, quod regi instruxit, et in cr
stinum quoque ab ea una cum rege sum invita
13. Sed haec omnia me non tranquillant, quam di
Mardochaeum Judaeum video sedere in porta regis
14. Tunc suasertunt ei Serescha conjux omnesque am
ci; ut crucem erigendam curaret quinquaginta cubi
tos altam, et postridie mane peteret a rege, ut Mar
dochaeus ex ea suspendatur. Sic posset cum rege lae
tus convivio interesse. Placuit consilium Hamani, et
crux erecta est.

CAPUT VI.

Rex insomnis ex annalibus sibi praelectis audit de fide Mardocha
in ipsum, nec ei factam esse remunerationem 1—3. Haman i
de re consultus, et ignarus, de quo quaeratur, magnos hon
decernit ei, de quo rex interrogat 6—9., quos in Mardocha
conferre jubetur cum summa animi indignatione 10—13.

1. Eam noctem cum rex insomnem ageret, j
afferri annales, atque ex eis sibi praelegi. 2. In
memoriae proditum erat, Mardochaeum indic
Bigtanem et Terescum, duos regis spadones et i
num custodes, insidiari vitae regis Ahasveri. 3. I
rex interrogavit, quidnam praemii aut honoris
dochaeus hac de re sit consecutus? Responderun
muli, eum nullum accepisse praemium. 4. Qu
in atrio? inquit rex. (Venerat autem Haman ad

um palatii exterius, ut cum rege colloqueretur de Mardochaeo ex cruce, quam ei paraverat, suspendendo.) 5. Haman, respondent illi. Rex jubet eum intromitti. 6. Cum adesset, rex ei dicit: Quid fieri debet viro, quem rex vult honore afficere? Haman arbitrabatur, hunc virum, quem rex honorare optaret, alium esse non posse, nisi se ipsum. 7. Igitur respondit regi: Si quem rex vult honorare, 8. afferatur vestis, qua rex ipse fuit indutus, et equus, quo rex vectus est, ejusque capiti corona regia imponatur; [a]) 9. haec vestis et hic equus tradatur alicui de principibus regis sátrapis. Tum ille, cui rex honorem vult exhibere, hoc equo vehatur in forum urbis, et ante eum proclametur: Sic fit homini, quem rex vult honorare. 10. Ad haec rex Hamani: Sume statim, inquit, vestitum et equum, uti dixisti, atque ita facito Mardochaeo Judaeo in porta regia sedenti, nec quidquam omittas eorum omnium, quae dixisti. 11. Igitur Haman sumsit vestem et equum, induit Mardochaeum, eumque equitantem duxit in forum urbis, et ante eum proclamavit: Sic fit homini, quem rex vult honorare. 12. Quo facto Mardochaeus rediit ad portam regiam. Haman vero domum festinavit

a) Verba textus ambigua sunt. Impositio coronae potest etiam de equo intelligi. Sic quoque nonnulli interpretes intellexerunt, e. c. *Vatablus*; apud Persas (inquit quidam Hebraeorum) solebat equus ferre diadema regni; et certe postea non meminit coronae, ut conjicere liceat, hujus Hebraei opinionem esse veram. — *Michaelis* vertit: *equus, quo rex vectus est, cum coronaretur*; quem sensum verba Hebraea non videntur admittere. In versione Graeca haec non leguntur.

vit lugens et tecto capite. 13. Hic narravit Sereſchae, conjugi ſuae, et amicis, quid ſibi contigiſſet. Sapientiores ejus *conſiliarii* et Sereſcha conjux ei dixerunt: Si e gente Judaica eſt Mardochaeus, qui tibi ſuperior eſſe coepit, non ei praevalebis, ſed eris ipſi inferior. 14. Adhuc eis colloquentibus venerunt eunuchi regii, qui Hamanem propere ad convivium Eſterae ducerent.

CAPUT VII.

Eſtera in convivio pro ſua et popularium ſuorum vita regem ſupplicat, et Hamanem hoſtem ſuorum nominat 1—6. Rex condemnat Hamanem, ut e cruce Mardochaeo parata ſuſpendatur 7—10.

1. Cum rex et Haman ad convivium Eſterae *reginae* veniſſent, 2. ille ab hac etiam ſecunda die poſtulavit, ut vota ſua indicaret, ea impletum iri, et ſi vel dimidium regni rogaret, ſe daturum eſſe. 3. Tunc Eſtera regi reſpondit: Si qua gratia apud te valeo, o rex, et ſi tibi placet, rogo et obſecro, ut mihi et popularibus meis vita concedatur, 4. qui interitioni, neci et exitio ſumus addicti. Si in ſervitutem modo venderemur, tacuiſſem. Sed hoſtis nullo modo compenſare poteſt damnum regi illatum. 5. Tunc Ahaſverus Eſterae, Et quis eſt, inquit, aut ubi eſt is, cui haec in mentem venire potuere? 6. Hoſtis, inquit Eſtera, et adverſarius eſt Haman hic ſceleratus. At haec Haman coram rege et regina obſtupuit. 7. Rex compotatione ſurrexit iratus, et in hortum palatii ſeceſſit. Haman vero remanſit, ut pro vita ſua apud Eſteram reginam oraret, facile praevidens, poenam

a rege ſibi jam inſtare. 8. Interea rex ex horto palatii ad coenaculum reverſus vidit Hamanem jacentem ad pulvinar Eſterae, Adeone, inquit, reginae domi meae vim inferet? Quae cum rex dixiſſet, texerunt Hamani faciem, 9. et Harbona, unus eunuchorum, qui aderant, Crucem erexit, inquit, in aedibus ſuis quinquaginta cubitos altam, pro Mardochaeo bene de rege merito. Suspendatur in ea, reſpondit rex. 10. Igitur ſuspenderunt Hamanem in cruce, quam Mardochaeo paraverat; quo facto ira regis ſopita eſt.

CAPUT VIII.

Mardochaeus a rege ad ſummos honores evehitur, atque edictum prius contra Judaeos novo edicto auctoritate regia promulgato eatenus abrogatur, ut Judaeis die exitio eorum deſtinato vim vi repeſſere concedatur.

1. Eo die donavit rex Ahasverus Eſterae palatium Hamanis, adverſarii Judaeorum. Mardochaeo autem, ad regem introducto, (nam indicaverat Eſtera, quae ſibi cum eo neceſſitudo intercederet) 2. tradidit annulum ſuum, quem Hamani abſtulerat. Eſtera praefecit Mardochaeum palatio Hamanis, 3. deinde iterum ad pedes regis provoluta plorans ſupplicavit, ut averteret calamitatem ab Hamane Agagita contra Judaeos paratam. 4. Rex extendit ſceptrum aureum ad Eſteram. Tum illa ſurrexit, et ſtans coram rege 5. hunc in modum verba fecit: Si tibi, o rex, ita videtur, ſi qua gratia apud te valeo, ſi res ipſa tibi probatur atque ego tibi placeo, ſcribatur, ut revocentur lit-

litterae ab Hamane, Medathae filio, Agagita, ſcriptae in perniciem Judaeorum in omnibus regni tui provinciis degentium. 6. Quomodo enim ego videre poſſem calamitatem popularibus meis imminentem, aut ſuſtinere interitum cognatorum meorum? 7. Reſpondit rex Ahasverus Eſterae et Mardochaeo: Noſtis, me Hamanis palatium donaſſe Eſterae, ipſum vero e cruce eſſe ſuſpenſum, quoniam Judaeorum perniciem intenderat. 8. Jam vos ſcribite pro Judaeis nomine meo, quidquid vobis utile videatur, idque annulo meo obſignate. (Nam quae regis nomine ſcripta ſunt, ejusque annulo obſignata, revocari non poſſunt.) 9. Igitur vocati ſunt ſcribae regis, menſe tertio, qui eſt Sivan, ejusque die tertio et viceſimo, qui *ſcripſerunt*, ſicuti Mardochaeus juſſit, ad Judaeos, ſatrapas, praefectos et praetores centum et viginti provinciarum, ab India usque ad Aethiopiam, et quidem ſcriptura cujusque provinciae et cujusque populi lingua, neque minus ad Judaeos eorum ſcriptura et lingua. 10. Quae litterae nomine regis Ahasveri ſcriptae ejusque annulo conſignatae miſſae ſunt per curſores publicos, adhibitis equis et mulis velociſſimis. 11. Rex in illis litteris Judaeis conceſſit, ut in omnibus oppidis coirent, et vitam ſuam defenderent, perdendo, occidendo, delendo omnes, qui ipſos in provinciis infeſtarent, parvulos quoque et mulieres, eorumque bona diriperent. 12. Cui rei dictus fuit in omnibus regis Ahasveri provinciis dies tertius decimus menſis duodecimi, Adaris. 13. Exemplar edicti publicandi in omnibus provinciis et apud omnes populos, ut eſſent Judaei dicto

die

die parati, quo ultionem de hostibus suis sumerent. [a]) 14. Cursores adhibitis equis velocissimis egressi sunt festinanter urgente mandato regio. Edictum publicatum est Susane. 15. Mardochaeus discessit a rege, indutus vestitu regio hyacinthino et albo, corona aurea magna *ornatus*, et tiara byssina et purpurea, tota civitate Susane laetante et exsultante. 16. Judaeis enim lux orta erat et laetitia, gaudium et honor. 17. Et in omnibus provinciis et oppidis, ubicunque edictum regium erat promulgatum, gestiebant Judaei laetitia, et conviviis laetos dies agebant, multique ex gentilibus Judaismum amplectebantur, quod timor Judaeorum eos invaserat.

CAPUT IX.

Judaei ex edicto regio in omnibus totius regni provinciis dicto die magnam stragem inter hostes suos edunt 1—16. Festum Purim instituitur 17—32.

1. Decimo tertio die mensis duodecimi, qui est Adar, quo edictum regium erat exsequendum, et quo hostes Judaeorum speraverant eos subigere, res ita est conversa, ut Judaei hostes suos subigerent. 2. Congregerunt in omnibus oppidis omnium provinciarum regis Ahasveri, ut aggrederentur, qui eos infestare vellent, et nemo eis prae timore resistere ausus est. 3. Provinciarum quoque praesides, satrapae, duces et procuratores negotiorum regis adjuvabant Judaeos, terrore propter Mardochaeum percussi. 4. Nam potens erat in

a) Omissum est; cf. cap. 3, 14.

in aula, et fama omnes provincias pervaſerat, Mardochaeum in dies majorem fieri. 5. Igitur Judaei hoſtes ſuos gladio interfecerunt, caede et exitio perdiderunt, et pro lubitu cum eis egerunt. 6. Suſane quidem occiderunt et trucidarunt quingentos homines. 7. Praeterea Parſchandatham, Dalphonem, Aſpatham, 8. Poratham, Adaljam, Aridatham, 9. Parmaſchtam, Ariſaeum, Aridaeum et Jeſatham, 10. decem filios Hamanis, Medathae filii, hoſtis Judaeorum, interfecerunt, ſed bona eorum non diripuerunt. 11. Eo die, cum numerus Suſane occiſorum regi eſſet indicatus, 12. dixit Eſterae reginae: Suſane Judaei occiderunt et perdiderunt quingentos homines, praeter decem Hamanis filios, quid in reliquis meis provinciis fecerint? *Et tamen* quid amplius rogas? Tibi dabitur. *Quid* petis? Fiet. 13. Reſpondit Eſtera: Si regi ita videtur, concedatur etiam dies craſtinus Judaeis Suſane habitantibus, ut faciant ex edicto, decem autem Hamanis filii e cruce ſuſpendantur. 14. Rex juſſit, ut ita fieret. Igitur edictum Suſane promulgatum eſt, et decem Hamanis filii in crucem acti. 15. Tunc Judaei Suſane degentes decimo quarto die Adaris conjunctim interfecerunt trecentos homines, abstinuerunt tamen a praeda. 16. Etiam reliqui Judaei in provinciis regis convenerunt, ut vitam ſuam defenderent, et quietem ab hoſtibus ſuis conſequerentur, quorum inimicorum ſuorum ſeptuaginta quinque millia occiderunt, praedam vero non fecerunt. — 17. Quoniam igitur decimo tertio die menſis Adaris et decimo quarto quietem nacti fuerant, hunc diem conviviis et laetitiae deſtina-

narunt. 18. Nam Judaei Susanenses congregati fuerant decimo tertio et decimo quarto illius mensis, a) atque securitatem nacti decimo quinto hunc epularum et laetitiae diem fecerunt. 19. Propterea Judaei pagani et pagos muro cinctos incolentes celebrant decimum quartum mensis Adaris epulis et hilaritate ut diem laetum, et munera sibi mutuo mittunt. 20. Mardochaeus haec omnia memoriae prodidit, et misit litteras ad omnes Judaeos in omnibus provinciis regis Ahasveri propinquis et remotis, 21. quibus constituit, ut decimum quartum et decimum quintum mensis Adaris quotannis celebrarent 22. tamquam dies, quibus ab hostibus suis securitatem essent consecuti, et quo mense eis tristitia in laetitiam, luctus in festivitatem esset mutatus, utque propterea hos dies inter laeta convivia transigerent, quibus etiam amicis suis, inprimis vero pauperibus, munera mitterent. 23. Judaei approbarunt omnia, quae Mardochaeus eis scripserat, et quae jam ipsi facere inceperant. 24. Nam Haman, Medathae filius, Agagita, Judaeorum adversarius, perniciem eorum intenderat, et *Pur*, hoc est, sortem jecerat ad perdendos eos et delendos. 25. Sed cum *Estera* regina regem convenisset, edixit per litteras, ut consilia ejus pessima, quae contra Judaeos machinatus fuerat, in caput ejus converterentur. Ipse cum filiis suis in cruce est suspensus. 26. Propterea hos dies vocant Purim, ex illo vocabulo Pur. Igitur cum ex argumen-

a) Scilicet ad occidendos hostes suos.

mento illarum litterarum, tum propter ea, quae ipsi viderant, aut rumore perceperant, 27. statuerunt et sanxerunt Judaei, ut ipsi et ipsorum posteri omnesque eorum societati jungendi sine intermissione hos duos dies ex lege et tempore constituto quotannis celebrarent, 28. utque horum dierum memoria servaretur per omnes generationes et familias in omnibus provinciis et oppidis; nec dies illi, Purim dicti, inter Judaeos negligerentur, aut eorum memoria inter posteros unquam interiret. 29. Estera quoque regina, filia Abichailis, et Mardochaeus Judaeus litteris scriptis dies illos Purim iterum confirmarunt, 30. quas miserunt ad omnes Judaeos in centum et viginti septem provinciis regni Ahasveri degentes, eosque humane et serio admonuerunt, 31. ut hos Purim dies tempore constituto peragerent, quemadmodum eis esset a Mardochaeo Judaeo et Estera regina sancitum, et quemadmodum ipsi jam pro se et posteris suis sanxissent, idque adhibitis jejuniis et precibus. 32. Edictum Esterae confirmavit institutum festi Purim, quod in hoc libro scriptum est.

CA-

CAPUT X.

Laudes Ahasveri et Mardochaei.

1. Rex Ahasverus impoſuit terrae continenti atque inſulis tributum. 2. Sed de ejus virtute et potentia, et de dignitate, ad quam Mardochaeum evexit, memoriae proditum eſt in annalibus regum Medorum et Perſarum. 3. Mardochaeus autem Judaeus, ſecundus a rege Ahasvero, magnae erat auctoritatis inter populares ſuos et carus ſuis conſanguineis. Utilitatis eorum erat ſtudioſus, et ſalutem gentis ſuae, quantum poterat, promovebat.

HALAE,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.